Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/summulatheologia0003iose

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

4 E 4
SECTION SHELF

SUMMULA

THEOLOGIAE MORALIS

AUCTORE

IOSEPHO D'ANNIBALE

S. ROMANAE ECCLESIAE CARDINALI

The Catholic Theological Union LIBRARY Chicago, Ill.

WITHDRAWN

PARS III.

DE REBUS SACRIS ET DE OFFICIIS CHRISTIANORUM PROPRIIS.

EDITIO QUINTA

DILIGENTER REVISA

ET NOVISSIMIS SS. CONGREGATIONUM DECRETIS LOCUPLETATA

EX LIBRIS PROVINCIAE PRO STUDIO THEOL. S. S. CORDIS JESU.

240
D188s
v.3

ROMAE

DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC., EDITORES

S. SEDIS APOSTOLICAE ET S. RITUUM CONGREGATIONIS TYPOGRAPHI

Piazza C[illegible]zioli (Palazzo Doria)

—

1908

PROPRIETAS LITERARIA

Romae. Ex Typis Societatis Ed via Federico Cesi, 45.

14115

INTRODUCTIO

Christianos ab hominibus ceteris religio secernit; ideo omnes obligationes christianorum propriae a religione, quam profitemur, statum capiunt; et vel naturali, vel divino, vel canonico iure constant: velut oratio, sacramenta, ieiunia (1). Omnes autem et ad divinum cultum, et ad nostram sanctificationem pertinent; sive cum primum ad illum, ut ecce quae profluunt ex beneficiis ecclesiasticis; sive ad hanc primum, utputa quae ex sacramentis profluunt. Porro cultus divinus exercetur *locis* Deo sacris, et clericorum *ministerio;* nostra autem santificatio maxime *sacramentis* perficitur. A locis igitur sacris et beneficiis ecclesiasticis ordiendum erit. Post haec ad eas obligationes transgrediar quae omnium christianorum communes sunt, et singulorum propriae: tandem de sacramentis, quorum materia cum omnium et difficillima et nobilissima sit, quo melius intelligatur non secundo, sed postremo loco tractandum duxi. Sed admonendi sumus ea omnia, quae disciplinam attingunt, ad solam ecclesiam latinam pertinere: nam ecclesiae ritus orientalis (et terdecim recensentur) propriis utuntur legibus qui nedum a latina plus, minusve, sed et inter se discrepant (2).

(1) Dices: quae naturali iure constant huc non pertinent, quippe communia omnium hominum. Ita sane generatim: sed cum ad peculiaria descendimus, multa occurrunt quae, diverso licet ex iure profluant, separari tamen nequeunt: quis enim ferat tractantem, e. c., de sanctificatione festorum, vel de sacramentis, si alibi de sacro audiendo agat, vel de baptismo? *Ordinis haec virtus est... Ut iam nunc dicat, iam nunc debentia dici: Pleraque differat, et praesens in tempus omittat* (Horat., *De Arte Poet.*).

(2) Porro ritus mutatio plerumque apud eos perturbationes, nec modicas, parit; ideo vetitum eis est iniussu S. Sedis a proprio discedere, et ad alium ritum, vel latinum, transire: et si duo diversi ritus matrimonium coeunt, quisque in suo remanet sed filii ex eo matrimonio suscepti patris ritum sequi debent, licet a presbytero latino, et more latino baptizati fuerint.

LIBER I.

DE REBUS SACRIS, RELIGIOSIS ET SANCTIS

Res sacras, religiosas et sanctas lata significatione heic accipimus loca sacra, beneficia ecclesiastica, et sacramenta. De singulis hic.

TRACTATUS I.

DE LOCIS SACRIS ET RELIGIOSIS

ART. I. *Quemadmodum res efficiantur sacrae.*

1. Res sacrae proprie dicuntur quae sacerdotum benedictione Deo consecrantur (1).

2. Primum inter res sacras locum obtinent ecclesiae. Ecclesia fit sacra vel solemni Episcopi consecratione, vel simplici, etiam presbyteri, benedictione. In ecclesia non benedicta grave est sacrum facere, praeterquam in gravi necessitate (2), et de licentia Episcopi, si citra grave incommodum adiri possit (3). Praecipua

(1) LL. 6, 9, *De Rer. Div.* Alias sacra accipimus quaecumque cultui divino mancipata sunt; velut candelabra, thuribula, aulaea; quae idcirco furari sacrilegium est (V. Prol., § 90, n. 13). *De benedictionibus.*

(2) Ben. XIV, *De Sacrif.*, Lib. III, Cap. VI. Ut ecce ecclesia collapsa, vel si templum in solemni festo populum non capiat (S. Alph., VI, 356).

(3) Lugo, *De Euch.*, XX, 48; S. Alphons., *l. c.* Porro ecclesia sine consensu Ordinarii (Ex C. 9, *De Cons.*, D. 1; Barb., *De Off. Episc.*, 26, 1; Pirhing., III, 48, 2), saltem tacito (Schmalz., III, 48, 4): et sine dote (Cit. C. 9; Reiff., III, 48, 4) arbitrio eius definienda (Engel, III, 48, 6; Reiff., n. 9), aedificari non potest. In ea vero aedificanda non licet in pariete intergerino, ostium, vel fenestram (*coretto*) aperire (S. R. C.,

ecclesiae pars est *altare:* hoc Christum, *lapidem angularem*, repraesentat; ideo ex uno, eoque integro, lapide fieri debet (4); seu modica petra sit, quae calicem et patenam capiat; seu tota qua late patet mensa stratum. Praecipua altaris pars est loculus, quo SS. Reliquiae, sine quibus hodie altaria consecrari prohibentur (5), recondi solent (*sepulcrum* vocant), qui modico lapide (*sigillo*) cluditur. Altare vel fixum, vel portatile est. *Fixum*, cuius structura moveri nequit; seu tota mensa superstructum sit, seu parva sit petra (*sacra*) in medio eius posita (6): *portatile* (*viaticum*), quod de loco in locum, salva eius integritate, transferri potest (7). Utrumque consecratum esse oportet, ut sacrum in eo fieri possit; et est grave (8).

2 aug. 1698; Martin., n. 854; S. C. C., 24 iul. et 14 aug. 1824), ut e domo privata ad eam aditus vel adspectus pateat; nisi patronus haec sibi reservaverit in limine fundationis (De Luca, *De Servit.*, Disc. 16, n. 15; Fargna., *De Iurepatron.*, Can. 4, cas. 6; Monacell., To. 1, Form. X, Tit. VI, 18). Et si quis a S. Sede privilegium obtinuerit fenestras huiusmodi aperiendi *pro se, et familia*, ibique missam audiendi, aliis, qui de familia eius non sunt, ad implendum praeceptum diebus festis, non proderit (S. R. C., 19 dec. 1829; Martin., 991). In aedificatis autem (exceptis parochialibus, cathedralibus, et regularium) non licet adservare Sanctissimum Sacramentum sine indulto Apostolico, vel *immemorabili consuetudine, quae huiusmodi indulti praesumptionem inducat* (Ben. XIV, C. *Quamvis iusto* § 24, 30 apr. 1749), nisi forte auctoritate Episcopi pro exponendo Sanctissimo ad tempus (S. C. C., 12 aug. 1747). Nec duo altaria vel capellas eidem Sancto (praeterquam D. N. I. C. et B. M. V.) nuncupare (S. C. Epp., 30 iulii 1874. *Acta*, VIII, 124).

(4) S. R. C., 17 iun. 1843; Martin., 993; Ben. XIV, *De Sacrif.*, Lib. I, Cap. XI.

(5) S. R. C., 21 iun. 1710; V. S. Alph., VI, 369, v. *Dubitatur hic.*

(6) Pius IX, 26 mart. 1867, *Acta* III, 100.

(7) S. R. C., 15 decemb. 1841; S. C. Indulg., 20 mart. 1846. Ab altari portatili differt *privilegium altaris portatilis.* Hoc in eo consistit, ut qui super altari viatico ubivis (ceteris paribus) missam celebrare possit. Competit Episcopis, propter eorum dignitatem; atque ideo vel titularibus tantum (S. R. C., 22 augusti 1818; Gardellin., 4547): eoque magis S. R. E. Cardinalibus, Protonotariis Apostolicis (hodie) solum *participantibus* (Pius IX, Br. *Quamvis peculiares*, 9 febr. 1858): praelatis regularium (S. C. G., Toletana, 4 iunii 1672; Lib. XII Decr., p. 220): aliisque (V. De Ram, II, IV, Art. 1 in fi., Lovanii 1861; Gattic., *De Usu alt. port.*, Cap. VII, n. 9).

(8) Ex CC. 1, 6, *De Cons. Eccl.* Sunt praeterea et *Altaria privilegiata* pro defunctis: et vel localia sunt, vel personalia. *Localia* fixa esse debent (S. R. C., 17 febr. 1843; Martin., 995). Porro Clem. XIII, omnibus, ecclesiis parochialibus, abbatialibus et collegiatis concessit altare privilegiatum quotidianum ad septennium (revocatis omnibus aliis altaris privilegiatis), prorogandum sub unico Brevi, ad petitionem Ordinariorum (V. Ferrar., *Altare privileg.*, n. 33). Duo autem huiusmodi altaria privilegiata in eadem ec-

3. Sunt et *oratoria* (capellae), in privatorum aedibus extructa, vel eis adnexa. Et vel publica sunt, vel privata. Publica censentur vel ex situ, vel ex personis. Ex situ publica sunt quorum ianua publicae *adiacet* viae (9): sed etsi oratorium in mediis agris, vel in aedibus privatorum positum sit, publicum habebitur, si ex via publica per agrum vel atrium domus, ad illud pateat aditus; vel quo pateat, dominus agri, vel aedium *illius situs dominio ac iuri efficaciter renunciaverit* (10). Ex personis instar publicorum habentur quae extant in domibus Episcoporum (11), *ideoque* et Car-

clesia, regulariter, esse non possunt; quamobrem si qua uno gaudeat, tuque, eo durante, aliud impetres illo reticito, nihil valet. Ceterum hoc privilegium altari conceditur, non lapidi consecrato, ideo hoc amoto, et alio substituto, altare privilegiatum remanet (S. R. C., 15 dec. 1841): eoque, ecclesia quoque dilapsa, si postea restituta fuerit, reviviscit (S. C. Indulg., 30 aug. 1847; Scav., IV, 272). *Personale* quod singulis conceditur ubivis celebrantibus. Utrumque eo spectat, ut liberari anima a purgatorio statim possit, si divina Misericordia acceptum tulerit, per indulgentiam sive illi, sive huic adnexam (S. R. C., 28 iul. 1840); atque ideo etiam citra applicationem missae, nisi privilegium concessum fuerit celebrandi in Altari N. (S. C. Indulg., 37 ian. 1848). *Anima*, ideoque, ex mente concedentis, una dumtaxat (S. R. C., 29 febr. 1864. *Acta*, I, 626): nempe ea, quae vel designata est, vel Divinae miserationi eligenda remittitur, vel (si de nulla omnino cogitatum sit) quae huic placuerit (V. S. R. C. 19 iunii 1880; et *Acta*, XIII, a p. 134) Sed ut indulgentia lucrari valeat, dicenda est Missa defunctorum, ex Decr. Innoc. XI, ideoque in paramentis nigris, vel saltem (ex rationabili causa) violaceis (S. R. C., 16 febr. 1652); nisi celebranda sit missa votiva (v. c., in exposit. Sanctissimi Sacramenti), vel de feria (S. R. C., 11 apr. 1864; Scav., *l. c.*); vel occurrat festum duplex (S. R. C., 22 iul. 1848; Martin., n. 996).

(9) De Ram, *De Orator.*, etc., Par. I, Cap. IV; Gatticus, *De Orator. Domest.*, Cap. XI, n. 2; De Bonis, *De Orator. Public.*, n. 236. Porro via publica ea dicitur *cuius etiam solum publicum est* (L. 2, § *Ait praetor, Ne quid in loc. publ.*); nec non vicinales (quae ex privatorum agris collatis factae sunt) quarum initii memoria non extat (L. 3, *De loc. et itin.*; V. Berar., *I. E. U.*, To. IV, P. I, Diss. 3, Cap. IV).

(10) S. C. C., iussu Pauli V, ap. Ben. XIV, *De Sacrif. Miss.*, Lib. III, Cap. VI, n. 2. In his oratoriis non sinant Episcopi, nec in limine fundationis, fenestras, vel aditum ad privatas aedes habere, cum id S. Sedes ipsa vix sinat (V. De Ram, II, I, pag. 82): nisi forte per aream, vel atrium aditus pateat (Gatt., III II; De Bonis, n. 346; De Ram, *l. c.*, v. *Attamen*). Et si nolint in eis celebrari diebus festis, vel statis horis celebrari velint, antea id cavere debent (S. R. C., 14 iun. 1845; 24 aug. 1850); nam post eas aedificatas regulariter vetare amplius non possunt (S. C. C., ap. De Bonis, n. 11).

(11) V. Gattic., XVII, 4. Etiam Episcopo absente, aut vacua Sede (S. R. C., 2 iul. 1661, 8 apr. 1854; Gardell., 2103, 5200). Et si plura sint in eodem palatio oratoria, omnia eodem iure censentur (Gatt., n. 6; De Ram, Par I, Cap. IV, Art. I, pag. 223). Verum *Episcopos* heic accipere debemus non *Titulares* in partibus (Gatt., XVII, 15; Gardell., n. 4547); domus autem, non quas utcumque habitant, utputa in agro

dinalium S. R. E. (12): quaeque in aedibus piis publicis (13) extant; utputa in coenobis, seminariis, collegiis, domibus spiritualibus exercitiis addictis, carceribus, hospitalibus (14) laica etsi auctoritate dumtaxat erectis (15). Haec omnia in his quae ad sacrum faciendum, seu audiendum pertinent, ecclesiarum iure censentur (16): cetera sunt privata, de quibus mox.

4. Locis sacris accensenda sunt coemeteria. Coemeterium (graece dormitorium) est locus in quo cadavera fidelium conquiescunt. Potest esse contiguum ecclesiae, vel ab ea separatum: contiguum est pars ecclesiae (17): nihilominus utrumque benedicendum est (18): et eodem, quo ecclesia, ritu benedicitur (19). In coemeteriis a sacerdote benedictis non licet eos condere qui ecclesiastica sepultura prohibentur (Prol., § 114). In plerisque autem ecclesiis adhuc sepulcris utimur: quoad haec cavendum est, 1° ne ecclesia effodiatur mortuis sepeliendis (20); neve horum corpora condantur monumentis, seu tumulis supra terram extructis (21). 2° Ut sepulcra tribus ab altari cubitis distent (22): et *si sub altari, vel eius gradibus humata sint mortuorum cadavera, non est illic celebranda missa, donec alio transferantur* (23). Demum, 3° ut sive in coe-

rusticandi causa; sed aedes in quibus, sive in ipsa urbe episcopali, sive extra, habitualiter resident (Cf. De Ram, II, IV, I, p. 224).

(12) V. Ben. XIV, *De Sacrif.*, III, VI, 6.

(13) S. C. C., 26 mart. 1847; 5 april. 1851; De Ram, pp. 308, 309.

(14) S. C. C.; Lucidi, I, VII, 109.

(15) S. C. C., *ll. cc.* Non item quae in interioribus coenobii partibus pro valetudinariis, vel novitiis extructa sunt (Salm., 26, 6, 33).

(16) De Ram, I, II; Gattic., III, 14. Atque ideo satisfit praecepto Missae audiendae diebus festis, exceptis oratoris episcoporum titularium. Ad haec, alia significatione, publica dicuntur quae auctoritate Ordinarii sacris obeundis addicta sunt; quamvis intra privatorum aedes posita sint; si vel consecrata fuerint (De Ram, I, IV, v. *Quin imo*), vel tantum in titulum beneficii ecclesiastici fuerint erecta (S. C. C., in Compsana, 31 maii 1704; Gattic., III, 6; XVI, 1; De Bonis, 331, 341). Verum haec, si antiqua sint, extra domum (immissa, ubi fieri potest, ianua in viam publicam) trasferenda esse; nova autem erigere *e re non esse* censuit S. C. C., 23 iul. 1616; Gattic., XIII. 7; De Bonis, 337.

(17) Baruff., 74, 12. Nempe accessoria (C. un., *De Cons. Eccles.* in 6°).

(18) Schmalz., III, 40, 62.

(19) Baruff., 73, 48; 74, 2. In novis coemeteriis extruendis Ordinarii est statuta eis condere, quibus regantur (S. C. Epp., 6 maii 1870); nempe, salvis iuribus parochialibus.

(20) S. C. Epp., 23 iul. 1603; Ferrar., v. *Sepultura*, n. 251.

(21) Ex Rit. Rom., *De Exequiis*, § *Ubi*, 8; S. Pius V, C. *Cum primum*.

(22) S. R. C., 17 mart. 1662. Alias cadavera removeantur, *si id commode fieri potest* (S. R. C., 2 april. 1875).

(23) S. R. C., 10 nov. 1599; S. Alphon., VI, v. *Hic obiter;* V. S. Pii V, C. *Quinam*.

meteriis sive in ecclesiis, sepulcra clericorum a laicorum, et sepulcra infantium ab adultorum sepulcris separata sint (24), quatenus commode fieri potest. Ceterum infantes in sepulcro gentilitio, vel hereditario, sepeliri posse, explorati iuris est (25).

5. Hucusque de locis sacris. Locus religiosus est, in quo, auctoritate Episcopi, pietatis et misericordiae opera exercentur (26). Loca huiusmodi subiacent potestati Ordinariorum (27), et asyli (ubi adhuc viget) immunitate gaudent. Duobus igitur opus est ut locus religiosus dici possit: primo, ut ad pium usum inserviat; sive *religionis* opus sit, utputa monasteria, confraternitates laicorum; seu *caritatis*, ut ecce orphanotrophia, hospitalia, etc. Deinde, ut auctoritate Episcopi sit erectus (28); sive in ipso limine fundationis, seu postea. Quamobrem religiosa non sunt, v. c., oratoria privata, hospitalia a laicis erecta (Prol., § 43, n. 2); quae idcirco magis *Loca Pia* dici solent: ideoque nec Ordinarii iurisdictioni subiacent (29), nec asyli immunitate gaudent (30). Sed de oratoriis privatis agendum est paucis.

6. Oratorium privatum est *locus orationi addictus*. Ideo pro cuiusque arbitrio constitui potest. Verum sacrum, hodie, in eo fieri non potest, praeterquam de indulto solius R. P. (31): et semel in die, et exceptis festis anni solemnioribus (32). Nihilominus Episcopi

(24) Rit. Rom., *De Exeq.*, § 9; *De Exeq. parvul.*, pr.

(25) S. R. C., 12 dec. 1620; Martin., 308.

(26) Schmalz., III, 36, 2.

(27) C. 7, *De Relig. dom.* Nisi doceatur exempta esse (Schmalz., n. 4). Sed et exempta visitare potest (Trid., XXII, *R.*, 8), exceptis regularium domibus.

(28) Reiff., III, 36, 3; Ex C. 4, *De Relig. dom.;* Contra L. 6, *De Rer. Divis.*

(29) Fagn., in C. *Ad haec*, 4, n. 51, *De Relig. dom.;* Reiff., n. 8. Ideo nequit Episcopus ea visitare praeterquam in casibus in iure expressis (S. C. C., ap. Fagn., n. 54). Nihilominus, fundatore mortuo, inspicere potest, *utrum secundum defuncti voluntatem cuncta procedant* (C. 17, *De Testam.*); ideoque rationes administrationis quotannis exigere, nisi vel *sub Regum immediata protectione sint* (Trid., XX, *R.*, 9), vel aliud in limine fundationis cautum fuerit (Ex Clem., 2, pr., *De Relig. dom.;* Trid., *l. c.;* Schmalz., III, 40, 18).

(30) Fagn., *l. c.*, n. 2; Reiff., n. 3.

(31) Trid., XXII, *De Celebr. Miss.;* S. C. C. ex Decr. Pauli V, nec non Clem. XI, C. *Quoniam sancta*, 15 decem. 1703. Quavis consuetudine, seu potius abusu in contrarium exploso (Ben. XIV, C. *Magno*, 2 iun. 1751).

(32) Ben. XIV, *De Sacrif.*, II, 11. *Solemnioribus;* nempe praeter festum Paschatis, feria 5 in Coena Domini; festum Ascensionis D. N. I. C., Pentecosten, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Annunciationis, et Assumptionis B. M. V.. Omnium Sanctorum, Nativitatis, Epiphaniae (S. R. C., 17 nov. 1607; Gard., 217); et Titularis Ecclesiae loci (S. C. C., 17 febr. 1685; Monac., To. II, Tit. 3,

permittere possunt ut missa in eis celebretur pro actu aliquo transeunte, non quidem pro arbitrio suo (33), sed ex iusta, et (ex hodierna SS. Congregationum disciplina) gravi necessitate (34). Uti autem baptismus, poenitentia, matrimonium, Eucharistia (vel in Missa) in eo ministrari possint, Ordinarii licentia opus est (35). Porro oratorium huiusmodi *personale privilegium est*; ideo, 1° nunquam licet in eo sacrum facere nisi praesente eo cui, *vel aliquo ex his* quibus *principaliter* indultum concessum est (36). Quo praesente, Missam audire quidem omnibus licet: satisfacere autem praecepto ecclesiae ei tantum licet, cui privilegium concessum est; consanguineis, et affinibus *qui de familia eius sunt*; famulis quorum servitio opus habet dum interest sacro; ac demum hospiti, immo et ei qui accessit invitatus ad prandium (37). 2° Privilegium, mortuo eo cui concessum fuit, ipso iure evanescit (38).

Form. I; Ferr., v. *Oratorium*, n. 49). Cui vero conceditur Missam in eis celebrare in Navitate Domini, omnes celebrare posse non ambigitur (S. C. C., 20 ian. 1725; Ben. XIV, *De Sacrif.*, III, 4, 8).

(33) S. C. C., 23 ian. 1847.

(34) S. Alph., VI, 359, v. *Praeterea.*

(35) Ben. XIV, C. *Magno*, §§ 19, 20, 23, 34.

(36) Ben. XIV, Declar. ap. Gattic., XXI.

(37) Ben. XIV, *De Sacr.*, III, IV; S. Alph., III, 318, 9. Non item ei qui ministrat celebranti, nisi ex indultatis desit qui inserviat; quae verior sententia est (Ferrar., v. *Oratorium*, n. 64). Uno tantum casu licet celebrare absente indultato, nempe Viatici deferendi causa, si aliunde deferri non potest (S. R. C., 27 aug. 1836).

(38) Amost., *De Causis Piis*, V, 10, 83; Ferrar., n. 30. Illud potius non immerito dubitatur, utrum hoc privilegium pluribus in locis habere liceat; ut ecce in urbe et ruri. Et si quis utrobique diversis temporibus habitet, licere verius puto, dum ne utatur utrobique simul, (V. Ferrar., n. 16); secus non; alias vix differret a privilegio altaris viatici. Extruendum autem est oratorium in loco decenti et ornato; nec licet super illud cubiculum dormitorium habere (S. C. Immun., ap. Ferrar., 18); ne in seminariis quidem (S. R. C., 11 maii 1641; Martin., 57); nisi altari tentorium superpositum sit, vel duplex immineat concameratio (S. R. C., 12 sept. 1840); quamvis subtus horrea quoque, et cellae vinariae esse possint (S. C. C., 11 iun. 1718; Ferr., 92; Gard., 4760). Altare vero, si ligneum sit, cum sacro lapide, *parieti colligatum esse debet*, NE *portatilis imaginem praeseferat* (S. R. C., 3 dec. 1661): NE etc., ideo etsi tantum adhaereat parieti, tolerari potest (Gatt., XXIII, 9; S. Alph., VI, 424, 13). Porro haec omnia in aestimatione Ordinarii esse debent; idcirco is antea visitare illud et potest et debet (S. R. C., 16 sept. 1616); non item postea, nisi quid contra reverentiam loci postea contigerit (Ferr., a n. 25). Ceterum oratorium privatum, cum perpetuum non sit, benedici non debet (S. R. C., 11 mart. 1829), nisi quasi domus nova (Martin., n. 579).

Iuverit nunc de Episcopis (et S. R. E. Cardinalibus) aliquid addere. Itaque hi gaudent iure altaris viatici (Ex C. 12, *De Cons.*, Dist 1; Gattic., *De Usu Altaris portat.*, VII, 4), etiam in *aliena* dioecesi (C. ult.,

7. Hucusque de locis sacris et religiosis; post haec non abs re erit de sacra quoque supellectili aliquid addere. Haec constat sacris vasibus, et paramentis. Sacra vasa potiora sunt calix, patena, pyxis. Calicis cuppa aurea, vel argentea, aut saltem stamnea esse debet (39), intus deaurata (40): potest et ex *aere alluminii* fieri, verum servatis conditionibus a S. Sede praescriptis (41): pyxis ex solida decentique materia (42), etsi non deaurata (43), esse debet. Paramenta vero non ex textura vitrea, mixta auro vel argento (44), *nec ex tela gossypii, aut lini, aut etiam lanae* (45), nec versicoloria (46), aut flava, aut cerulea (47); sed coloris aut albi, aut rubri, aut viridis, aut violacei, vel nigri. Amictus vero, albas, corporalia, pallas, et altaris lintea seu tobaleas, lineas omnino esse oportet; ex gossypio, vel ex gossypio et lino, reprobatis (48). Omnis autem

De Priv. in 6°), inconsulto quoque Ordinario eius loci (Ben. XIV, C. *Magno,* § 5), ut ipsi possint Missam ubivis celebrare, et (hodie), propria celebrata, aliam audire, etiam in festis solemnioribus (S. R. C., 22 aug. 1818). Verum *neutrobi* licet amplius hoc iure uti in domibus privatorum (Clem. XI, Decr. *Quoniam Sancta,* 15 dec. 1703): exceptis his, in quibus *visitationis, vel itineris causa, hospitio excipiuntur; vel (cum id eis licet) moram faciunt* (Innoc. XIII, C. *Apostolici Ministerii*). Quid igitur si in domo aliena extet ex indulto R. P. oratorium privatum? Et siquidem in ea domo altari viatico sibi uti licet (ixta ea quae diximus), eo quasi viatico uti potest; secus quasi privato oratorio (prout quivis presbyter) uti debet (V. Gardell., n. 4547). Quamobrem in *priori* casu, in festis solemnioribus ipse, aliusque; et ceteris diebus tertius quoque (S. C. C., 22 aug. 1818, prob. Pio VII): in *posteriori,* in festis solemnioribus nec ipsi; ceteris diebus ipsi soli in eo celebrare permittitur (Clem. XI, cit. Decr. V; De Ram, P. II, Cap. IV, Art. I, pag. 233). Denique audientes Missam Episcopi celebrantis in altari viatico, vel quasi viatico, extra dioecesim non satisfacere praecepto, *praeter familiares eidem actu necessarios;* in propria satisfacere *ut olim,* alterum certum est (S. R. C., *l. c.,* ad 3), alterum, ni fallit, verius (Andreuc., *De Episc. Titular.,* n. 259; Gattic., *De Usu Altari portat.,* XIII, 15).

(39) C. 46, *De Cons.,* Dist. 1.

(40) S. R. C., 7 april. 1716.

(41) Pius IX, 6 dec. 1866. *Acta,* VI, 589. Non item (nec ob paupertatem) *ex aurichalco, vel metallo, vel cupro,* quamvis intus deaurata, *congruo assignato tempore* (sicubi sunt), *ut de aliis calicibus provideantur* (S. R. C., 20 mart. 1875. *Acta,* VIII, 426).

(42) Rit. Rom., *De Euch.,* § 4.

(43) Baruff., 33, 56. Nisi ex cupro conflata sit (S. R. C., *l. c.,* ad 2).

(44) S. R. C., 11 sept. 1847; 12 nov. 1831; Martin., 122, 1831.

(45) S. R. C., 28 iulii 1881. *Acta,* XIV, 44.

(46) S. R. C., 12 nov. 1831; Martin., 1859. Sed in Ecclesiis pauperibus licet, arbitrio Episcopi, eis uti *dum consumuntur* (S. R. C., 19 decem. 1829; Martin., 120, 119).

(47) S. R. C., 16 mart. 1833; Martin., 121. Exceptis telis aureis (*lama d'oro*), quibus uti posse pro albo, rubro et viridi, receptum est (Fornici, *Inst. Litur.,* P. 1, Cap. 14).

(48) S. R. C., 15 maii 1819. Ad haec reprobantur pallae coopertae

supellex quae ad altaris sacrificium adhibetur eget benedictione (49). Et quae tangunt immediate species consecratas, regulariter, sub gravi benedicenda sunt (50).

ART. II. *De locorum rerumque sacrarum execratione.*

8. Execrari aliquid dicitur cum consecrationem, seu benedictionem amittit. Execrationi obnoxia sunt cum primis ecclesiae, altaria, calix, patena, et sacra indumenta. Execrantur autem maxime duobus modis, idest si propriam formam amiserint, vel usui proprio apta esse desierint. Ad haec ecclesia *profanari* dicitur cum ab Episcopo (ex gravi causa) ad usus profanos redigitur. Sed nobis de execratione tantum.

9. Quoad ecclesiam igitur intererit, utrum consecrata ea sit, an simpliciter benedicta, nam consecratio tectorio, benedictio solo cohaeret (1). Itaque consecrata execratur parietibus vel tectorio maiori ex parte collapsis (2), aut abrasis (3), vel exustis (4); non item si, illaesis parietibus, fornix, pavimentum corruerint (5): benedicta execratur cum tota corruerit (6). Altare autem execratur (seu fixum, seu portatile) ipso enormiter fracto (7), vel scisso (8): item amotis reliquiis (9); quin et sigillo tantum amoto (10), vel tantum fra-

holoserico; et fasciae rubri coloris sub laciniis albarum (S. R. C., 2 iun. 1701; 17 aug. 1833; Martin., 882, 979).

(49) C. 42, *De Consecr.*, Dist. 1; D. Th., 3, 38, 3. Nihilominus utrum benedicendum sit pluviale, cingulum, lunula, pyxis; etsi hoc sit probabilius, non satis convenit (Ben. XIV, Not. 21, 12; V. S. Alph., VI, 385). Purificatorium probabilius benedictione (prout mantutergium) non eget (Ex S. R. C., 7 sept. 1816; V. Martin., n. 12).

(50) Suar., in P. 3 D. Th., 81, 6; S. Alph., VI, 377, 385. Campanae quoque Ecclesiarum (ab Episcopo) benedicendae (vulgo, quia nomen eis imponitur, *baptizandae*) sunt: non item pro usu publicarum aedium, *nisi etiam pro sacris functionibus inserviant* (S. R. C., 16 dec. 1766; Martin., 583).

(1) Schmalz., III, 40, 16.

(2) C. 6, *De Cons. Eccl.*

(3) Salm., 5, 4, 74; S. Alph., VI, 377.

(4) C. 20, *De Cons.*, Dist. 1.

(5) C. 6, *De Cons. Eccl.*

(6) Suar., *De Relig.*, To. I, Lib. II, Cap. II, n. 4; Laym., *De Sacr. Miss.*, V. 15.

(7) CC. 1, 3, 6, *De Cons. Eccl.* - *Enormiter*, idest, si nulla integra parte eius calix cum patena consistere possint (Salm., 4, 4, 79; Reiff., III, 40, 37): non obstat levis fractura in uno vel altero cornu (Pius VII, 3 mart. 1821; Martin., 586); nisi forte cornu illud fuerit avulsum (S. R. C., 3 mart. 1821, 6 oct. 1837, ap. A Carpo, *Calend. perpet.*, pag. 147. Ferrariae 1866).

(8) S. R. C., *ll. cc.*, ap. A. Carpo *l. c.*

(9) S. R. C., 22 sept. 1848. Nec sufficit eas reponere; sed iterum consecrari debet (S. R. C., 23 mart. 1686; Martin., 878).

(10) S. R. C., 14 martii 1861. *Acta*, III, 649.

cto (11). Ad haec altare quod integra mensa constat execratur si remotum fuerit vel a structura seu basi cui mensa cohaeret, vel a columnis quibus fulcitur (12). Porro ecclesiae et altaris consecratio separata sunt, ideo nec unius execratio, alterius (13); nec utriusque ad se coemeterii execrationem trahunt.

10. Calix et patena execrantur si fracta fuerint, aut formam amiserint (14). Sed utrum forma amittatur sola partium separatione? Utique si hae sine novo artificio iterum (ut prius) uniri non possint: itaque si calicis cuppa separetur a pede, siquidem hic tornatilis est, non execratur; secus, verius, si ei haec adferruminata, vel adplumbata fuerat (15). Amplius: etsi consecratio non inaurationi, sed patenae aut calici inhaereat, atque ideo deauratione absumpta neutrum execretur (16), nihilominus nova deauratione inducta, nova consecratione opus esse, hodie definiti iuris est (17).

11. Demum sacra indumenta execrantur cum usui proprio idonea esse desierint; seu detrita sint, seu formam amiserint: ut ecce si ex planeta stolam feceris, ex stola manipulum (18), ex corporali pallam, purificatorium, etc. Item si ex alba manica fuerit abscissa, licet mox iterum assuenda: cingulum cum ita rumpitur, ut neutra pars cingere possit (19).

12. Ad ultimum quaeri potest, utrum res sacrae admixtione, vel accessione rei profanae eiusdem speciei, e. c., eiusdem structurae, eiusdem olei, eiusdem panni, sacrae esse desinant. Minime, si haec adiiciatur in minori quantitate nempe cum maior pars ad se mi-

(11) S. R. C., 22 sept 1848, prob. Pio IX; 5 dec. 1851, *in Bituricen.*

(12) CC. 1, 3, 6, *De Cons. Eccl.*; S. R. C., 15 maii 1819; Martin., 909. - *Cohaeret:* ideo non execratur amota structura inferiori, quae mensae non immediate cohaeret, si modo haec stare queat, quamvis alio transferatur (Reiff., III, 40, 38; Barb., in cit. Cap. 1; Lugo, *De Euch.*, XX, 67). Eoque minus execratur altare fixum media in mensa positum, si ab ea, vel a corona lignea, in qua inclusum est, amoveatur (Laym.; Pirhin., III, 40, 20; Schmalz., III, 40, 44).

(13) Gonzal., in C. 1, *De Cons. Eccl.*; Barb., *De Offic. Ep.* 27, 26; Schmalz., n. 46.

(14) Lugo, n. 93; Salm., 5, 4, 90

(15) S. Alph., VI, 370, d. 4.

(16) Suar., in 3 P. D. Th. 81, 7; Lugo, *De Euch.*, XX, 34; Schmalz., III, 40, 53.

(17) Ex S. R. C., 14 iun. 1845; Martin., 146. Alicubi, antequam calices aliaque consecrata vasa, quae refectione, vel nova deauratione indigent, artifici tradantur, sacerdos ictu manus, vel istrumenti, ea despicere solet, et quasi execrari: mos, iussu Pii VII, a S. R. C., 20 apr. 1822, reprobatum.

(18) S. Alph., III, 371.

(19) Reiff., III, 40, 57; Ferrar., v. *Paramenta sacra*, n. 19.

norem trahat, pars adiecta continuo et ipsa fit sacra (20): atque ideo tametsi adiiciatur iterum (nempe ex intervallo), et saepius (21), ita ut nulla denique pars prioris supersit (22).

ART. III. *De rerum sacrarum violatione, seu de sacrilegio.*

13. Quidquid sacerdotali benedictione cultui Supremi Numinis consecratur, *efficitur quiddam divinum, et sic ei quaedam reverentia debetur* (1). Qui hanc reverentiam laedit, sacrilegium admittit (Par. II., § 55): quare de sacrilegio paucis hic; sed ampliata tractatione, ne huc iterum. Definitur: *Rei sacrae violatio* (2). Obiectum sacrilegii materiale sunt res sacrae: verum res latiori significatione, heic accipere debemus *quidquid ad divinum cultum ordinatum est* (3): sacrilegium vero in irreverentia erga haec positum est, seu in faciendo, seu in omittendo consistat (4): quamobrem nullum ibi sacrilegium est, ubi aut nulla res sacra (5), aut nulla irreverentia subest.

14. Age nunc: ad divinum cultum ordinantur personae, loca, res: inde sacrilegium in personale, locale, et reale diducitur. Et quia personae, loca, res (sacrae) formaliter differunt, triplex est species eius (6) infima (7). Personale est quo violatur persona Deo

(20) C. 3, *De Cons. Eccl.;* Rit. Rom., *De Bapt.*, § 3, *De Extr. Unct.*, § 11. Ut puta si planetae benedictae assuatur fragmentum; vel sacris oleis, aut aquae baptismali infundatur aliud oleum, vel aqua non benedicta (S. Alph., VI, 368).

(21) Laym., *De Sacr. Ord.*, XIII, 13; Croix, VI, II, 2093; S. Alph., VI, 708.

(22) Ex L. 78, § 1, *De Iudic.* Ut ecce si ecclesia consecrata successive deponatur, et reponatur (S. R. C., 19 sept. 1859).

(1) D. Th., 2, 2, 99, 1. Immo et cultus (V. Salm., 21, 10, 119). *Adorate scabellum pedum eius (Ps.* 98). *Consecratum cultui:* ideo huc non pertinent quae benedictione invocativa benedicta sunt, ut agni paschales; nec quae constitutiva quidem, sed non ad divinum cultum, ut aqua, vel candelae benedictae: queis proinde et ad usus profanos (modo ne sordidos) uti licet (S. Alph., VI, 94).

(2) D. Th., *l. c.*, O., 1. Latiori significatione interdum dicitur quodvis peccatum contra virtutem religionis.

(3) D. Th., *l. c.*, Art. 1.

(4) Ex CC. 1, 2, *De Consecr. Eccles.* Utputa si quis in hostiam consecratam expuat, vel dum elevatur eam non adoret.

(5) Salm., 21, 12, 13. Ut ecce si quis non communicet in Paschate, sacro non intersit die festo; non enim aliquid sacrum, sed legem violat.

(6) D. Th., 2, 2, 99, 3. Scilicet locorum, rerum, et personarum non est eadem sanctitas.

(7) Salm., n. 18. Hinc eadem species sacrilegii est sive, 1° quis monialem verberet, seu opprimat (D. Th., *l. c.*, ad 2): sive, 2° ab ecclesia reum extrahat, vel in ea hominem occidat: sive, 3° sacramentum indigne ministret, vel sacras imagines proterat.

sacra: Deo personae sacrantur cum mancipantur cultui divino. Hoc minus proprie fit suscepta tonsura; proprie, inita professione religiosa (8), vel ordine sacro (9); quippe his perpetuo Deo mancipamur. Quod ad *illos*, laeditur privilegiis clericorum violatis (Prol., § 100): quod ad *hos*, praeterea, eorum immunitate per quam a militia et publicis muneribus vacant (10). Amplius; *horum* personae sanctae Deo sunt, non per omnia quidem, sed quod ad castitatem servandam; hanc igitur foedare, vel sola cogitatione, sacrilegium est (11).

15. Locale sacrilegium est quod loci sacri reverentiam laedit. Admittitur quavis actione *externa* quae loci sanctitatem dedecet, etsi alias licita (12). Sed in primis violatione immunitatis, de qua viderint Canonistae (13), et pollutione. Ecclesiae et coemete-

(8) Ex C. Un., *De Vot.* in 6°; C. 6, *Qui Cleric.;* V. Sanch., *M.*, VII, 25, 7; Salm., 26, 6, 8.

(9) Laym., lib. IV, Tr. X, Cap. VII, 3.

(10) C. 2, *De Immun. Eccles.* - *Deo sacris vacare sacerdotes oportet* (L. 37, § 4. *De Recept. arbitr.*).

(11) D. Th., 2, 2, 99, 3; 105, 10; Salm., 26, 6, 4. Sed unum tantum; licet aliquis et ordine et professione teneatur; quippe utrumque haec vetat *religionis* intuitu (S. Alph. III, 455). *Non*, etc., ideo sacrilegium non est eis detrahere, aut furari, quia nec existimatio, nec res eorum sacrae sunt (V. S. Alph., VII, 275 pr.). Nec si ipsi, v. c., aliis detrahant, si inebrientur, sacrilegium erit; quia non suam sanctitatem laedunt, sed iustitiam, temperantiam, etc. (V. D. Th., 2, 2, 99, 3 ad 3).

(12) S. Alph., III, 37. Utputa nundinae, negotiationes, etc.; non item alia, etsi forte illicita, utputa mentiri, detrahere, furari (V. Salm., 21, 11, 24). *Externa*, licet occulta; quae probabilior sententia est (S. Alph., n. 36): non item *interna*, quippe ea quae extra nos sunt non attingit (Salm., 12, 24; S. Alph., 43). Ceterum si quis secum ipso constituat patrare in ecclesia sacrilegum aliquid, v. c., rixari, sacrilegio non vacat, quia actus interni et externi eadem et malitia et species est.

(13) Immunitas (localis) est qua vetatur in locis Deo sacris profana exercere, et asyli iura violare (Ex C. 2, *De Immun. Eccles.* in 6°). Loca sacra heic quoque accipere oportet lata significatione, 1° etiam sola Ordinarii destinatione sacris obeundis addicta (Ex C. 9, *De Eccles. aedific.;* Reiff., III, 48, 8); et, 2° religiosa (§ 5) tantum (Ex C. 4, *De Relig. dom.;* Pirhin, n. 4; Schmalz., III, 49, 111; ibiq. Barb., Laym., Suar., Azor., etc.); nec non, 3° continentia aedificia, utputa ecclesiae porticus, atrium, sacristia (Ex L. 43, *De R. V.;* Barb., in cit. C. 9, n. 7; Pirhin., III, 49, 3; Reiff., n. 10). Itaque immunitas localis violatur profana in eis exercendo: et in primis iudicia saecularia, sive criminalia sive civilia (Ex C. 2, *De Imm. Eccles.* in 6°): tum violando asyli iura. Iura autem asyli (cuius in regnis saecularibus vix vestigium superest) haec sunt: 1° ne qui ad ea confugiunt vi extrahi possint; 2° ne alii prohibeantur eis deferre quae ad vitam sunt necessaria; 3° demum ne quis effugium his qui ad ea confugerint intercludat (C. 6, *De Imm. Eccles.;* Bened. XIII, *Ex quo divina;* Clem. XII, *In Suprema;* Bened. XIV, *Officii Nostri*). Qui asyli immunitatem violat, aut violari iubet quoquo modo, ex praedictis, incurrit excommunicationem

ria (14) polluuntur, 1° effusione sanguinis (15), vel, 2° seminis (16) humani; 3° homicidio in ea perpetrato (17); 4° sepultura excommunicati vitandi (18), vel infidelis (19). Sane pollutio oritur ex iniuria, gravi inquam, quae loco sacro irrogatur (20); ideo necesse est ut illa, 1° in ipsa ecclesia vel coemeterio fuerint admissa; 2° ut sint notoria; 3° demum si pollutio oritur ex sanguinis vel seminis effusione, ut letali non careant. Quamobrem pollutio non intelligitur (ex 1°) si quid horum contigerit supra tholum, vel in cryptis, vel in sacristia (21): nec (ex 2°), si ecclesia in ipsa clam contigerit, quoad innotuerit, seu facto, seu fama, seu iure (22); nec demum (ex 3°) si quod factum est et per se, et quoad loci reverentiam, careat peccato gravi (23). In dubio utrum ecclesia polluta fuerit,

R. P. reservatam: dummodo et *vi* fecerit (Ex cit. C. 6); et *ausu temerario* (V. Prol., § 391, 4°): idest *sciens prudens, nec ab aliis coactus* (S. U. I., 1 febr. 1871).

(14) V. Salm., 26, 6, 27, etc.).

(15) C. 10, *De Cons. Eccl.* Etsi non ultra vestes effluxerit (Gonz., in C. 9, n. 6, *De Celebr. Miss.*; Zoes., III, 40, 6; Schmalz., III, 40, 80). Porro *effusio* copiam significat; ideo non polluitur ecclesia si ex vulnere gravissimo licet, aliquae sanguinis guttae deciderint (Barb., *De Off. Episc.*, 28, 31; Schmalz., *l. c.*; Lugo *De Euch.*, XX, 52).

(16) C. 5, *De Cons.*, Dist. 2; cit. C. 10. Seu fornicatio inciderit, seu mollities (Sanch., *M.*, IX, 15).

(17) C. 19, *De Cons.*, D. 1; C. 4, *De Cons. Eccl.* Quamvis sine ulla sanguinis effusione interemptus homo sit; utputa laqueo, veneno (Pirhin., III, 40, 10; Schmalz., III, 40, 79). *Homicidii* autem appellatione et suicidium contineri, et extremum (licet iustum) supplicium, et martyrium, ambiguum non est (Engel, III, 40, 46; Pirhin., III, 40, 10).

(18) C. 7, *De Cons. Eccl.*; C. 12, *De Sepult.* Ideoque nec haeretici, etsi excommunicati (Pirhin., III, 28, 70; Engel, III, 40, 12); nec interdicti, etsi vitandi (Schmalz., III, 40, 77).

(19) CC. 28, 29, *De Cons.*, Dist. 1, – *Communissima* (Reiff., III, 28, 91). Infidelium vero appellatione non contineri cathecumenos, communior (Schmalz., III, 50, 72); nec infantes ex Christianis parentibus mortuos sine baptismo, plurium (Ugolin., Sayr., Iordan., Viest, Busem., Engel; Schmalz., n. 72) et ex cit. CC., qui de *paganis et infidelibus* loquuntur, verior sententia est (Engel, n. 13).

(20) Cf. Reiff., III, 40, 17.

(21) Laym., *De Sacr. Miss.*, V, 7, 10; Engel, III, 40, 9; Schmalz., III, 40, 78. Hac re ea quae oritur ex effusione sanguinis vel ex homicidio non intelligitur, nisi vulnus vel causa (physica) mortis in ipsa ecclesia vel coemeterio fuerit illata. Proinde si quis, *accepto* extra ecclesiam vulnere, in eam confugiens, ad gradus altaris sanguinem, vel animam fuderit, pollutio cessat. At si intra ecclesiam vulnus, e. c., aut venenum acceperit, non inspicitur nec quo loco percussor extitit (v. c., si extra ecclesiam constitutus eum petiit lapide, iaculo, etc.), nec quo alter sanguinem fuderit, vel mortem obierit (Laym., n. 7; Lugo, *De Euch.*, XX, 52; Schmalz., n. 78; ibiq. Zoes., Pirhin., Engel., etc.; S. Alph., VI, 364).

(22) Navarr., 27, 256; Barb., *De Off. Ep.*, 28, 37; Pirhin., III, 40, 12; S. Alph., XI, 364.

(23) Cf. Schmalz., *l. c.*; Lugo, n. 54. *Per se*; ut ecce si quis non sui compos, vel iustae defensionis causa

quia versamur in odiosis, pollutam non esse tenendum est (24). Quaestionis est, utrum polluatur ecclesia quae nec consecrata est, nec benedicta, sed tantum ab Ordinario divinis obeundis deputata; sententia communior affirmat, quia lex non distinguit (25); et ita omnino tenendum est. Polluta ecclesia, coemeterium quoque, si est contiguum, polluitur, sed non contra (26): item capellae quae sunt partes ecclesiae et cum ea velut unum sunt; sive infernae, sive supernae (27). Ecclesia polluta (item et coemeterium) *protinus* reconcilianda est (28): scilicet ab Episcopo si fuerat censecrata, secus a quovis presbytero (29). Interim vero grave est in ea peragere divina officia (30); nisi aut Ordinarius id permiserit ex gravi causa; aut sacerdos Ordinario quidem inconsulto, sed urgente necessitate in ea celebraverit (31). Reconciliata ecclesia, coemeterium quoque ei contiguum ipso iure reconciliatum intelligitur (32).

vulneravit, occidit. *Quoad*, etc. Veluti si coniuges diu loco sacro inclusi ad vitandum incontinentiae periculum, commiscuerint (S. Alph., III, 458). *Gravi:* proinde si quis levi pugno, aut a puero accepto, sanguinis copiam e naribus fuderit, pollutio non intelligitur (V. S. Alph., VI, 365).

(24) S. R. C., 11 iul. 1802, prob. Pio VII; Martin., 932. Nihilominus si, uti fieri solet in transitu exercitus, vel copiarum, milites in aliqua ecclesia per biduum manserint: et maxime si pernoctaverint, haec reconcilianda erit ad cautelam (Pius VII, 3 martii 1821; S. R. C., 27 febr. 1847; Martin., 586; 1008).

(25) C. ult., *De Cons. Eccl.* Etiamsi nondum in ea celebrari coeperit (Suar.; Lugo, 60). Oratoria privata non pollui, omnibus constat (V. Salm., 26, 6, 33).

(26) C. un., *De Cons. Eccl.* in 6°. Et si duo coemeteria contigua intermedio pariete seiuncta sint, uno polluto, alterum non polluitur (Lugo, *l. c.*), tametsi in eo pariete ianua aditum ad alterum praestet (Pirhin., III, 40, 33; Schmalz., III, 40, 70).

(27) Fagund., *De Praec. Eccl.*, Lib. III, Cap. XIV, n. 46; Lugo, *De Euchar.*, n. 58.

(28) C. 10, *De Cons. Eccl.* Et si violata fuerit per sepulturam excommunicati, vel infidelis, corpus, si discerni queat, prius exhumari debet, et alio transferri (Ex C. 12, *De Sepult.;* Reiff., III, 28, 911); si tamen hoc, hodie, sine perturbatione et periculo fieri possit.

(29) CC. 9, 10, *De Cons. Eccl.* Sed utrum praesbyteri egeant delegatione Ordinarii? Quidam affirmant ex Rit. Rom., *De Reconc. Eccl.*, etc. Alii negant ex cit. C. 10; in his Lugo (n. 61), et Ben. XIV (*De Syn.*, XIII, 15, 2). Illud certum est, non reconciliari per Missae celebrationem (S. R. C., 19 aug. 1834; Martin, 866).

(30) C. 10, *De Cons. Eccl.;* Lugo, n. 58. Et si polluitur dum sacrum celebratur, perinde erit ac si vitandus supervenerit et nolit abire (V. Prol., § 360, n. 6; Suar., D. 81, Sect. 4; Laym., *De Sacr. Miss.*, V, 13).

(31) Fagund., *De Praec. Eccl.*, III, 14, 2; Schmalz., III, 40, 85. – V. c., *Ordinarius*, si populus aliam ecclesiam non habeat ubi Missam audiat (S. Alph., VI, 361), *sacerdos*, si viaticum deferendum sit.

(32) C. un., *De Cons. Eccl.* in 6°. Sed si solum coemeterium violatum fuit, seorsum reconciliandum erit (Rit. Rom., *h. t.*).

16. Denique reale sacrilegium est quo violatur quidvis aliud sacrum, aut sanctum: sive 1° tale per se illud sit, sive 2° ad nostram sanctificationem fiat; sive demum 3° ad divinum cultum obeundum consecratum fuerit (33). Itaque sacrilegium est, 1° Sanctorum reliquias et imagines irreverenter tractare vel procaciter pingere: Sanctissimum Dei, vel Christi nomen, vel nomen Deiparae, aut Sanctorum usurpare minus reverenter: verba et sententias sacrae scripturae ad scurrilia, vana, ludicra detorquere (34). 2° Sacra in letali obire; et siquidem ea obimus Christi nomine, ut sacramenta, regulariter, grave est (sed de hoc serius); sin Ecclesiae, ut

(33) Cf. Salm., 21, 10, PP. 8 et 9; Trid., XX, *Ref.*, 7. Quoad sacras imagines, cavendum est, ne procaci venustate pingantur (Trid., XXV, *De Invoc. SS.*); neve specie, seu forma non vera, aut insolita (Ben. XIV, C. *Sollicitudo*): et ideo non licet novas exponere ullo in loco, etiam exempto, sine consensu Ordinarii (Urb. VIII, C. *Sanctissimus*, 37). Olim dubitatum fuit, utrum quae in altari exponuntur (nec non cruces altarium) benedicendae essent de praecepto: S. R. C., 12 iul. 1704, negantium sententiam sanxit (V. Caval., *Rit. Expen.*, Cap. XI, Decret. 8). Reliquias vero, 1° exponere non licet, ne in ecclesiis quidem exemptis, nisi prius recognitae approbataeque fuerint ab Ordinario (Trid. *l. c.*), tametsi iam probatae sint a R. Pontefice (Xyst. V. C. *Dominus*): nec 2° si reliquiae Sanctorum et reliquiae instrumentorum Dominicae passionis permixtae sint, antequam separatae fuerint (S. R. C.; 20 Feb. 1847; *Acta*, II, 587). Nec exponendae sunt 3° ante ostiolum, vel super tabernaculo in quo reconditum (S. R. C., 12 mart. 1836), vel in altari in quo expositum (S. R. C., 2 sept. 1741) est Sanctissimum Sacramentum. Nec demum 4° sub baldacchino; exceptis, *ex immemorabili consuetudine*, guttis sanguinis D. N. I. C.; ligno sanctae Crucis, et ceteris Dominicae Passionis instrumentis (S. R. C., 22 sept. 1827); sed seorsum ab aliis (Leo XII, ex S. R. C., 27 maii 1826); lampade et duobus (S. R. C., 22 iun. 1701) ex cera, non ex oleo (S. R. C., 31 mart. 1831; Martin., 935) luminibus accensis. In processionibus vero, presbytero, qui eas defert, detecto capite, Episcopo vero cum mitra incedendum est (S. R. C., 22 ian. 1639; Martin, 613). Quas autem vetitum est sub baldacchino exponere, eas et in processionibus sic deferre vetitum est (Leo XII, *l. c.*). Demum hodie districte prohibetur, sacras reliquias, et SS. exuvias, licet capsula reconditas et sigillo munitas, quolibet praetextu, etiam redimendi, emere aut mercari (Leo PP. XIII, 24 dec. 1878, *Acta*, XI, 366).

Et haec quidem de *Sanctorum* imaginibus, et reliquiis. Quoad *Beatos*, his nec ecclesias, nec altaria nuncupare licet (S. R. C., 11 apr. 1840); nec eorum reliquias in processionibus circumferre (Alex. VII, 27 sept. 1359). Itaque eorum imagines, et reliquiae in his tantum ecclesiis retineri et exponi possunt, in quibus de eorum officio fieri permittitur (Urb. VIII, C. *Sanctissimum*; Clem. XI, Const. 82, n. 11). At eorum qui cum sanctitatis fama dormierint, imagines ne in sacrariis quidem ecclesiarum retinere licet (Urb. VIII, *l. c.*): immo nec in vitreis eorum fenestris depingere (S. R. C., 24 mart. 1860).

(34) Ex Trid., IV in fi.; Salm., 14, 4, 51.

sacramentalia, verius, est leve (35). 3° Sacram supellectilem adhibere in usus profanos (36); etiam *postquam* consecrationem amiserit (37): nihilominus, quia *mutata forma prope interimit rei substantia* (38), quae formam ita perdiderunt, ut ad communem materiam redierint, in usus profanos converti posse recepta sententia est, eaque utimur (39). 4° Sacrum aliquid furari sive de sacro sive de non sacro; non item, verius, non sacrum de sacro, nisi eo loco repositum fuerat custodiae causa (40): quin latiore significatione, sacrilegium est furari ea quae ad ornatum ecclesiae, vel sustentationem ministrorum donata sunt, sive res mobiles sint, sive immobiles (41), quippe et haec, etsi remote, ad Dei cultum pertinent.

17. Ad ultimum abs re omnino non erit heic aliquid addere de sartis tectis servandis locis, rebusque Deo sacris. Principio igitur cum ecclesia indiget reparatione, si nulli huius rei causa, aut non sufficientes reditus constituti sint, nec quidquam statutis eius loci cautum sit, nec consuetudine introductum, refectio communis est 1° Rectoris eius (42), et eorum qui de fructibus ecclesiae aliquid

(35) Suar, in 3 P. D. Th., D. 16, sect. 3. Licet *solemnissima;* velut consecratio ecclesiae, chrismatis (S. Alph., VI, 37, 39, 40).

(36) V. *Levit.*, XXVII, 28; *Daniel*, V, 23; v. c., uti casula, vel planeta in comoediis sacris ad fingendam personam alicuius diaconi, vel presbyteri; quod Salm. (21, 10, 142) grave putant. Hac re vetitum est cadavera mortuorum involvere sacris indumentis (C. 40, *De Cons.*, Dist. 1). Nihilominus cadavera Episcoporum, sacerdotum, diaconorum etc. cum vestibus proprii ordinis nedum exponere, sed, si mos regionis ferat, etiam sepelire fas est (S. R. C., 15 nov. 1830; Martin., 338). Hinc sacra vasa laicis ne contrectare quidem licet (C. 41, *De Cons.*, Dist. 1) sine iusta, et, dum continent species consecratas, urgenti causa; alias in hoc posteriori casu vix a mortali excusantur (Suar.; Dicast.; Bonac.; Salm., 12, 10, 178; V. II *Reg.*, VI, 7).

(37) Ex Trid., XXI, *Ref.*, 7; Salmant., 21, 10, 145. *Quod enim semel Deo consecratum est, ad humanos usus transferri non decet* (C. 3, *De Rerum perm.;* C. 51. *De R. I.* in 6°). Et idcirco aede sacra diruta, *nec lapides inaedificati, postquam remoti sunt, vindicari possunt* (L. 44, *De R. V.*).

(38) L. 9, § *Si quis rem, Ad exhib.*

(39) Suar., in 3, D. 81, sect. 8; S. Alph., III, 41. Ut ecce vasa lignea, vel aurea, postquam ita ferro vel igne immutata fuerint, ut nihil prioris formae supersit (Salm., 21, 10, 147; S. Alph., *l. c.*). S. R. C., 9 mart. 1706, censuit, lapidem consecratum vendi posse, dummodo emptor eum servet in loco decenti. Ecclesia vero dilapsa, vel *profanata*, lapides, trabes, etc. vendere, et in usus profanos adhibere non est illicitum (Reiff., ad C. 7, *De R. I.*, in 6°, n. 12).

(40) V. Par. II, § 251, n. 16.

(41) D. Th., 2, 2, 99, 3.

(42) Can. 30, 12, 2; CC. 1, 4, *De Eccl. Aedific.;* Trid., XXI, *R.*, 7; Bened. XIV, Not. 100. Ideoque Episcopi, si agatur de ecclesia cathedrali (Can. 27, *l. c.*). Nempe si habeant reditus superfluos (Cit. C. 4; S. C. C., 9 iul. 1870; *Acta*, V, 664), *suis* necessitatibus (Barb., *Ad Trid.*, *l. c.*, n. 9; Ben. XIV, n. 13).

participant (43). 2° His deficientibus, patronorum (44). Si nec patroni facultatibus idonei sunt, refectio ad eos pertinet qui in ea ecclesia recipiunt sacramenta (45). Et si hi quoque deficiant, et ecclesia aliter reparari nequeat, aut reponi, profanari debet, erecta ibi cruce; eaque profanata, in usus saeculares, non tamen sordidos, converti poterit (46). Ecclesiae vero titulus ad matricem, aut viciniorem ecclesiam est transferendus (47).

(43) C. I, *De Eccl. Aedif.* Ideoque et eorum qui in ea ecclesia beneficia possident, sive ibi erecta, sive translata (S. C. C., ap. Ben, XIV, *l. c.*, n. 13).

(44) Ex Trid., *l. c.* Nisi patronatu cedere malint (S. C. C., 15 dec. 1827; *Acta* V, 663. Sed V. Schmalz., III, 49, 51).

(45) S. C. C., 4 sept. 1793; *Acta*, V, 663. Idem iuris est si ecclesia parochialis forte angustior evaserit (S. C. C., 27 febr., 1864; *Acta*, I, 219). Sed ad eam ampliandam verius est, patronum cogi non posse (Gonzal., in C. I, n. 7, *De Eccl. Aedif.*; Schmalz., III, 48, 44).

Pro Italia et insulis adiacentibus reparandis ecclesiis cathedralibus et Collegiatis, Const. Ben. XIII, *Pius et misericors* in beneficiis etiam I. P. laicalis V Idus maii 1725, statutae fuerunt *mediae* annatae persolvendae a clericis *illic* universae dioecesis *hic* ecclesiae collegiatae instituendis.

Quae autem de ecclesia diximus, haec ad reparationem, et refectionem sacrae quoque suppellectilis, et aedium beneficialum (utputa domus parochialis) pertinent (S. C. C., ap. Barb. in C. *De Eccl. Aedific.*, n. 5; Pirhin., III, 48, 16; Reiff., III, 48, 26; Schmalz., III, 48, 45; V. *Acta*, VIII, 26 etc.). Porro omnia, quae ad sacrum cultum pertinent, eodem iure censentur (De Albert., *De Sacris utensilib.*, Decis. 82, n. 3). Proinde sacrarum supellectilium et fabricae reparatio pari gradu procedunt (Franc., *De Eccl. Cath.*, Cap. 20, n. 34); ideo ecclesiarum rectores tenentur ex superfluis beneficiorum suorum reditibus sacras quoque supellectiles sartas tectas servare, et comparare quae necessariae sunt (De Albert., Cap. 12, n. 11): et relicta pro *fabrica ecclesiae*, his quoque reficiendis et comparandis relicta esse intelliguntur (Amost., *De Caus. Piis.*, Lib. IV, Cap. I, n. 25); nisi verbum *fabrica* stricte accipiendum sit ex voluntate testatoris, vel ex more regionis (Lugo, *De Iustit.*, XXIV, 304).

(46) V. *Acta* V. 165. – *Erecta*, etc. Sed hoc hodie fieri non solet.

(47) Trid. XXI, *h. t.* Heic quaeri potest quid iuris sit in privilegiis ecclesiae collegiali (utputa collegiatae vel regularium) concessis, si ea manente, collegium defecerit. Et si haec personalia fuerint, vel indulgentiae, in ecclesiis regularium, pulsis religionis, evanescunt (S. C. C., 29 maii 1841; 59 aug. 1864); quamvis in ecclesia aliquis religiosus remanserit quasi capellanus, aut custos (S. R. C., 20 dec. 1864). Si realia, veluti ius tumulandi, religioso inibi relicto cappellani vel custodis nomine, ab hoc exerceri debent (S. C. C., 16 sept. 1871; *Acta*, I, 587; 239; VII, 34).

TRACTATUS II.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS

CAPUT I.

DE BENEFICIORUM NATURA, ERECTIONE, UNIONE, ETC.

Amplissima haec materia est, implexior, difficilis, et ad Iuris Canonici Interpretes cum primis pertinet; quam idcirco vix summis attingam digitis.

ART. I. *De Beneficiorum natura.*

18. In beneficiis ecclesiasticis tria dispicere oportet: bona quae dotem beneficii constituunt (1); sacrum officium, seu ministerium; et ius percipiendi reditus ex huiusmodi bonis propter officium huiusmodi. *Bona* temporale aliquid sunt, *officium* est aliquid spirituale, *ius* est temporale spirituali adnexum (2). Sine bonis beneficium quidem constitui non potest (3); verum non ex his beneficium constat (licet interdum et vulgo et iure beneficia dicantur), sed ex officio et iure percipiendi reditus: utrum autem principaliter ex illo ceu TT.; an ex isto, ceu Canonistae (4)? Utique, verius ex hoc (5). Utrumque constitutum esse oportet auctoritate eius, cuius

(1) De *Benef. Eccl.* vide cum primis Nicol. Garzia, Tract. *De Benef. Eccl.*

(2) Pirhin., *Ad Decr.*, III, 5, 2, Reiff.: III, 5, 7; Schmalz., III, 5, 2.

(3) V. Cavall., *Inst. Iur. Can.*, P. II, Cap. 28, § 4 (caute legendus). *Non potest:* hac re *canoniae*, seu canonicatus honorarii, ministeria sacra quidem sunt, beneficia non sunt (Elbel, III, 5; V. § 20). Sed non interest, utrum res soli sint, an iura; utputa salaria quae in Belgio solvuntur pastoribus et canonicis (S.Poenit., 19 ian. 1819); reditus ex versuris publicis, nomina debitorum, etc., quod non bene negaverat Gousset, qui post responsum S. Poenit., ab hac sententia discessit (*Theol. Moral.*, I, 452).

(4) Cf. Suar., *De Relig.*, To. IV, *De Simon.*, Cap. 24, n. 1.

(5) Ex Trident., XXI, *R.*, 3; et C. ult. *De Rescr.* in 6°. Ibi : *beneficium datur propter officium.* Officium igitur est: *fundamentum et causa beneficii* (Schmalz., n. 3). Ideo Prior, Provincialis, Generalis officium et dignitatem habent, non beneficium (Pala., To. II, Tr. 13, Disp. I, Pun. IV, n. 3). Sane officia vetustissima sunt, beneficia fere a saeculo VI, post partitionem honorum ecclesiae introducta. Porro *officium* accipimus

potestate sacra officia et reditus ecclesiae continentur, idest Episcopi (6); et utrumque, verius, perpetuum esse debet, ut beneficium proprio nomine dici possit (7). Et ideo beneficium definitur: *ius perpetuum percipiendi reditus ex bonis ecclesiae propter sacrum officium, auctoritate ecclesiastica constitutum* (8).

19. Beneficia distinguuntur: I ex officiis; II ex personis quibus conferri debent; III ex modo quo conferuntur. Ex 1 sunt vel maiora vel minora: *maiora*, quibus inest externa et interna iurisdictio, uti episcopatus, abbatiae vere nullius dioecesis, praelaturae; haec omitto, quippe beneficiorum appellatione, et maxime in odiosis, venire non solent (9): infra haec *minora*. Minora si praeter officium (horas canonicas, et altaris ministerium) quid aliud eis cohaereat, velut dignitas, servitium chori, cura (actualis) animarum, etc. hodie *duplicia*, secus *simplicia* dicuntur (10). Et quae ex illis adsiduitatem idest residentiam, seu continuam, uti parochiae, seu discontinuam ceu praebendae canonicales, desiderant, sive ex iure, sive ex consuetudine, sive ex tabulis fundationum, *residentialia*, seu adsidua nuncupantur (11). Ex II quae solis cle-

etiam solam recitationem horarum canonicarum (Salm., 10, 5, 22), vel extra chorum (Reiff., 10). Ceterum beneficia ecclesiastica, *Ministeria* ecclesiae esse, neque Canonistae (Espen, *I. E. U.*, caute legendus; Berar., *Comm. in I. E. U., h. t.*, Diss. I. pr.), neque Canones (C. 7, § 2, *De Election.*) diffitentur.

(6) Ex C. 9, *De Cons.*, Dist. I; Cf. Pyrr. Corrad., *De Benefic.*, Lib. I, Cap. 2. n. 1.

(7) Cf. Engel, III, 5, 1; Vallens., *De Benefic.* Lib. 1, Tit. I, n. 6; Leuren., *For. Benefic.*, Par. I, Sect. I, Cap. I, n. 4; Schmalz., III, 5, 4; Reiff., n. 8, 9. Proinde *commendae* quando conferebantur ad tempus, beneficia non erant (C. 54, *De Elect.*).

(8) Garz., Par. I, Cap. II, n. 2. *Communissima.*

(9) Ex C. 7, *h. t.* (*De Praeb.*); C. 32, *De V. S.*; Barb., *I. E. U.*, III, IV, 50; Reiff., n. 21.

(10) Reiff. III, 5, 37. Proinde canonicatus cathedralis ecclesiae qui dignitatibus accedunt (Prol., § 88), magis duplicia, praesertim in odiosis, habentur (Engel., III, 5, 5; Reiff., n. 38; Latini, *Elem. Iur. Can.*, Lib. II, P. 3, Tit. 5, § 4). Cura *actualis;* nam beneficia habita, uti aiunt, curata, instar simplicium habentur (Riganti, *in Reg.* I *Canc.*, VIII, 8; V. Santi, *Praelect.*, III, 5, 14).

(11) Riganti, *Ad Reg.* VIII, n. 12. Residentia dividitur, 1° *in continuam*, quae nullis diebus aut horis interruptam (ut in beneficiis curatis); et *discontinuam* quae certis dumtaxat diebus et horis (ut in choralibus) praesentiam desiderat. 2° In *praecisam* et *causativam;* praecisa est quae requiritur *ratione* tituli: causativa quae oritur magis ex facto, cum scilicet eiusmodi sunt utriusque beneficii munia, quae nonnisi a duobus seorsum impleri possunt (V. Garz., XI, V, 261): ei qui ILLI deest, *titulus;* qui HUIC, *fructus* adimuntur (Espen; Latini, *h. t.*, V. § IV). Quae iure canonico exigitur, praecisa est; quae ex fundationum tabulis, utra sit ex voluntate fundatoris petendum est (Piton., *De Controv. Patron.*, Alleg. 27, 14; Rigan., *Ad Reg.* I, § VIII, 18).

ricis saecularibus, *saecularia;* quae solis regularibus conferri possunt, *regularia* dicuntur (12): sed et *haec* (regularia) praeteream, quippe fere omnia manualia, atque ideo vera beneficia non sunt (13). Demum, ex III quae collator cui mavult pro suo arbitrio decernit, *libera, seu collativa*, seu *liberae collationis;* quae sibi praesentatis conferre debet, *patronata,* seu *iuris patronatus* dici solent (14).

ART. II. *De beneficiorum erectione, suppressione, unione, et divisione.*

20. Ut beneficium ecclesiasticum constitui possit, duo sunt necessaria; dos, et erectio in titulum. *Dos:* qui dotem praestat (fundator) potest quas velit beneficio conditiones apponere, etiam iuri canonico contrarias: dummodo 1° licitae sint, nec naturae beneficiorum repugnantes (1), aut in iure nominatim explosae (2), et 2° de consensu Ordinarii, et 3° in limine fundationis apponantur; nam post excitatum beneficium, quasi perfecta donatione, qualitatem beneficii immutare, vel conditionibus in fundatione appositis derogare non potest, nec de consensu Ordinarii; nisi forte (ex aequitate) hoc et beneficio nihil noceat, et iuri canonico contrarium non sit, et salvo iure tertio forte quaesito (3). *Erectio in*

(12) Reiff., III, 5, 22. *Possunt* sive origine sua, ut parochiae, prioratus; sive ex fundatione; sive ex praescriptione. In dubio, beneficium praesumitur saeculare (Vallens., I, 2, 6; Reiff., n. 23).

(13) Schmalz., n. 35. Et in dubio manualia praesumuntur (Reiff., III, 5, 46; V. Rigant., *Ad Reg. Canc.* IX, § II, 105).

(14) Ex Extrav., 2 *De Simon.;* Salm., 19, 4, 16; Reiff., III, 5, 39. His accedunt quae *Patrimonalia* dicuntur (V. Trid., XXIV, *R.,* 18), quae scilicet clericis ex tali oppido, vel ex tali civitate (alii addunt vel ex tali dioecesi, sed vereor ne nimis late) conferri debent (Cf. Covarr.; *QQ. Pract.,* Cap. 36, n. 3; Schmalz., III, 5, 39); *electiva* quae conferuntur a capitulo per electionem ab Episcopo confirmandam (Wiestn., III, 5, 34); et *optativa* quae aliquibus competunt quodam quasi promotionis iure.

(1) Ex C. 23, *De Iurepatr.;* C. 11, *De Praeb.;* De Luca, *De Benef.,* Disc. 95, 10. V. c., ut rectori liceat illud cum alio incompatibili retinere: ut vacui fructus cedant patrono (Selvag., *Inst. Iur. Can.. h. t.,* 25, n. 23). *Dummodo,* etc., v. c., ut laicis conferri possit, vel ad tempus, etc.

(2) V. c., *institutionem* alii quam Episcopo, reservare Trid., XIV, *R.,* 12).

(3) Ex Trid., XXV, *R.,* 5; Corrad., *Prax. Benef.,* II, 10, 151; Reiff., III, 5, 113. Sed. V. Vivian., *De Iure Patron.,* Lib. XIV, Cap. 3. Eoque minus id possunt heredes patroni, vel Ordinarius (Cf. Ferrar., *h. v.,* Art. III, 15, etc.). Nihilominus in limine erectionis Ordinarius non prohibetur ea quae accidentalia sunt immutare (Ex C. C., 4 apr. 1840;

titulum (4). Erigere autem in titulum est, sacrum ministerium, et ex eo ius percipiendi reditus, constituere (5). Ideo altari opus est in quo erigatur (6) sub invocatione alicuius Sancti: quo autem in altari fuerit erectum ibi extare, eiusque loci Episcopo subesse intelligitur, tametsi bona in alia dioecesi posita sint.

21. *Suppressio* est totalis extinctio beneficii (7). *Divisio* est unius beneficii in duo, vel plura beneficia, distractio (8). Contra *unio*, duorum vel plurium beneficiorum, seu ecclesiarum, adnexio (9); diducitur in extinctivam, subiectivam, et aeque principalem (10). *Extinctiva*, seu *translativa* fit, cum ex duobus unum conflatur; in quo utriusque extincti beneficii praecipua iura et obligationes (quae insimul consistere possunt, arbitrio unientis) coalescunt (11). *Aeque principalis* habetur cum duae ecclesiae (v. c., duae cathedrales, duae parochiae) in *sola* rectoris *persona* nectuntur: titulis, iuribus, reditibus, oneribus, et honoribus utriusque seorsum integris omnino, prout antea (12). *Subiectiva* seu *accessoria* utriusque aliquid habet,

Pallott., XII, 83, ibiq. Ricc., Moneta; Lambert., *De Iurepatr.*, Lib. II, Par. I, Art. 30). Nec prohibetur beneficia *manualia,* quae vocant, consentientibus quorum interest, alicui ad vitam conferre (Corrad., I, 26, 305; Rigan., *Ad Reg.*, IX *Canc.*, § II, n. 12). At vero status beneficii mutari (*alterarsi*) potest; v. c., ut beneficium regulare fiat saeculare, iuris patronatus fiat liberum; duplex fiat simplex, vel contra, nedum usu et consuetudine, sed pluribus aliis modis (Cf. Vivian., cit. Lib. XIV, Cap. 4). Et si hoc sit utilius ecclesiae, nedum ab ipso fundatore, sed et ab herede eius, quippe qui eodem iure utitur, fieri potest (Vivian., n. 14).

(4) Ex C. 9, *De Cons.*, Dist. I; V. Lotter., 1, 5, 55; Espen., 18, 2, 20. Saltem tacita (Lotter., 1, 5, 63). Ut ecce si illud conferat quasi beneficium ecclesiasticum.

(5) Espen, XVIII, 1, 12. Porro *tituli* in veteri disciplina dicebantur ecclesiae, quibus clerici, sacrae ordinationis vi, adscripti perpetuo manebant; cuius idcirco reditibus alebantur (Cf. Gonz., in Cap. 4, *De Praeb.*). Cur *tituli,* obscurum est.

(6) Ferrar., *h. v.* Art. II, 6.

(7) Reiff., III, 12, 32.

(8) Ex C. 3, *De Eccl. Aedific.*,

(9) Garz., XII, II, 3; Reiff., n. 36. Ex C. 33, *De Praeb.* Et vel perpetua est, vel temporanea (ad vitam beneficiarii); hae hodie vetantur (Trid., VII, *R.*, 4°.).

(10) Garz., n, 7; Reiff., num. 41; Schmalz., III, 5, 150, etc.

(11) Fagn., in C. *Novit*, n. 3, *Ne Sede Vacan.* Hinc., v. c., duobus collegiatis inter se, vel duabus paroeciis uni collegiatae sic unitis, *illic,* una collegiata intelligitur; ideoque omnes utriusque canonici unum corpus efficiunt (Schmalz., n. 152); *hic* una parochia: proinde si huic duo vicarii constituti sint, non tenebitur uterque applicare, nec celebrare pro populo diebus festis, sed unus tantum (S. C. C., 24 sept. et 26 nov. 1864; *Acta,* I, 606, etc.).

(12) C. 48, Can. 16, I; C. I, *Ne Sede Vacante;* Garz., XII, II, 37; V. Schmalz., n. 157. Quamobrem si beneficia extant in diversis dioecesibus, utriusque Ordinarii consensu opus erit. Et si utrumque est residentiale, in parochiali; si utrumque parochiale est, in digniori; si nullum

nam beneficium unitum, perinde ac extinctum, transit in naturam principalis, quasi pars, praedium (13); et nihilominus status ecclesiae unitae haud mutatur, sed oportet in ea per vicarium more solito deservire (14).

22. Beneficia minora supprimit, dividit, unit Ordinarius loci, iure suo (15); atque ideo quaevis suae dioecesis, exceptis exemptis, perpetuo reservatis et regularibus; et salvis interim, quoad cetera, iuribus tertio quaesitis (16). At hodie non potest unire beneficia mensae suae, vel capitulo cathedralis ecclesiae (17), nec beneficia parochialia monasteriis, dignitatibus, etc., vel his beneficiis quae curam animarum non habent (18); nec libera beneficiis iuris patronatus (19); nec beneficia diversae dioecesis inter se (20). Amplius; suppressiones, divisiones, uniones odiosae sunt (21), et pene

dignius, ubi plebi utilius erit residere oportet, alias ubi maluerit beneficiatus (Cf. Garz., a n. 40).

(13) Garz., n. 16; Reiff., III, 12, 45, 46; Laym., *h. t.*, Lib. IV, Tract., II, Cap. IX, n. 2. Hinc, v. c., si ecclesia exempta uniatur non exemptae, vel parochia canonicatui, illa exemptionem amittit (Pirhin., III, 5, 202); haec ea aetate, qua canonicatus, conferri poterit (Garz., XII, II, 26; Schmalz., III, 5, 155) sine concursu (Reiff., n. 49); et is cui confertur debet residere in canonicatu, non in parochia (Rebuff.; Garz., n. 23; Arg. ex Cap. 30, § 1, *h. t.*).

(14) Garz., XII, II, 35.

(15) C. 8, *De Excess. Praelat.*; C. 33, *De Praebendis;* Garz., n. 62; Reiff., III, 12, 54. Et parochias dividere possunt tum iure suo (C. 3, *De Eccles. aedific.*), tum quasi delegati Sedis Apostolicae (Trident., XX, 12, 4); *hisque* divisis, partem avulsam, seu novam parochiam, presbyteris saecularibus iure suo regendam committunt (S. C. C., 25 ian. 1879; *Acta*, XII, 292). *Minora*, nam maiora R. P. reservantur (C. 2, *h. t.*, in 6°; Trid., XXIV, *R.*, 8).

(16) Ex C. 8, *De Excess. Praelat.;* Trid., XXIV, *R.*, 15. Nempe quasi alienis rebus (Garz., XII, 2, 62; Reiff., III, 12, 55; Schmalz., n. 122), *Salvis*, etc. Utputa, si beneficium quod supprimi et aliis uniri vult sit ea vice reservatum, vel affectum, vel devolutum, vel iam alteri collatum qui nondum forte possessionem eius coeperat (Garz., XII, II, 92), etc.

(17) Clem., 2, *De Reb. Eccles. non alienan.* CAPITULO, idest *Mensae capitulari;* nam singulis praebendis potest (C. 33, *De Praeb.;* Trid. XXI, *R.*, 5). Quid igitur si nulla esint in eo praebendae distinctae? S. C. C., 12 iul. 1735, censuit, uniri non posse (*Acta*, VII, 137). Immo nec fabricae, seu sacristiae (S. C. C., 24 febr. 1872; *Acta*, VII, 138); ne in synodo quidem (S. C. C., 24 mart. 1657; Pallott., XXVIII, 269).

(18) Trid. XXIV., *R.*, 3. Eoque minus in beneficia simplicia ea convertere potest (Trid., XXV, *R.*, 16).

(19) Trid., XXIV, *R.*, 13, 15. Nisi aut patronus renunciet iuri suo (Schmalz., III, 5, 168); aut conveniat alternis praesentare (Leo, *Thesaur. For. Eccl.*, II, 16, 14, ex S. C. C.); aut nisi aliter alicui parochiae provideri non posset (Zipaeus, *De Excess. Praelat.*, Cons. 5; Espen, 29, 2, 21; Schmalz., *l. c.*).

(20) Trid., XXV, *R.*, 9.

(21) V. Torricell., *De Union. Benef.*, Quaest. 882. n. 2.

instar alienationum habentur (22); ideo, ut ratae sint, fieri debent ex magna et evidenti ecclesiae necessitate, vel utilitate (22); vocatis omnibus quorum interest (24): et de consensu tum capituli cathedralis ecclesiae (25), tum eorum, quorum iura ex suppressione, divisione, unione, forte laederentur (26): at vero si evidens necessitas urgeat, Episcopus, illo quoque et his invitis (27), et in parochiis propter locorum distantiam dividendis, invito parocho (28), providere permittitur. Amplius in parochia dividenda *honor* matrici servandus est (29), qui ex DD. interpretatione, moderatam alicuius rei, puta candelae, vel modici census, annuam praestationem excedere nequit (30).

(22) Ex C. 8, in fi. *De His quae fiunt a Prael.;* De Luca, *De Parochis*, Disc. 35, 6; Reiff., V, III, 68; Schmalz., III, 5, 87.

(23) C. 33, *De Praeb.* Alias irritae sunt ipso iure (S. C. C., 23 aug. 1775; Pallot., XXVIII, 33; Garz., XII, II, 113; Leurenius, III, 909, 1). Quoad divisionem parochiarum v. *Acta*, X, 269.

(24) Ex C. 29, *De R. I.* in 6°; Wiestn., V, 31, 16; Pirhin., III, 5, 16. Velut plebe, si revera eius intersit (V. Reiff., III, 12, 76).

(25) Clem., 2, *De Reb. Ecc. non alien.;* C. 7, *De Donat.;* S. C. C., 18 dec. 1773; Garz., XII, II, 145; Reiff., n. 77; Ferrar., v. *Dismembratio*, a n. 7. Alias, unio erit nulla (S. C. C., iul. 1587; Pallott., XXVIII, 224). Nisi Episcopus procedat in eis uniendis (V. Trid., XXI, 6) tamquam delegatus Sedis Apostolicae (Fagnan. in C. *Ad Audientiam*, n. 53, *De Eccl. Aedif.*); vel nisi aliud consuetudine sit introductum (Laym., IX, 6; Garz., n. 152; Leurenius, III, 914, 9; Schmalz., III, 5, 187). Haec Canonistae vulgo in *unionibus* desiderant, sed manifeste et ad *suppressiones*, et ad *divisiones* pertinent (Ex C. 7, *De Donat.;* Berard., *I. E. U.*, Tom. II, Disc. 3, Cap. 3, v. *Iam vero;* Schmalz., 190; Latini, Tit. VII, § 8).

(26) Clem., 1, § *Ad haec, De Statu Monach.;* Reiff., V, 12, 72. Ceu ecclesiae collegiatae patroni (Ex C. 7, *De Donat.*), collatoris, forte Episcopo inferioris (Schmalz., III, 5, 187). Non item plebis (Reiff., III, 12, 76) nec rectoris (Garz., XII, 2, 214; Reiff., 79). Porro consensus capituli ad *formam*, aliorum ad *iustitiam* pertinet; ideo ab illo postea suppleri non posse verius videtur (Leurenius, III, 914, 8; Contra Garz., n. 46; Pirhin., Reiff., etc.), ab his potest (Ex C. 10, *De R. I.* in 6° V. Schmalz., 189).

(27) S. C. C., 21 nov. 1772, et ex 26 ian. 1833; Pallot., 232; Reiff., V, 12, 78; Schmalz., III, 5, 187.

(28) Ben. XIII, C. *In Supremo.* Nempe si absque *magno incommodo* ecclesia parochialis adiri nequit (Trid., XXI, *R.*, 4). Non alias nec aliter (De Luca, *De Paroch.*, Disc. 24). Porro quae diximus de divisione beneficiorum facienda, et de consensu capituli (Reiff., V, 12, 26), observari debent et in eorum *dismembratione*, quando scilicet aliqua bona seu reditus alicuius ecclesiae, vel beneficii ab eo separantur, et alio beneficio vel ecclesiae applicantur (Garz., XII, Cap. III).

(29) C. 3, *De Eccles. Aedificand. - Honor*, ideoque honoris, et non alicuius subiectionis, gratia (Fagn., in C. 3, n. 9, *De Ecci. Aedific.*).

(30) Fagn., n. 8; Ferrar., v. *Dismembratio*, n. 21. Immodicae quovis tempore delendae sunt (Ex S. C. C., 24 apr. 1880; *Acta*, XIII, 521).

ART. III. *De Iure Patronatus.*

23. Patronatus generica definitio difficilis est: constat iuribus quibusdam honorificis, quibus quis in ecclesia patronata ceteris praestat; et in primis iure exibendi clericum qui in ea sacrum ministerium exerceat (1). Et hoc iterum vel eiusmodi est ut quis seipsum collatori exhibere possit in beneficium instituendum, vel ut alium prorsus exhibere debeat; inde patronatus in passivum et activum diducitur: nobis de hoc posteriori iure et de patronato activo in primis agendum est.

24. Definitur *ius praesentandi clericum idoneum ad beneficium vacans* (2). Est aliquid spirituale temporali adnexum (3); qua temporale, in bonis est (4): et ideo etiam laicis et foeminis competere potest (5): qua est adnexum spirituali, nec infidelibus nec haereticis competit (6), et citra simoniam emi vendique non potest (7). Demum est aliquid individuum (8), licet quoad exercitium, idest, quoad suffragia praesentantium, divisionem recipiat (9).

(1) V. Card. Soglia, *Inst. Canonic., h. t.* (*De Iure Patronatus*), Lib. 2, Cap. 3, § 31; et Caesar Lambertini, *De Iur. Patr.*, Lib. I, Part. I, Art. I, n. 11 (Opus praeclarum sane, sed mole ingens, allegatu incommodissimum). Ecclesiam vero accipere debemus etiam capellam vel altare (Lamb., n. 12). Vulgo definitur: *ius praesentandi clericum ad beneficium vacans* (Reiff., III, 38, 3). Sed haec, non patronatus, verum partis eius definitio est: *solum ius praesentandi non facit patronatum*, ait De Luca (*h. t.*, Disc. 59, n. 17): et qui solum praesentandi ius habet, non potest dici patronus (Vivianus, *De Iure Patron.*, Lib. II, Cap. 9, n. 24).

(2) Reiff., *l. c.;* Devoti, *Instit. Canon.*, Lib. I, Tit. 5, § 37; Soglia, *l. c. – Ius;* nempe quoad patronum; nam quoad ecclesiam, *onus*, et quasi servitus est (Ex Trid., XXV, *R.*, 9).

(3) C. 16, *h. t.;* Garzias, *De Benefic.*, P. V. C. 9, n. 5. Atque ideo omnes causae super patronatu pertinent ad forum ecclesiasticum (C. 3, *De Iudic.*).

(4) Vivianus, IV, 4, 31.

(5) Ex CC. 3, 25, *h. t.;* Lambert., *De Iure Patron.*, Lib. I, P. I, Q. 5, Art. 8.

(6) Reiff., III, 38, nn. 44, 46; Schmalz., III, 38, 67. Sed alicubi in haereticis toleratur.

(7) V. Reiff., III, 38, 29. Et si venierit. emptor nihil acquirit (C. 16, *h. t.*), venditor patronatum amittit (Trid.. XXV, *R.* 9).

(8) Ex C. I, *h. t.;* Reiff., n. 19. Non quia ius est, sed quia per se divisionem non recipit, ut servitus, v. c., itineris. Sed a servitute distat quia ius est quod non praedio, sed personae cohaeret. Proinde ubi plures sunt patroni, singulis in solidum competit (Gratianus, *Discept. Foren.*, Disc. 552; Fagnan., in C. *Perlatum*, n. 8; De Luca, *h., t.*, Disc. 61, 1). Nec retineri, nec amitti, nec exerceri nisi in solidum potest: quod velim ne excidat, quia patet latissime.

(9) Ex C. 18, *De Sent. et Re iudic.;* Schmalz., III, 38, 15.

25. Diducitur, I in personale et reale: *personale* est quod personis, seu singularibus seu moralibus, competit; *reale* quod rei (puta feudo, castro) vel dignitati aut officio (v. c., archidiaconatui, parochiae) cohaeret (10) II In ecclesiasticum, laicale et mixtum. *Ecclesiasticum* est quod competit personis (sive collegiis) ecclesiasticis: *laicale* quod laicis competit; nempe qua sive illi sive hi tales sunt (11). Et pluribus distant (12); sed maxime, 1° quia patronis ecclesiasticis dantur sex menses praesentandum, laicis quatuor (13); 2° quia licet nedum hi, sed et illi *plures* una simul praesentare possint (14), at subinde variare (seu potius *pluries* presentare) laicis tantum concessum est (15); 3° quia beneficia I. P. ecclesiastici sunt obnoxia reservationibus, affectionibus et regulis cancellariae; laicalia non item (16). Denique *mixtum* est quod ex ecclesiastico et laicali coalescit (17). Hoc utriusque naturam induit, eique utriusque iura patronis favorabiliora comunicantur (18). Quamobrem et patronis laicis intra sex menses praesentare licet (19), et ecclesiasticis variare (20); et beneficia *reservationibus* et *affectionibus* eximun-

(10) Ex Clem., 1, *h. t.;* De Luca, D. 61, 6.

(11) Vivianus, I, 2, 8; De Luca, D. 54, 14; Reiff., III, 38, 49. - *Qua tales:* quod igitur competit Episcopis, qua sunt domini temporales, *laicale* est: quod competit confraternitatibus laicorum, *laicale* esse verius est (Covarruv., *QQ. pract.*, 36, 8; Berardi, *I. E. U. h. t.*, C. 2.).

(12) Cf. Vivian., I, 3, 21; De Luca, D. 58, 18, etc.

(13) CC. 26, 27, *h. t.;* C. un., *Eod.* in 6°.

(14) Garz., V, 9, 216; Vivian., X, IV, 4; Wiestn., III, 38, 104; Schmalz., III, 38, 194. Et est sententia collatoribus favorabilior.

(15) Ex CC. 5, 24, 29, *h. t.;* Vivian., X, I, 1. Sed *cumulative* dumtaxat. Ex citt. CC. 5, 24; Reiff., III, 38, 57 ergo minus proprie dicuntur *variare*); at pluries (Zoes., III, 38, 48; Wiestn., III, 38, 110; Reiff., 58; Schmalz., 202), quae verior et utilior sententia est.

(16) Gonzal., *Ad Reg.* VIII, Glos. 18, n. 2; Rigant., *Ad Reg.* I *Canc.*, I, 328; XIX, 43, 50; nisi praescriptione quaesitum fuerit, vel privilegio gratioso R. P. (Vivian., IV, 10, 16; De Luca, 65, 20). In dubio praesumitur laicale (De Luca, 59, 7). Tum quia plerumque a laicis fundari solent: tum quia praesumendum non est Ordinarios pati fundatum ex bonis ecclesiasticis laicale declarari: tum denique quia patronatus laici sunt favorabiliores.

(17) Ex C. un., *h. t.* in 6°. Ut puta si clericus beneficium fundaverit ex reditibus ecclesiae et suis; vel unus ex patronis laicis ecclesiam heredem fecerit (De Luca, 58, 23).

(18) Fagnan., in C. *Cum propter*, n. 26, *h. t.;* Covar., *l. c.*, 36, 5; Reiff., n. 52; V. De Luca, 65, 32. Sive aequali parte concurrerint, aequali numero coierint, quod nemo dubitat, sive inaequaliter (Vivian., VII, I, 10, ibiq. Lambertin; De Luca, D. 58, 23), quod verius puto (V. § 24, n. 8).

(19) Schmalz., III, 38, 222.

(20) Berar., To. II, Diss. IV, Cap. 2 pr., v. *In his omnibus;* Devoti, *Inst. Can.*, Lib. I, Tit. 5, § 51.

tur (21). Verum haec ita, si patroni, tum ecclesiastici tum laici, coniunctim praesentent; nam si alternis (licet ex pacto inter ipsos inito), beneficium ex praesenti patrono habebitur instar vel mere ecclesiastici, vel mere laicalis (22). Laicale autem vel hereditarium est vel familiare: *hereditarium*, quod fundator heredibus (suis vel alterius); *familiare,* seu *gentilitium,* quod alicui familiae vel genti reservavit (23): ad illud patroni veniunt quasi heredes ultimi patroni defuncti, ad hoc (quasi fideicommissarii) proprio iure (24). Utrum vero sit, cum id controvertitur, v. c., personale an reale, hereditarium an familiare, in possessorio ex praesenti patrono, in petitorio ex titulo, et in primis ex fundationum tabulis, diiudicandum est (25).

26. Iuspatronatus acquiritur, transfertur, amittitur. *Acquiritur*, 1° donatione vel constructione vel fundatione (26), factis de con-

(21) V. Ventrigl., *Prax.*, To. II, Annot. 2, § 1, n. 27; Pirhin., III, 5, 324; Riganti, *l.° c.*, 329; Gonz., Gl. 52, n. 54. - Etiam curata (Garz., IX, 1, 284).

(22) Ex L. 2. *Quib. mod. usufr. amit.;* Garz., V, 8, 64; Barbosa; Reiff., III, 38, 52; Schlmaz., III, 38, 28. *Ex pacto,* etiam sine consensu Ordinarii (Ex Clem., 2, *h. t.;* Ferraris, v. *Ius Patronatus*, II, 10).

(23) Barb.; Covarr.; Engel, III, 38, 15, etc.; Reiff., III, 38, 47. Sed, propria ac stricta significatione, familiare est ad quod vocantur omnes de sanguine, sive agnati sive cognati: gentilitium ad quod agnati dumtaxat (De Luca, D. 60, 3). Quod autem quis heredibus et familiae constituit, mixtum est, et *ex pacto et providentia dici solet* (V. Gasbar., *Inst. Iur. Can., h. t.*, Cap. XII, n. 6). Porro quod alicui personarum ordini, vel coetui (V. Prol., § 43, n. 4) constitutum est, familiari seu gentilitio proxime accedit. In hereditario omnes heredes aequali iure censentur, licet inaequaliter instituti (Reiff., II, 38, 19). *Communissima.*

(24) De Luca, V. D. 60, 24; Vivian., IV, 2, 22, etc. Proinde hereditarium donari, renunciari, praescriptione amitti potest; familiare non item (Gratian., Disp. 577, n. 74; Vivian., I, 2, 84; IV, IX, 2, 6, 24; De Luca, D. 22, 15, D. 60, nn. 21, 22). Familiare ecclesiae favorabilius censetur (De Luca, 60, 22); atque ideo hereditarium in familiare mutari potest propter necessitatem vel utilitatem ecclesiae, sed non contra (Vivian., XIV, C. IV; Tondutus, *De Pension.,* Decis. V, ibiq. Rota Romana; V. De Luca, D. XVIII, nn. 4 et 5).

(25) De Luca, D. 60, 15, omnimo videndus.

(26) Ex C. 8, *h. t.;* Trid., XIV, *R.*, 12. *Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus.* Fundare est aream, ad ecclesiam extruendam, gratis concedere. (V. De Luca, 54, n. 4). Dixi *vel*, ex Trid. XXV, *R.*, 9 (V. Reiff., n. 5). Et ipso iure acquiritur; praeterquam in ecclesiis conventualibus (C. 25, *h. t.;* De Roye, ad cit. C. 25; Cavallari, *Inst. Iuris Can.*, Tom. II; Cap. 46, 15). Ipso iure, exceptis patronatu passivo vel familiari (Berardi, *I. E. U.*, Tom. 2, Diss. IV, C. II, v. *Tertio;* Vivian., IV, 2, 12; De Luca, 54, 4). Et si plures dotaverint, omnibus aequaliter (quippe individuum), licet inaequaliter concurrerint (Lambert.; Garz., V, 9, 54; De Luca, D. 61): non item aucta dote, praeterquam ex privilegio R. P. (Garz., n. 122). Quod cum conce-

sensu Ordinarii (27); et ipso iure in heredes (seu legatarios) vel familiam transit (28); 2° concessione (nempe super ecclesia libera) solius R. P. (29); 3° praescriptione, de qua mox. *Transfertur*, nempe hereditarium de uno in alium, donatione, vel permutatione cum alio patronatu, vel alia re spirituali; immo et venditione, si agatur de patronatu reali (30), factis regulariter de consensu Ordinarii (31), dum ne fundator haec vetuerit, nec fundationis legibus contradicant (32). Verum quia nemo plus iuris in aliam transferre potest, quam ipse habet, translatio, resoluto iure transferentis, puta heredibus eius extinctis, evanescit (33). Denique *amittitur*, 1° si patronus, non reservato sibi iure patronatus, permiserit ecclesiam patronatam erigi in collegiatam vel monasterium (34), 2° *praeditur*, si nova dos maior sit antiqua, *ex iustitia;* sin minor aut par, *ex gratia* dici solet (De Luca, D. X, nn. 3, 5, ex R. R.) *Hoc* subest reservationibus apostolicis, *illud* non item (De Luca, *l. c.*, n. 65, 66).

(27) Ex C. 23, *h. t.* Etiam tacito vel ex post facto (Vivian., IV, 4, 3, ibiq. R. R.).

(28) Ex Clem., 2, *h. t.* Sed aliter hereditarium transit, aliter gentilitium. Hereditarium in omnes quidem transit, seu testamentarios seu legitimos, seu mares seu foeminas (Vivian., IV, 2, 43), et in omnes aequaliter (Hoc §, n. 26), licet inaequaliter institutos (Reiff., n. 20), sed prout hereditas ipsa, atque ideo si eam adierint (Vivian., *l. c.*, a n. 1). Familiare in omnes prorsus (Vivian., IV, 2, 28), renunciantes quoque vel exheredes. Illud ad instar hereditatis, hoc ad instar fideicommissi (De Luca, DD. 36, 6; 49, 5): atque ideo lineae et gradus praerogativa (V. Par. II, § 371) *illic* servata, *hic*, omissa (R. R., 11 mart. 1604; Vivian., IV, 2, 28; De Luca, 19, 10), et in patronos heredis immediati in stirpes; gentilitii, seu familiaris semper in capita (Vivian., *l. c.;* De Luca, DD. 32, 2, etc.; 61, 8).

(29) Sed V. Trid., XXV, *R.*, 9.

(30) CC. 7, 8, *h. t.;* C. un., *Eod. tit.* in 6°; C. 6, *De Permut.* Scilicet dumne propter ius patronatus augeatur pretium rei venditae.

(31) Ex C. 8, *h. t.;* Reiff., n. 26, 28. Nam Ordinarii est, videre utrum mutatio patroni expediat ecclesiae (Schmalz., III, 38, 142). *Regulariter*, quia non requiritur si laicus donet ecclesiae (C. un., *h. t.*, in 6°) aut compatrono (Vivian., IV, 4, 7): vel agatur de patronatu reali, hoc enim ipso iure transit in acquirentem (V. Par. II., § 126, n. 5; Vivian., IV, 17, 4). Idem iuris est hereditate vendita, si defunctus aliquo patronatu gaudebat (De Luca, 56, 15; V. Par. II., cit. § 126, n. 5).

(32) De Luca, 40, 4; Vivian., n. 66). Translatio statum mutat, si forte patronatus laicus transfertur in ecclesiam vel contra, nisi obstet voluntas fundatoris et integrum i. p., et non tantum ius praesentandi, translatum sit (De Luca, D. 59, a n. 14).

(33) Ex C. 25, *h. t.;* Pirihin., III, 38, 138.

(34) Ex C. 25, *h. t.;* Pirhin., III, 38, 138; Reiff., III, 38, 125. Ad haec, hereditarium, ultimo patrono sine ullis heredibus vita functo, evanescit, et ecclesia fit libera (Abb.; Vivian., IV, 2, 79). Non item familiare non gentilitium, sed ad instar fideicommissi, agnatitium, vel masculinum, agnatione, vel maribus extinctis, transit ad cognatos, ad foeminas (Vivian., IV, 9, 1, ibiq. R. R. 21 iunii 1602); et his quoque denique extinctis, ad heredes transit (Lambert.; Fagn.; Vivian.; *l. c.;* De Luca, 22, 16; 40, 8; Reiff., n. 24).

scriptione, et 3° *ademptione* in poenam, de qua viderint Canonistae.

27. Demum I. P. amitti, vel acquiri (et proinde de uno in alium abire) potest, usucapionibus et praescriptionibus; excepto familiari seu gentilitio (35). Sane praescriptio acquisitiva nititur quasi possessione iuris praesentandi, vel conferendi, et a praesentatione facta (36) (dummodo institutio sequuta fuerit) vel a collatione initium capit. Et, quia patronatus est ius temporale, usucapitur eo tempore eoque modo quo cetera iura temporalia usucapiuntur, idest adversus patronum ecclesiasticum 40 ann.; adversus laicum 10 inter praesentes, 20 inter absentes cum titulo colorato; et sine hoc, verius 30 (37): sin ab ecclesia libera, opus est tempore immemorabili et multiplicatis praesentationibus (38).

(35) Cf. Ferrar., v. *Iuspatronatus,* Art. I, a n. 36. - *Excepto,* etc., quia gentilitium adversus patronos (quasi fideicommissum) usucapi non potest (De Luca, *De Iur. Patr.,* Disc. 35, 7; S. C. C., 9 aug. 1862). Sed et gentilitium acquiritur centenaria possessione, non vi praescriptionis, *sed melioris tituli de mundo* (De Luca, 56 et 21).

(36) Trid., XXV, *R.*, 9.

(37) C. 24, *De Election.;* Pirhing., III, 38, 118; Reiff., III, 38, 15; V. De Luca, Disc. 57, 8; Zoes., III, 38, 9; Molina, Disp. 70, n. 2. Porro quaevis ecclesia praesumitur libera, atque ideo qui intendit sui patronatus esse, docere id debet (Vivian., XI, 4, 25; De Luca, n. 6); nempe si controversia ei ab Ordinario (Garz., V, 9, 86) mota fuerit, et salvo, in possessorio, iure interim nominandi (Vivian., n. 3, ibiq. R. R. et S. C. C.).

(38) Trid., XXV, *R.* 9. - *Multiplicatis,* idest saltem duabus, quia *pluralis* locutio *duorum* numero est *contenta* (L. 12, *De Testib.;* C. 40, *Eod. tit.* in 6°; Vivian., XI, 4, 31), quae recepta sententia est (Reiff., III, 38, 13). Quin una sufficit si praesentatus vixerit toto tempore a legibus requisito, nempe 40 vel 50 annis (Vivian., XI, 4...; De Luca, 57, 39). Verum si alia concurrant probationum adminicula, immemorabile tempus habetur ann. 40, et in potentioribus (quia in his praesumitur usurpatio) 50; *illic* utcumque, *hic, authenticis* scripturis comprobati (De Luca, 57, 38, ibiq. Gonzal.; Vivian.; XI, 4, 37; Garz., V, 9, 85, ibiq. S. C. C. et R. R.). *Adminicula,* utputa, emblemata, seu *arma,* quae vocant, *inscriptiones,* historiae, testes, fama (V. Vivian., *l. c.* a n. 18; De Luca, a n. 10); et in primis titulus coloratus (Gonzal., *Ad Reg.* VIII, Gl. 18, n. 57; De Luca, an. 38; Vivian., XI, 53). Amplius: in his in quibus praesumitur usurpatio, praesentationes *authenthicis scripturis* probari debent (V. Vivian., nn. 17, 84), et continuatas fuisse oportet (Trid., *l. c.*; Vivian., n. 83); ceterum probatis extremis mediae praesumuntur (Vivian., n. 28; De Luca, 58, 12). In his, qui usurpationis suspicione vacant, interpolatas quoque praesentationes prodesse putat Vivian., 27, ibiq. Gratian., Felin. Ita porro, si collator aliqua vice suo iure beneficium contulerit (V. § 30, n. 41), non si ad praesentationem alterius; nam hac interrumpitur possessio.

Porro potentiores accipere debemus eos qui in loco beneficii perpetuam iurisdictionem habent, nobiles, barones, Episcopos, etc. (S. C. C., apud Barbosa; Reiff., V,3 8, 4); com-

(28) In extinctiva expedita res est: nam si patronus iure praesentandi usus non fuerit; et collator iure suo (et non devolutionis, etc.) illud contulerit toto eo tempore, quo usucapiendis alienis iuribus, sive ecclesiae, sive laicorum opus est (Par. II., § 150, nn. 30, 31), patronatus amittitur et ecclesia fit libera. Verum si plures fuerint patroni, unius tantum praesentatione impeditur usucapio (Vivian., V, 4, 44; V. De Luca, 63, 28), nempe, ut opinor, quoad hunc tantum (V. § 24, n. 8).

29. Nunc de patronorum iuribus et oneribus obiter. De oneribus patronorum expedita res est: tenentur ecclesiam patronatam, vel capellam, vel altare sarta tecta servare (§ 17, n. 45); alias patronatus iure privari possunt. Iura patronorum multum per Conc. Trid. immutata fuisse translatitium est. Sed manent haec: 1° iura mere honorifica (§ 23) vélut sedis, thuris, precum, sepulturae: 2° quaedam quasi tutela ecclesiae ac rerum quae patronatu continentur: quamobrem si rector ecclesiae vel beneficii aliquid faciat vel omittat in eorum perniciem, patrono ius est eum Episcopo denunciare (39): amplius; 3° si patronatus ex dotatione competit, patrono qui *ad inopiam vergit* alimenta (V. Par. II, § 358, n. 38) praestari debent ex superfluis ecclesiae vel beneficii reditibus (40).

30. Sed praecipuum patroni ius est ius praesentandi. Itaque, vacuo beneficio, qui patronatus iure potitur vel utitur, necesse habet *praesentare* ei, ad quem pertinet institutio, intra sex aut quatuor menses quem in vacuo beneficio institui vult; alias, hoc tempore elapso, is ea vice libere beneficium confert (41): at vero

munitates, universitates (Trid., *l. c.*), idest municipia, non item collegia, nec capitula ecclesiarum (Vivian., nn. 76, 79; De Luca, n. 29); et aestimari debent ex tunc non ex nunc (De Luca, nn. 18, 25).

(39) Conc. Toletanum, IX, C. 31, 16, 7; Reiff., III, 38, 117. Immo et si quid faciat vel omittat quod ipsum dedecet. At visitationi ecclesiae et sacrae supellectilis, vel administrationi bonorum immiscere se prohibetur: nisi quatenus ex institutione vel fundatione competat (Trid., XXV, *R.*, 3).

(40) CC. 28, 29, Causa 16, 7. - *Superfluis*, nempe, deductis omnibus impensis ad cultum et ad beneficiatum alendum necessariis (Reiffens., n. 115).

(41) Porro verba haec, nominare, praesentare, eligere, postulare, non idem significant. Ad minora beneficia patroni nominant cum suffragium seu votum dant: PRAESENTANT cum sistunt collatori instituendum in beneficio. Ad MAIORA *elígitur* qui nullo, *postulatur* qui aliquo canonico impedimento laborat. Inter praesentationem et electionem plurimum distat (Cf. Vivian., V, 1, 7), et in primis quia electio a laicis non fit: immo nec a singulis clericis, sed a capitulis (V. Reiff., I, 6, 20): nihilominus his verbis interdum promiscue utimur, vel in iure (V. CC. 5, 25, *De Iure Patr.*).

tempus non currit ignoranti (42) vel impedito (43). Et integrum ei est, praesentare quot et quos velit (44); dummodo idonei aut sint, aut intra eos sex vel quatuor menses, seu iure seu dispensatione fieri possint (45): nec sint indigni. Praesentato autem ante institutionem mortuo, vel renunciante, vel facto aut detecto inidoneo vel indigno, datur patrono nova praesentatio ex integro (46). Detecto: nam si talem praesentavit sciens prudens, patronus ecclesiasticus ea vice iure suo cadit (47); laicus, verius, non item (48).

31. Clerico seu clericis Ordinario praesentatis, is necesse habet edicta proponere, ut alii ius suum, si quis se laesum putet, tueri possint. Dein si unus tantum praesentatus fuerit, hunc instituere (49):

(42) Ex C. 5, *De Concess. praebend.;* Garz., X, 2, 34. Et ignorantia praesumitur ubi scientia non probatur (C. 47, *De R. I.* in 6°).

(43) Ex cit. C. 5; Rebuff.; Barbosa; Reiff., III, 38, 55. Puta absente vel carceribus retento (Schmalz., III, 38, 221). Et quia in iure individuo versamur (§ 24, n. 8), unius ignorantia (et quidni impedimentum?) prorogat tempus etiam scientibus (Garz., X, 2, 41; De Luca, 54, 7, ibiq. R. R.).

(44) Ex C. 3, *h. t.* Compatronum quoque et consanguineum (Lambert., Vivian., etc.; V. Prol., § 44, n. 10).

(45) Ex C. 26, *De Elect.* in 6°; Fagnanus, in C. *Cum vos,* n. 32, *De O. O.*

(46) Ex C. 26, *De Elect.;* Berardi, Diss. IV, C. VII, v. *Altera species;* Ben. XIV, *De Syn.,* XIII, 7, 6; *ex integro;* idest sex iterum aut quatuor mensibus patrono concessis (Ex L. 18, *De Tut.;* De Luca, *De Benef.*, Disc. 45, 7), quia caret culpa (Reiff., III, 38, 84).

(47) Ex C. 18, *De Elect.;* Fagn; Reiff., n. 83.

(48) Glossa in C. 4, *De O. O.;* Pirhing., III, 34, 104. Contra Barb.; Reiff., n. 87; Ferrar., v. *Iuspatr.*, IV, 38. Nisi praesentatus sit inidoneus ex tabulis fundationum (Lambert.; De Luca, *h. t.,* 47 et 4), scilicet, haec ignorantia, quasi facti proprii (Ex L. 43, *De R. I.*), non excusat.

Porro non semper praesentant patroni; nam praesentare nequeunt hi qui suae mentis non sunt, veluti infantes et qui infantibus accensentur (V. Prol., § 30). Nam, 1° puberes tutorem excludunt (ex C. 3, *De Iudiciis* in 6°; V. Prol., § 33, n. 4), impuberes non item: sed si hi seorsum a patrono praesentant, praesentatus ab his potiorem esse communior sententia est, etsi minus dignus (Garz.; Reiff., n. 39). Tum, 2° quia praesentatio in fructu esse dicitur, non patronus praesentat sed is qui usumfructum habet vel omnium rerum eius; vel eius rei cui patronatus (realis) cohaeret (Lambert.; Mattheucc., Cap. 28, n. 24). Ut ecce pater, emphyteuta, maritus, si patronatus bonis quorum usufructus est penes patrem, vel fundo vectigali, aut dotali cohaeret (Garz., V, 9, 177; Vivian., II, VI, 7; Reiff., n. 34 Schmalz., a n. 83). Dixi *dotali,* nam si paraphernali (Par. II., § 563) cohae et, uxor praesentat etiam sine marito (Vivian., II, 6, 8). Demum, 3° in patronatu ecclesiastico, suspensus (nempe officio iudicis) a iurisdictione, praesentando nihil agit. (Ex C. 16, *De Elect.;* Lambert.; Vivian., n. 7). Utrum praesentare possit excommunicatus (nempe hodie vitandus) disputatur (V. Prol., § 365, n. 37).

(49) Ex C. 25, *h. t.* - *Communis* et *certa* (Reiff., III, 38, 67). Scilicet praesentatio dat *ius ad rem* (ex

sin plures; qui plura tulit vota (50); nempe idoneum et dignum et ceteris paribus (V. § 38). Nec licet eam differre diu (51). Si quae vero super I. P. controversia moveatur, siquidem inter patronos, is praefertur qui est in possessione iuris praesentandi (52); et si nemo hoc iure potiatur, lis finienda est intra tempus praesentationi statutum: alias hac vice libere confert is, cuius est institutio (53); sin cum aliis (v. c., cum Episcopo et patronis vel praesentatis), vel inter alios (ipsos praesentatos), et controversia intra supradictum tempus nondum dirempta fuerit, dandus est oeconomus quoad lis finiatur (54). Et si Ordinarius, spreto iure patrono-

C. 18, *De Sent. et Re Iud.;* Reiff., III. 7, 75), ex quo praesentatus eam acceptavit (ex C. 17, *De Praeb.* in 6°); acceptare autem debet intra tempus praesentationi praefixum (Vivian., VI, 8, 15). Nec obest si plures sint patroni, et unus tantum (vel ex collegio), ceteris negligentibus vel abstinentibus vel (in patronatu ecclesiastico) indignum vel inidoneum, scienter praesentantibus eum nominaverit (De Luca, 59, 23); quippe patronatus ius individuum est, et praesentato ius solidum praestat.

(50) CC. 18, 24, *h. t.* Etsi minus dignum. Qui *plura* etc. (V. Prol., § 44, n. 11). Haec iniri in patronatu hereditario per stirpes, non semper expeditum est. Finge, fundatorem heredes reliquisse, *Titium, Caium* et (ex Caio praemortuo) *Sempronium;* Titius unum, Caius duos, Sempronius tres heredes reliquit: unaquaeque stirps eius, quem repraesentat, iure uti, atque ideo, uno dumtaxat suffragio, sive ut vulgo dicimus *voto,* seorsum ab aliis dato, censeri debet (Cf. Lambert., L. I, P. II, 25, Art. 1, n. 8). Et si ex stirpe Sempronii duo Osium, unus Audisium praesentaverint, Audisius nec praesentatus intelligitur. Et sic deinceps, ita, nempe, ut ad suffragiorum numerum supputandum unicuique stirpi ad eum *primum,* idest ad eum *proximum* heredem (Titium-Caium-Sempronium) a quo omnes prodierunt redeundum denique sit: nisi aliud aut fundator caverit, aut inter ipsos patronos convenerit, aut praescriptione obtinuerit (V. Lambert., *l. c.,* n. 13).

(51) Reiff., III, 7, 73. *Nempe,* etc.: ideo necesse est illum examinari ab Ordinario loci (V. Trid., VII, *R.,* 13). Porro in iure nullum tempus statutum est, praeterquam in parochialibus. In his si Ordinarius neglexerit instituere praesentatum, post bimestre a praesentatione computandum, poterit *patronus habere recursum* ad Metropolitanum, vel viciniorem Ordinarium, aut ad Sedem Apostolicam (S. Pius V, *B. In Conferendis,* § 4).

(52) C. 24, *De Elect.* Et si in possessione est Ordinarius quasi patronus non debet esse deterioris conditionis quam alii (Barb.; Reiff., n. 104). Nec oberit instituto si is, a quo praesentatus fuit, postea fuerit evictus (C. 19, *h. t.*). Sed V. Reiff., III, 12, 184.

(53) CC. 3, 12, 27, 28, *De I. P.* Nisi in potestate eius fuerit, litem intra id temporis definire (Wiestn., III, 38, 94; Schmalz., III, 38, 226).

(54) Ex C. 4, *De O. O.;* Fagn., in *C. Quoniam, h. t.;* Reiff., n. 103. Eaque pendente non licet alium praesentare (CC. 1, 2, *Ut lite pendente;* Covarr., *Pract. QQ.,* C. 36, 7; S. C. C., 16 dec. 1876; *Acta,* X, 119). Sed tempus non currit impeditis (Reiff., 105; Fagn., *l. c.;* Schmalz., III, 38, 226; S. C. C., 4 martii 1876; *Acta* IX, 264).

rum, vel eorum qui praesentati fuerint, contulerit beneficium, illis vel his reclamantibus, vitiosa collatio, verius, irritanda est: tacentibus, post elapsum praesentationis tempus, *quasi* tacite consentientibus, rata manet (55).

CAPUT II.

DE BENEFICIIS CONFERENDIS (1).

ART. I. *Quinam beneficia conferre possint.*

32. In veteri disciplina qui ordines, hi et beneficia conferebant, idest Episcopi (2). In nova etiam R. Pontifex ea confert in toto terrarum orbe; et alicubi ea conferunt inferiores quoque; nempe canonici ecclesiarum cathedralium ex iure communi (3); aliique vel ex consuetudine, vel ex privilegio, vel ex tabulis (sed vide § 20, n. 2) fundationum (4): verum de his viderint Canonistae. Nobis de R. P. et de Episcopis agendum est quam paucissimis, nostra haec enim non sunt. Illud ante omnia admonendi sumus, Episcopos conferre beneficia ordinario iure suo; Rom. vero Pontificem extraordinario, et velut exceptionis iure; quod idcirco strictam, et in dubiis Episcopis favorabilem, interpretationem recipit (5). Et vel

(55) Ex C. 14, *De Iure patr.* - *Verius* (Cf. Reiff., III, 38, 70; Schmalz., III, 38, nn. 119, 176; Garz., VII, 15, 7).

(1) *Conferre* beneficia heic accipimus lata et *vulgari* significatione; *propria* enim in liberis COLLATIO, in patronatis INSTITUTIO, in devolutis PROVISIO dicitur. Ceterum provisio etiam usu iuris generale nomen est (C. 1, *De Praeb.* in 6°); quod proinde in favorabilibus lata, in odiosis stricta significatione accipiendum est (Reiff., I, 7, 17).

(2) Concil. Antioch., in C. 5, Cau. 10, Q. 1; Conc. Lateran., I, Can. 4.

(3) C. 4, *De Excessib. Praelat.* Ubi autem Episcopi et capitula cathedralium ea conferunt una simul (ut olim), cum ius huiusmodi individuum sit, utrisque in solidum competit eodem *ordinario* iure (Glos.; Gonz.; Rigant., *Ad Reg.*, II, 25); atque ideo uno impedito, v. c., Episcopo mortuo, vel capitulo a beneficiorum collatione suspenso, qui non impeditur solus sine alio beneficium confert (C. un., *Ne sede Vacan.* in 6°): nisi alternis conferant.

(4) Ex C. ult., *De Praebend.* in 6°. Ex privilegio clauso in corpore iuris ea conferunt Legati a latere in provincia quisque sua (C. 1, *De O. L.*); dum ne sint reservata vel affecta (Ex C. 12, *De Praeb.* in 6°; Glos., ibi; Garz., V, 3, 53).

(5) Ex C. 3, *De O. L.* in 6°. *Communissima* Canonistarum. Et appellatione Episcoporum veniunt etiam Abbates *vere nullius* dioecesis (Schmalz., III, V, 42). At vero, quia collatio beneficiorum magis instar donationis (C. 17, *De Praeb.* in 6°), quam actus iurisdictionis (V.Rigant., *Ad Reg.* II, § III, 50) habetur, beneficia quae ad liberam solius Episcopi collationem pertinent, neque vicarius eius generalis conferre potest, sine mandato speciali (C. ult.,

reservationis iure ea confert, vel *devolutionis*, vel *praeventionis* iure.

33. Reservatio est: *collationis beneficii vacantis ad R. P. avocatio* (6). *Beneficii*, nempe propria et stricta significatione (7), quia versamur in odiosis: *vacantis*, nam facta, post illud collatum, non tenet (8). Reservationum triplex genus constitui potest; nam, I. vel ratione ipsius beneficii (reales) introductae sunt; vel, II. ratione personarum qui ea, dum plena fuerunt, obtinebant; aut loci vel temporis quo vacua fiunt; vel, III. in poenam. *Illae* perpetuae sunt, *istae* et *hae* praesenti R. P. collatione consumuntur (9); et si in *Regulis Cancellariae* comprehensae sunt, vacua Sede cessant (10). Itaque, ex I. capite, R. P. reservantur maior cuiusque cathedralis, et principalis cuiusque collegiatae ecclesiae dignitas (dummodo earum reditus excedant decem aureos de camera) (11). Ex II. (ratione

De O. V. in 6°); neque vicarius capitularis, etsi plena Sede Episcopali vacaverint (C. 2, *Ne sede Vacan.*; C. un., *Eod tit.* in 6°). At patronata, in quibus institutio donationis praesefert nihil, vicarium generalem instituere posse, nisi Episcopus vetuerit, vix non certi (Lambert., P. III, Lib. 2, Art. 5); vicarium capitularem, certi prorsus (C. 1, *De Instit.*, in 6°) iuris est.

(6) Cf. Rigant., *Ad Reg.* I, § 1, 31. Reservatio, nisi decreto irritanti munita fuerit, illicitam quidem, at non irritam, facit collationem inferioris (Rigant., nn. 51, 80; V. Prol., § 210, n. 4). De hac materia paucis sed belle Engel (III, 5, a n. 7).

(7) Gonzal., *Ad Reg. Canc.*, VII; Glos., V, § V, 6; Chokier, *Ad* cit. *Reg.* VIII, Glos., I, § 5; Rigant., *Ad Reg.* VIII, § I, n. 7; IX, § II, 10.

(8) Ex C. 5, *De Praeb.* in 6°; *Regg. Cancell.*, 4, 5, 32. Tametsi beneficiatus nondum possessionem eius coeperit (Rigant., app. *Ad Reg.*, I, § I, 94); immo etsi nondum bullas expedierit, quippe quae magis ad rei probationem pertinent (Cf. Rosa, *De Execut. Liter. Apost.*, Par., I, Cap. VI, n. 199).

(9) Cf. Rosa, *l. c.*; Gonzal., *Ad Reg.*, VIII, Glos. 15, § 2, n. 31. Proinde si beneficiatus, collatione acceptata (Ex C. 17, *De Praeb.* in 6°), nondum coepta possessione, decesserit, beneficium vacat per obitum, et collatio ad Ordinarium redit, nisi sub alia reservatione reincidat (Rigant., *Ad Reg.* I, § I, 94).

(10) Scilicet Regulae Canc. Apostolicae mortuo Pontifice intercidunt, et postridie electionis novi Pontificis reviviscunt; nempe, quoad validitatem actuum, ipso iure; quoad poenas, ex quo denuo publicatae fuerint (Gomes, *Prooem. Reg.*, IX, 2; Rigant., *Prooem.*, nn. 43, 56). Ceterum reservationes, sive in his, sive in constitutionibus pontificiis, sive in corpore iuris contineantur, non cessant, regulariter, etsi postea is casus inciderit, in quo initium habere non potuissent, sed beneficia *affecta* remanent (Extr., *Ad Regimen, De Praeb.* inter Comm.; *Reg.* II); atque ideo R. P. obnoxia (Ex C. 2, *De Confir. utili*). Proinde, v. c., *personales* non cessant beneficio, dimisso, aut beneficiato mortuo vacua Sede Pontificia: et beneficia quae vacant vacua Sede Episcopali, a novo Episcopo conferri non possunt (Gonz., *Reg.* VIII, Gl. IX, § 186).

(11) *Reg.* IV. Licet unica utrobique ea sit (Garz., V, 1, 267).

personarum), 1° quae officiales romanae curiae (12), collectores et subcollectores R. C. A. (13), dum tales erant, obtinebant (14); 2° quae vacant (ratione loci) *in curia*, vel apud *sedem;* sive per obitum (15), sive per depositionem, aut privationem (16), vel renunciationem in manu R. P. (17), vel per assecutionem alterius beneficii incompatibilis ab eo collati (18): vel in titulis S. R. E. Cardinalium vacant dum absunt (19). 3° Demum (ratione temporis) quae vacant vacua sede episcopali, dummodo sint liberae collationis solius Ordinarii (20); aut mensibus pontificiis vacent (21). Ex

(12) Extrav., *Ad Regimen* (Ben. XII); *Reg. Canc.,* I. Eiusmodi cum primis sunt quae obtinent S. R. E. Cardinales, eorumque familiares: familiares, cubiculares (vel honoris tantum) et cursores Romani Pontificis (*Reg.* IV, VII).

(13) *Reg.* IV. Nempe queis, non nudum exigendi ministerium, sed et iurisdictio mandata est (Leur., II, 548; Lotter., II, 32, 150; Rigant., *Ad* cit. *Reg.* IV, 17, 65). Et unius (collectoris) tantum in unaquaque dioecesi (Ex *Reg.* V): quamobrem si duo sint, reservatio cessat (Rigant., n. 17).

(14) *Regulae* I, IV, V, VII.

(15) C. *Licet*, 2, *De Praeb.* in 6° Idest eorum qui ad romanam curiam venientes pro quibuscumque negociis (Ex Extr., *Ad Regimen*, int. Comm.) vel ab ea recedentes; vel ipsorum curialium quos domum non habentes nec in finitimis intra duas dietas (C. 34, *De Praeb.* in 6°. Bonif. VIII), idest 40 milliaria (L. 1, *Si quis caution.*), mori contigerit. Sed curialium, qui dum curiam sequuntur alicubi infirmi remanserint, ibique mortem obierint, beneficia reservantur ubicumque decesserint (cit. C. 34). Hae reservationes dicuntur *clausae in corpore iuris.*

(16) Extr. *Execrabilis,* Ioann. XXII; *Reg.* 1. Sed ut *vacare* dicantur in *curia* (Romana) necesse est: 1° ut sententia auctoritate Apost. lata sit; nam si ab Ordinario lata fuerit, beneficium apud ipsum vacat (Mandos., Conf. II); 2° ut non sit criminis tantum declaratoria; utque demum, 3° privatio beneficii ex ea necessario sequatur, et non tantum indirecte, et per accidens; puta beneficiario ad vitam condemnato (Cf. Gonzal., Gl. 13, 45; Garz., V, I, 73; Lotter., II, 27, 30; Rigant. *Ad Reg.* I, § 1, 62, etc.).

(17) Extr., 4 et 13, *De Praeb.* int. Comm.

(18) Extr. *Execrabilis; Reg.* 1. - *Incompatibilis;* nempe, ex iure quod viguit eo tempore, quo cit. Extr. edita fuit (Ex cit. *Reg.* I). *Assecutionem,* nempe pacificam, iuris et facti (Rigant., § IX, 7).

(19) *Reg.* VIII.

(20) *Reg.* II; V. Rigant., *ibid.*, § III, 381.

(21) *Reg.* IX. Nempe ianuario et februario, aprili et maio, iulio et augusto, octobri et novembri. Dies autem mensium a media nocte computantur (Garz., V, I, 523; Gonz., ad hanc *Reg.* IX, Glos. II, n. 9). Et si non appareat utrum beneficiatus decesserit in mense Pontificio, vel Ordinarii (ut puta si sub mediam noctem utriusque mensis spiritum emisit, sed quo momento temporis non apparet; vel si mane mortuus inventus est), collatio Episcopi praevalet, tametsi S. Sedes prior contulerit (Garz., 530; Gonzal., n. 37; Schmalz., III, 5, 309), et provisus a S. S. possessionem coeperit (Rigant., *Ad Reg.* IX, § 1, n. 2, 32 etc.; Palaus; Salm., 28, 556). Porro haec reservatio subsidiaria est, nam ea tantum beneficia attingit, quae ce-

III. tandem, beneficia, 1° de quibus ordinarii collatores disposuerint contra Conc. Trident. decreta (22); et in primis parochiae (nempe quae ad liberam Episcopi *collationem* pertinent), si contra, vel praeter formam ab eo concilio praescriptam collatae fuerint (23); 2° beneficia resignata neglecta publicationis forma (24); 3° collata filiis haereticorum (25). Amplius: 4° si quis dimisso beneficio in manu Ordinarii, aliud residentiale beneficium cum eo incompatibile obtinuerit a R. P., illud (quasi in fraudem dimissum) R. P. reservatur (26).

teras omnes reservationes effugiunt (Tondut.; Garz., V, I, 540; Rigant., *l. c.*, § II, 3). Sed, 1° OMNIA PRORSUS (Cit. *Reg.* IX); ea QUOQUE quae conferenda sunt *per Concursum;* ceu curata, licet tenuissima (Rigant., § II, 74); praebendas *Theologales* et *Poenitentiarias* (Bened. XIII, C. *Pastoralis*); *optativa* (*Reg.* IX; Rigant., n. 135). Et, 2° QUOMODOCUMQUE vacaverint (Cit. *Reg.* IX; V. Const. 38, S. Pii V; Rigant., § III, 31): etiam per sentent. iudicis (Gonz., Gl., XV, 156). Quae si condemnatoria fuerit, beneficium vacare intelligitur quo die publicata ea fuit; sin declaratoria, quo crimen admissum (V. Rigant., *Ad Reg.* I, § II, 62). Ab hac regula IX excipiuntur beneficia renunciata in manibus Ordinarii, de quibus propediem. 3° Quae vacant per assecutionem alterius beneficii collati ab Ordinario in suo mense (Gonz., *hic*, Gl. X, V, § 2; Chokier, *hic*, Gl. VII), etsi beneficiatus possessionem coeperit in mense Pontificis (Gonz., n. 42; Rigant., § II, 373): et Vicariae perpetuae. Amplius: S. R. E. Cardinalibus concedi solet per *breve* ut ea conferre possint, dum ne sint alio nomine reservata, sed ea lege ut provisio expediatur per S. Datar. Apost. si reditus beneficii excedat 24 aureos de Camera (Rigant., § 3, n. 153).

(22) *Reg.* I. Puta si beneficium curatum minori ann. 25, aut regulari contulerit.

(23) S. Pius V, C. *In conferendis;* Rigant., *Ad Reg.* I, § X, 12.

(24) Greg. XIII, C. *Humano vix iudicio.*

(25) Greg. XIII. C. *In Ecclesiis.*

(26) *Reg.* III. Nempe praesumptione iuris et de iure; ideoque nihil proderit bona fides (Lotter., II, 27, 39; Pitton, *Discept. Eccl.*, 12, 72; Rigant., *Ad Reg.* III, 75) in foro externo (Prol., § 208, n. 64). Secus si ei, qui obtinet beneficium incompatibile, secundum collatum fuerit ab Ordinario, et ille distulerit possessionem eius capere ad mensem Ordinarii (De Luca, *De Benef.*, D. 120, 2; Garz., XI, 5, 51; Rigant., 94): scilicet, *odia sunt restringenda;* cumque hoc nusquam vetitum sit, beneficiatus iure suo utitur. Ad haec sunt crimina quae beneficii vacationem, et nonnunquam etiam reservationem, inducunt; ut haeresis (S. Pius V, C. *Cum ex Apostolatus*), simonia confidentialis (S. Pius V. C. *Intolerabilem*), etc.: de his adi Canonistas; nos iuvat potius de Concordatis quae penes nos vigent paucis agere.

I. In magno Hetruriae ducatu ius canonicum plane viget; nam etsi Magnus Dux Petrus Leopoldus superiori saeculo obstiterit reservationibus Pontificiis, beneficia reservata, ab Episcopis quidem, sed auctoritate Apostolica usque ad ann. 1873 collata sunt, et etiamnum, post L. 15 Maii 1871, ex indulgentia R. P. interim conferuntur.

II. Viget et in Regno Subalpino; in quo proinde omnia beneficia *ex iure*, et *ex regulis* conferuntur; ex ceptis simplicibus, quae, ex consue-

34. *At vero* beneficia quae vacant in Curia *per obitum*, nisi intra mensem *a die vacationis* collata fuerint, ad Ordinarios suos collatores redeunt (27). Reservationes autem quae Cancellariae *Regulis* sunt introductae, quia regulae intercidunt morte R. P., cessant vacua Sede Pontificia; ideoque si eo tempore vacent beneficia *huic* reservata, eorum collatio redit *interim* ad Ordinarios (28). At ec-

tudine universali et inveterata, omnia ab Episcopis conferri solent.

III. Viget et in provinciis ditioni Austriacae olim subiectis (Arg. ex Concord. ann. 1856, Art. 34). Tantum prima cuiusque ecclesiae cathedralis dignitas, si iuris patronatus privati est, ad S. S. non pertinet, verum secunda (Art. 22). Sed omnes aliae dignitates, et praebendae canonicales, quae nec liberae collationis, nec I. P. sunt; item omnes canonicatus, et parochiae, quae pendent ex patronatu profluente ex religionis aut studiorum praesidio (*Fondo di religione e degli studii*), ad principalem nominationem, atque ideo ad Episcopi institutionem, pertinent (Artic. 22, 25).

IV. In regno utriusque Siciliae – Adhuc vigent reservationes *clausae in corpore Iuris;* hisce enim non fuisse derogatum per Concord. ann. 1818, eo ipso anno delectus Episcoporum coetus (*La Commissione de' Vescovi*) censuit. Ad haec, ex eodem Concordatu pertinent ad collationem R. P., 1°, Abbatiae concistoriales, quae regii patronatus non sunt (Art. 8). 2° Prima cuiusque collegiatae, et cathedralis dignitas (Art. 10). 3° Omnes canonicatus, et beneficia quae vacant sex prioribus mensibus anni (Art. 8, 10). Verum parochiae, quocumque anni tempore vacaverint, ab Episcopis conferenda sunt; exceptis, 1° vacaturis *in curia;* aut, 2° quarum parochi fuerint a S. S. de aliqua ecclesiastica dignitate. aut canonicatu provisi (Art. 11); vel, 3° quae dignitatibus sunt adnexae, quarum collatio R. P. perpetuo reservata est (cit. Delect. Epp. etc.). Amplius: AA. 8, 9, non fuit, verius, adempta Episcopis facultas conferendi beneficia renunciata in suis manibus in mense Apostolico et vacantia vacua Sede Apostolica: 1° quia concordata regulariter, meliorem Episcopis, non *deteriorem* causam praestant; 2° quia derogationes legum non sunt facile praesumendae (Prol., § 179, n. 13); 3° quia in dubiis pro Episcopis respondendum est (§ 32, n. 5).

(27) C. *Statutum*, 3, *De Praeb.* in 6°; Reiff.. III, 5, 442. Verum non privative quoad R. P. (Glos., *ibid.*, v. *Per se ipsos;* Rigant., *Ad Reg.* I, § 1, 366). A die *vacationis,* et non scientiae (Chokier, *Ad Reg.* I, n. 23; Pirhin., III, 5, 328). Sunt qui putant cit. C. *Statutum* revocatum fuisse, per Extrav. *Piae Sollicitudinis, De Praeb.* int. Comm. (Gonz., *Ad Reg.* VIII, § 5; *Prooem.*, n. 148), seu per Extrav. *Ad Regimen;* quod alii plures negant (V. Lotter., II, 27, 52). Et recte: nam ILLA (in qua de revocatione huiusmodi nec vola nec vestigium) anterior est; edita enim fuit a Bonif. VIII, I° Pontificatus sui anno, cap. autem *Statutum* IV°, quando *Sext. Decret.* edidit; HAEC Pontificis (Bened. XII) morte expiravit.

(28) Chokier, *Ad Reg.* I, n. 23; Leuren., II, 598; De Luca, *De Benef.*, D. 16, 7; Engel, III, 5, 19; Schmalz., III, 5, 131. Dum ne iam contraxerint reservationem; ut ecce reservata ratione ipsius beneficii, vel personarum (§ 33). *Interim;* nam electo novo Pontifice, et restitutis Canc. Regulis, reservatio omnium beneficiorum, quae nondum collata fuerint (seu plena iam Sede Ap., *Reg.* 2; seu postea, ea vacua, *Reg.* 69, vacaverint), *postero* electionis die (Rig., *ib.*, n. 33) reviviscit.

clesiae parochiales, ne diutina earum *vacatio* fidelibus noceat, si R. P. eas nondum contulerit, Sede Apostolica *plena*, post mensem; *vacua*, illico ad suos collatores redeunt (29).

35. Quando nulla subest reservatio, R. P. interdum confert beneficia *iure devolutionis*. Scilicet inferiores collatores necesse habent conferre beneficia intra sex menses (30); alias collatio pro ea vice ad superiorem immediatum devolvitur (31). Verum heic suppletur *negligentia* collatorum: ideo tempus non currit ignoranti (32), vel impedito (33): immo si is post modicum tempus elapsum contulerit beneficium, aequum est collationem hanc tolerari (et toleratur), quasi celeri satisfactione mora purgata (34). Devolutio *regulariter* post id temporis fit ad Superiorem immediatum; puta a capitulo ad Episcopum (35), ab Episcopo ad Metropolitanum, a Metropolitano ad R. P.; eoque sistit. *Regulariter*, nam ad R. P. immediate devolvuntur ecclesiae exemptae (36), parochiae (37), et beneficia resignata in manibus Ordinarii (38). Verum haec in beneficiis liberae collationis: etenim in patronatis, quia nullum tempus

(29) C. *Si Apostolica*, 35, *De Praeben.* in 6°; Reiff., III, 5, 444. – *Ne diutina* etc.; atque ideo, nedum si *per obitum apud Sedem*, ut in cit. C. 35, sed quomodocumque (ut ecce per non publicatam renunciationem) vacaverint (Gonz., *Ad Reg.* VIII, *Prooem.*, § 5, 38; Pirhin., III, 5, 377; Rigant., *Ad Reg.* I, § I, 403): et quamvis R. P. eas sibi speciatim reservaverit; vel Ordinarius (cum forte vacaverint mense Pontificio), facto concursu, digniorem Datariae iam significaverit (Rigant., 405, 414). Et cum hoc *iure*, non *regulis*, constitutum sit, post has quoque restitutas hoc ius obtinere mihi verior sententia est. Quae et ipsi Rigantio, (*Ad Reg.* 68, n. 14) est *valde probabilis*, licet ipse contrariam sequendam putet, quasi usu receptam. At vero beneficia parochialia accipere debemus queis animarum cura primario, et actu cohaeret (De Luca, *De Benef.*, Disc. 245; Rigant., cit. n. 390).

(30) C. 2, *De Concess. Praeb.*

(31) C. 41, *De Election.*

(32) C. 3, *De Suppl. negl. Praeb.*

(33) C. 5, *De Conc. Praeb.* Quamvis sua culpa, ut ecce in exilium electo, suspenso (Ex cit. C. 5, ibique Fagn., n. 33, etc.). Et admittitur quaevis iusta et probabilis excusatio (Rigant., *Ad Reg.*, nn. 1, 2). Ex hoc capite, lite pendente (V. § 31, n. 55), devolutio ne intelligi quidem potest (CC. 1, 2, *Ut lite pend.* in 6°; Clem., I, *Eod. tit.*).

(34) Ex C. ult., *De Locat.;* Engel, III, 5, 65. Nec in foro conscientiae oportet inquietari eum qui beneficium accepit (Pirhin., III, 10, 4; Schmalz., III, 10, 5).

(35) C. 2, *De Conc. Praeb.* Nempe, si collatio ad ipsum pertinet privative quoad *Episcopum* (Ex C. 15, *De Conc. Praeb.;* Rigant., *Ad Reg.* IX, § III, 126). Et ex diverso si neglexerit Episcopus, collatio devolvitur ad Capitulum (cit. C. 2): sed hoc obsolevit.

(36) Vallens., II, 20, 70.

(37) C. S. Pii V, *In conferendis.*

(38) Gregor. XIII, *Humano vix iudicio.*

institutioni, exceptis parochialibus, praefinitum est (§ 31, n. 51), devolutio cessat (39).

36. Postremo beneficia quae nec reservata sunt, nec devoluta, R. P. interdum confert *iure praeventionis*, sed vacua tantum (40). Immo si vel *manum* tantum super aliquo beneficio *apposuerit*, beneficium *affectum* facit, affectio autem tacitam reservationem praestat (41). Verum ut beneficium affectum, atque ideo reservatum dici possit, necesse est ut R. P. super eo manum revera apposuerit, 1° *facto aliquo* (42); 2° illud collaturus (43); 3° sciens volens. Itaque si erraverit circa beneficii conditionem, ut puta quia reservatum putavit (44), aut vacuum, aut non manuale (45); vel circa causam motivam erraverit; v. c., si coadiutorem dederit cum futura successione quia coadiutum infirmum putavit (46), affectio cessat (47). Denique si R. P. (vel eius Legatus), iure *praeventio-*

(39) Lambert., P. III, Lib. 2, q. 2; Garz., X, IV, 1; Vivian., XII, 4, 7. Verum quia causae omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam beneficiales, intra biennium sunt terminandae (alias fas erit partibus superiores a quo terminentur adire, Trid., XXIV, 20), post id tempus elapsum, non ambigitur, posse praesentatum, vel patronos hunc adire (Lambert.; Vivian., n. 14). At quod hic possit sponte sua praefigere inferiori tempus ad instituendum (quod hi docent satis hercule confidenter), videtur devium prorsus. Verum haec ita si patroni praesentaverint *instituendum;* alias, quia Ordinarius pro ea vice *confert*, devolutioni locus erit (Ex *Reg. Cancell.* 42).

(40) Trid., XXIV, *R.*, 19 sustulit *mandata de providendo, et expectativas.*

(41) Extr., *Ad Regimen*, 13, *De Praeb.* inter Comm.; Garz., V, 1, 62; Lott., II, 26, 28. Et est reservatio potentior ceteris (Rebuf., *Prax. De Rescr.*, n. 34; Reiff., III, 5, 412); nec eget decreto irritante (Rigant., *Ad Rubr.*, § 1, 86).

(42) Gonz., in *Reg.* VIII, Gl. 52, n. 4; Rig., *In Rubr.* etc., § I, 75. Ut ecce, si in commendam, vel administrandum tradidit (De Luca, *De Benef.*, Disc. 4, 9; Reiff., III, 5, 416): si Electoribus vetuerit ad electionem procedere (Ex C. 45, *De Elect.* in 6°): si iusserit in suis manibus renunciari (Gonz., *l. c.*, n. 14; Reiff., n. 417): si beneficiato dederit coadiutorem cum futura successione (Rigant., n. 87).

(43) Gonz., *l. c.*, n. 38; Lott., Q. 26, 30; V. Rig., *Ad Reg.* I, § VII, 119. Itaque *affectio* non intelligitur si ex beneficio pensionem decerpsit (Reiff., n. 422): si promoto ad Episcopatum sinit retinere canonicatum; vel alii sinit retinere beneficium incompatibile: quod proinde cum vacat, eo mortuo, *per obitum* vacare intelligitur (V. Rig., n. 120, etc.).

(44) Gonz., *in Reg.* VIII, Gl. 52, 38; Garz., V, 1, 175; Lott., II, 26, 30.

(45) Rigant., *Ad Rubr.*, § I, 97.

(46) Gonz., Gl. 5, § 6, n. 22; Rig. n. 107. Item si ignoravit esse I. P. laicalis, aut mixti (Gonz., Gl., 52, n. 54; Rigant., n. 106).

(47) Rig., *Ad Rubr.*, § I, 99. Amplius; quoties affectio oritur ex reservatione, si haec non sustinetur, corruit affectio. Ut puta si quis resignaverit beneficium in favorem Seii, et Seius eo nondum acceptato (Garz.,

nis, uni beneficium conferat, alteri Episcopus iure suo, nec appareat uter prius contulerit, is praefertur qui prior beneficii possessionem coepit; si nemo coepit, is cui R. P. (aut Legatus) contulit (48). At vero si utraque collatio eodem die sit facta, et Rescripto Pontificio sola dies, Episcopali dies et hora adscripta fuerint, haec potior erit (49).

Art. II. *De Promovendis ad ecclesiastica Beneficia.*

37. A beneficiis ecclesiasticis arcentur incapaces, seu inidonei, et indigni. *Incapaces* sunt qui officio quod beneficio cohaeret defungi nequeunt seu absolute, seu relative. *Absolute* incapaces (ut foeminas, laicos, coniugatos et prorsus illiteratos (1) praeteream) sunt, 1° propter censuram, excommunicati vitandi (2); 2° propter irregularitatem, filii illegitimi (Prol., § 432); haeretici, eorumque receptatores, fautores etc. (3); et schismatici (4): 3° demum ex va-

V, 1, 154; Leuren., T. III, 348, 1), vel intra vicesimum diem (Rigant., *Ad Reg.* XIX, 115, etc.), mortem obierit. Porro appositio manuum tunc facta intelligitur cum signatur gratia, etsi nondum (V. Const. 41, Greg. XIII; Rig., *Ad Rubr.*, § I, 110) datata fuerit; et sola beneficii collatione consumitur (Gonz., *Ad Reg.* VIII, Gl. 15, § 2, n. 31; Lott., II, 26, 39). *Collatione*, nempe, verius, valida (Ex C. 52, *De R. I.* in 6°; Rigant., *Ad Rubr.*, § I, 52; Schmalz., III, 5, 211). *Sola*, ideoque etsi beneficiatus nondum capta possessione decesserit, affectio cessat (Rigant., n. 110, et *Ad Reg.* I, § I, 120).

(48) C. 31, *De Praeb.* in 6°.

(49) Rebuff., *De Pacif. Poss.*, V, 299; Schmalz., III, 5, 55; ib. Barb., Pirh., Palaus.

(1) C. 1, Dist. 36; C. 2, *De Cler. contra* etc.; Garz., VII, 1, 13; Reiff., V, 37, 78.

(2) Prol., § 365, n. 34. Utrum et *interdicti*, et *suspensi?* Multi, inter incapaces et indignos nihil distinguentes, affirmant (Less., II, 34, 116; Ferrar., v. *Beneficium*, V, 70): nempe interdicti (argum. ex C. 1, *De Post. Praelat.*); suspensi ex his quae Innoc. III respondit in C. 8, *De Consuetud.*; CC. 16, 26, *De Elect.*; C. 8, *De Aet. et qual. ordinand.* Sed, quoad *interdictos*, hoc argumenti genus incivile est (Prol. § 304) et a natura interdicti alienum (*Ib.*, § 371). Quoad *suspensos*, primum et secundum Innoc. III responsum non cogunt; tertium et quartum favent magis, quippe alterum ex his iubet suspensum *amoveri* quasi *indignum;* alterum spoliari iubet et eo beneficio quod is dum suspensus erat, et his *quae antea* fuerat adeptus. Merito igitur contrarium docent Suar. (*De Cens.*, 26, 3, 8; 27, 1, 26), Laym., Conci., Antoine, S. Alphon. (VII, 316); et *satis probabile* est vel ipsi Lessio (*l. c.*).

(3) C. 2, *De Haeret.* in 6°; V. Prol., § 431.

(4) C. 5, *De Elect.* Etsi haeresim, vel schisma eiuraverint (Garz., X, X, 81, 161): scilicet irregularitas, cum semel fuerit contracta, perpetua est. Porro haec irregularitas oritur ex famae defectu; ideo non contrahitur nisi haeresis et schisma

riis causarum figuris, homicidae (5), filii haereticorum in linea materna usque ad primum gradum, in paterna usque ad secundum (6). *Relative*, 1° ob defectum ordinis, si beneficio adnexus sit sive ex iure, sive ex tabulis fundationis, ordo sacer; et siquidem *actu*, qui eo caret; sin *aptitudine*, qui illum infra annum suscipere ex iure non potest (7). Porro aptitudine presbyteratus adnexus est beneficiis curatis (8), et praeposituris, dignitatibus, ut archidiaconatui (9): canonicatibus vero cathedralis ecclesiae, si in eis facta sit ordinum distributio, aliis hypodiaconatus, aliis diaconatus, aliis presbyteratus (10). 2° Ex defectu aetatis inidonei sunt canonicatui Poenitentiario obtinendo qui 40^{m} (11); beneficiis curatis qui 25^{m} (12) aetatis annum nondum fuerint ingressi: dignitatibus, quibus animarum cura nulla subest, qui 22^{m} necdum impleverint (13). Ceteris autem beneficiis obtinendis sufficit 14^{m} aetatis ann. attigisse (14), etiam canonicatibus in ecclesiis collegiatis (15). Demum, 3° (ad memoriam paternae incontinentiae, et ad successiones heinc removendas), filii

innotuerint (Garz., n. 83; V. Reiff., V, 7, 186): sed ipso iure contrahitur, quae omnium, nemine excepto, sententia est (V. Prol., §§ 430, 431).

(5) Trid., XXIV, *R.*, 7; Reiff., V, 12, 23. Ideoque et hi qui effecerunt, ut mulier foetum (Xyst. V., *C. Aeffrenatam*) animatum (Greg. XIV, C. *Sedes Apostolica*) abigeret (Prol., § 421, n. 2).

(6) C. 15, *De Haeret.* in 6°. Nempe *ob proscriptum genus*. Atque ideo, si aut parentes haeresim iam eiuraverint (Cit. C. 15), aut haeresis sit occulta (Less., II, 34, 121), idonei sunt.

(7) C. 5, *De Aet. et qual.;* Trid., XXII, *R.*, 4; Garz., VII, I, III, IV, 50. Est et alia ratio, quia nec iuri, nec voluntati fundatorum (Trident., XXV, *R.*, 5), regulariter, derogare fas est. Sane, actu adnexus intelligitur si beneficium ordinem *iam susceptum;* aptitudine, si *suscipiendum* desiderat (Garz., VII, 1, 79).

(8) C. 1, *Eod.;* CC. 1, 7, *De Election.;* Trid., XXIV, *R.*, 12. Porro ordo sacer nulli beneficio *actu* est adnexus ex iure.

(9) C. 1, *De Aet. et qual.*

(10) Trid., *l. c.* – *Si*, etc.; secus nullus, nam quis? (Fagnan., in C. *Cum in cunctis*, n. 7, *De Aet.;* Espen, Tit. XIX, II, 14. Contra Garz., VII, IV, 29). Porro ordo sacer adnexus intelligitur ei beneficio, cui officium cohaeret quod sine eo ordine (Sot., *De Iust.*, X, 5, 6; Sanch., *M.*, III, VII, 45); et *per alium* (nempe quando electa videtur industria personae) obiri non potest (Fagn., in C. 1, n. 65, *De Aet. et qual.*).

(11) Trid., XXIV, *R.*, 8.

(12) C. 7, § 2, *De Elect.;* Trid., *R.*, 12.

(13) Trid. XXIV, *R.*, 12.

(14) Trid., XXIII, 6. Nisi ex fundationum tabulis minor sufficiat (S. C. C., 2 Iunii 1579; Garz., VII, IV, 9).

(15) S. C. C., ap. Ferrar., v. *Aetas*, n. 13. Quaestionis est, an haec aetas sufficiat in cathedralibus, in quibus nulla facta est ordinum distributio (V. Croix, IV, 798): affirmantium sententia videtur (V. n. 12) verior (Cf. Fagnan., in C. *Cum in cunctis*, n. 71; Ferrar., n. 11).

illegitimi arcentur a beneficiis quae eorum patres (16) antea vel mediate (17), legitimi ab his quae hi antea immediate (18) obtinuerant.

38. *Indignos* accipimus, 1° qui non integrae vitae et existimationis sunt; et in primis censuris irretitos, et irregulares ex delicto (19); 2° qui ludicram artem, vel officium exercent (Prol. § 121, n. 17): 3° qui scientiam officiis beneficio adnexis obeundis necessariam non habent (20). Verum non digni tantum, sed digniores sunt eligendi (21): dignior autem is intelligitur, non qui doctior (22), sed qui implendis muneribus beneficio adnexis est aptior et utilior ceteris (23). Sed si nulla certa spes appareat digniorem electum iri, suffragari minus digno *expedit,* si is alias certe (24); *oportet,* si alias

(16) Trid., XXV, *R*,. 15.

(17) Clem. VII, C. *Ad Canonum;* Ben. XIV, C. *Creditae Nobis.* Immo eis vetitum est, *quoquo modo ministrare* in ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod ecclesiasticum (Prol., § 186, n. 37) habent, aut habuerunt (Trid., *l. c.*); ut ecce confessiones audire (S. C. C., ap. Ben. XIV, *De Syn.,* XIII, 24, 14), sacristam, vel musicum agere (S. C. C., ap. Garz., VII, 3, 68; Reiff., I, 17 31). Verum, quia in odiosis versamur, haec non pertinent. 1° ad filios natos ex matrimonio irrito, sed inito bona fide, vel legitimatos per subsequens matrimonium (Prol., §§ 50, 30); nec, 2° ad nepotes legitimos; nec, 3° ad patrem, si beneficium petat quod filius illigitimus obtinuerat (S. C. C. ap. Bened. XIV, nn. 15, 19).

(18) CC. 7, 8, 11, *De Filiis presb.* Ad haec, beneficia saecularia regularibus, et contra (nisi ex graviori necessitate), conferri prohibentur; sed de hoc V. Schmalz., III, V, 13, 19 etc.

(19) Ex C. 11, *De Excess. Praelat.;* C. 7, *De R. I.* in 6°. Huc pertinent *intrusi.* Intrusi dicuntur qui sine ullo titulo (Gomez; Rebuff.; Reiff., III, 5, 518); vel non ab eo, ad quem collatio pertinet (Fagnan., Reiff., 513), propria (C. 3, *De Excess. Praelat.;* C. 5, *De Conc. Praeb.*), vel saeculari (seu plebis seu principis) auctoritate (C. 8, Dist. 93; C. 4, *De Iure Patron.*) beneficium occupant. Qui si *vi* occupent, ius quod eis in eo beneficio sibi forsitan competebat, amittunt (C. 18, *De Praeb.* in 6°). Cum intrusis nihil in divinis commune esse debet (Pius VI, *Lit. Apost.* 13 April. 1791). Et si fuerint parochi, non licet ab eis nec baptismum recipere, nisi in extrema necessitate (*Instr. ad Episc. Gall.* prob. Pio VI, 26 septem. 1791).

(20) C. 7, § 2, *De election.* Sed, regulariter ea scientia sufficit, quae requiritur ad suscipiendos ordines qui beneficio cohaerent (Ex C. 13, *De Aet.;* Salm., 28, 306).

(21) D. Th. 2, 2, 63, 2, 185, 3.

(22) Salm., 28, 350.

(23) Sot., III, VI, 2; Salm., n. 306. Quod aestimari debet nedum ex moribus et doctrina, sed ex aetate quoque, patria, genere, facultatibus, animi constantia, et id genus ceteris. Et prudentior, senior, nobilis, praeferendus est, ceteris paribus, doctiori, iuniori plebeio (Barb., *De O. Ep.,* III, 60, 101; Salm., 307; S. Alph., IV, 92): et incola seu civis, praeferendus est advenae; *nisi forte inter clericos eius loci nullus dignus potuerit inveniri* (CC. 13, 16, Dist. 61).

(24) Lugo, *De Iust.,* XXX, 35; Salm., 28. 328. Scilicet, dissidendo nihil aliud, quam inimicitias, aut saltem discordiam sereres.

indignus vinceret urna (25). Qui, digniore praetermisso, dignum praesentat, et qui illum instituit, si beneficio adnexa sit cura animarum, letali (26); sin minus, saltem levi (27) non caret. At ei qui beneficium (vel curatum) petit, obtinet, fas est haec alterius aestimationi relinquere, licet se non aliis (28), vel alios se digniores noverit (29); dum ne se certo indignum sentiat, vel per ambitum ad beneficium obrepat.

39. Collatio beneficii facta incapaci irrita est (30), ei qui incapaci prope accedit est dubia (V. Prol., § 304), indigno rata; seu beneficium simplex sit, quod nemo dubitat (31); seu curatum, quod est communius et verius (32). Sed utrum digno, aut digniori posthabito aliqua restitutio competat? Quaestio haec est, utrum dignus, aut dignior, ius praelationis habeat: quidam affirmant, quia beneficia sunt bona communia, et praemia meritorum (33): alii negant, quippe quae ad cultum divinum cum primis obeundum sunt instituta (34). Et verius (V. P. II., §§ 196, 217), etsi non communius; licet beneficium collatum fuerit per concursum, hic enim eo spectat ut appareat qui sint digni, qui digniores (35). Utcumque, in dubio restitutio cessat.

40. Ad ultimum quisquis ille sit cui beneficium confertur, si ei propositum sit, sive *tunc* cum accipit beneficium, sive *post* illud acceptum a statu clericali discedere, culpa non vacat; nempe, si

(25) Vasq., Opusc., *De Benef.*, Cap. II, § 3, d. 3; Less., II, 34, 60. Quin, si dignus nullus occurrat, fas esse et indigno beneficium conferre, si et necessitas urgeat, et plus profuturus speretur, quam obfuturus, putant Less. (II, 34, 55), Lugo (*De Iust.*, XXX, 35), contra Sot., Caiet., etc., existimantes hoc malum esse natura (V. Sanch., *Consil.*, Lib. II, Cap. I, Dub. 4).

(26) Ex Trid., XXIV, *R.*, 1; Innoc. XI, 47; S. Alph., IV, 92, 97. Nisi forte aut dignus brevi dimissurus sit beneficium, aut modicum beneficium sit (S. Alph., 96).

(27) V. S. Alph., IV, 93, 97; Lugo, 10.

(28) D. Th. 2, 2, 185, 3.

(29) Lugo, XXXV, 94; S. Alph., IV, 110.

(30) C. 2, *De Instit.*; C. 6, *De Transact.*; Pal., *h. t.*, IV, 6, 5; Lugo, *De Iust.*, XXXV, 9; Schlmaz., I, 14, 31.

(31) Ex C. 19, *De Elect.*; Salm., 28, 342.

(32) Lugo, XXXV, 70; Salm., 345; S. Alph., IV, 103. Nam nec Trid. (XXIV, *R.*, 18), nec B. S. Pii V *In conferendis*, nec alia lege cautum est irritam esse ipso iure; exceptis beneficiis collatis ad preces haereticorum (C. 2, § 3, *De Haeret.* in 6°).

(33) Vasq., *l. c.*, n. 18, d. 1; Salm., 28, 322, 323, 324; aliique sane multi.

(34) Ex Trid., XXI, *R.*, 3; Less., II, 34, 73; Azor.; Sanch.; Pal. *h. t.*, II, 2, 4; Lugo, XXXV, 83; S. Alphon., IV, 107.

(35) Navarr., *Man.*, 17, 74; Sot., IV, VI, 3. Et contrariam sententiam nullo certo iure niti, vel ipse S. Alphons., qui ei adhaeret, fatetur (IV, 109).

beneficio nullus adnexus sit ordo sacer, verius, levi, quia nullo iure constat hoc esse letale; secus gravi, quia gravem obligationem detrectat (36). Et si beneficium sit *parochialis ecclesia,* et hanc receperit *non intendens* promoveri ad sacerdotium, necesse habet fructus restituere quos sic fraudulenter percepit, nisi postea, *mutata voluntate,* promotus fuerit (37). Verum, quia in odiosis versamur, 1° *ecclesiam parochialem* heic non accipimus parochiale beneficium quod extat in ecclesia cathedrali vel collegiata (38). 2° *Non intendere* (sacerdotium suscipere) dicitur is qui omnino *non vult;* ideoque huc non pertinet qui sub conditione vult (39), immo, probabilius, nec is qui haeret anceps (40). Demum, 3° cum discedit, si voluntas discedendi a statu clericali numquam abfuit, restitutio cessat (41): sed etsi abfuit, verius, *interim* fructus suos facit, quippe titulo revera non caret (42); licet restituere eos teneatur. At restitutio, quia recidit in poenam conventionalem (Prol., § 310), tenet ante sententiam iudicis (43).

ART. III. *Beneficia quemadmodum sint conferenda.*

41. *Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine canonica institutione obtineri* (1). Est autem institutio, *concessio beneficii vacantis facta ab eo qui potestatem habet* (2). Duplex est, *collativa seu verbalis, et corporalis seu realis* (3): verbali datur titulus, titulo

(36) Sanch., *M.,* VII, 45, 14; S. Alphons., IV, 113. Ideoque non est absolvendus, nisi aut animum mutet, aut beneficium dimittat (Solet., *Sum.,* V, 5, 5). Quid si ei certum sit non discedere, si interim nihil avocet? Et si causa iusta id suadeat, hoc ne leve quidem est (Navarr., 25, 118; Less., 34, 131); si non iusta, leve tantum, quia nullo iure constat grave esse (S. Alph., IV, 113).

(37) C. 35; *De Elect.* in 6°.

(38) Ex CC. 14, 22; *Eod.;* Reiff., I, 14, 32. Eoque minus hac poena tenentur qui quodvis aliud beneficium, puta canonicatum, hac voluntate recipiunt (Navarr., 25, 118): nec audiendi sunt qui (V. Garz., III, IV, 37) ex identitate rationis (quia fraudulenter facit) aliud putant.

(39) Navarr., 25, 118; Sanch., *M.,* VII, 45, 10. Quia conditionata voluntas, voluntas est. Et fraus sine *fallacia et calliditate* non fit (L. 8, §§ 8, 9, *De Pactis*).

(40) Garz., III, IV, 48, ibiq. Navarr. et Graff. Et iure prorsus.

(41) Navarr., 21, 46; 25, 118; Garz., nn. 51, 53. Et de eo qui *initio* habuit voluntatem recipiendi ordines docet Sanch. (n. 11); de eo qui *postea,* S. Alph. (n. 113). Nec obest si is forte ordinari casu aliquo nequiverit, quia nemo casum praestat.

(42) Navarr.; Sanch., *l. c.,* n. 5.

(43) Gl. in cit. C. 35; Navarr.: Sot., X, 5, 6, conclus. 3; Sanch., n. 3.

(1) C. 1, *De R. I.* in 6°.

(2) Reiff., III, VII, I, etc.

(3) Reiff., n. 5. Sed cum institutio simpliciter dicitur, collativa intelligitur.

ius ad rem (4), et cum fuerit acceptata, *ius in re* datur (5); reali datur possessio. Possessio est aliquid facti (6): nihilominus, ex receptis moribus, ante coeptam beneficii possessionem beneficiarius nec iuribus eius uti permittitur, nec onera agnoscere cogitur (7). Institutio verbalis dari non potest nisi beneficium vacaverit *iure* (8); corporalis nisi vacaverit *iure* et *facto* (9): illa danda est ab eo penes quem est collatio, et nulla temporis praescriptione suppleri potest (10): possessio, de mandato illius, ab aliis dari solet; et, eo consentiente, potest vel propria auctoritate capi (11). Ad haec, si beneficio immineat cura animarum, et collatio eius ad inferiores pertineat, alia institutione opus est, quae *authorizabilis* dici solet. Hac datur cura animarum et potestas administrandi sacramenta; et idcirco a solis Episcopis, quibus plebs subiecta est, dari potest (12).

(4) C. ult., pr., *De Concess. Praeb.* in 6°; Less., II, 34, 118.

(5) C. 17, *De Praebend.* in 6°; (Garz., IV, III, 38). Hac re si bebeneficium collatum fuerit absenti, quoad tempus praeterierit huic ad acceptandum constitutum, alteri conferri non potest (C. 17, *h. t.*, in 6°; Schmalz., 66).

(6) Garz., n. 89; Suar., *De Simon.*, 50, 31; Salm., 10, 3, 110. Nec est *per se* necessaria (Ex C. 15, *De Elect.;* Reiff., 56, III, 7).

(7) Devoti, *Instit.*, Lib. II, Tit. XIV, 36.

(8) C. 2, *De Concess. Praeb.* in 6°. Et promissio beneficii vacaturi *cum potuero* hodie nullius momenti est (Cit. C. 2, Contr. C. 14, *De Concess. Praeb.;* V. Fagn., in C. *Cum. M.*, n. 65, *De Constit.*).

(9) Ex C. 28, *De Praeb.* in 6°; Reiff., III, 5, 337. *Vacans*, nam et *gratiae expectativae* sublatae sunt, et Ordinarii beneficia plena ne promittere quidem, nec licite nec valide possunt (CC. 2, 3, 13, *De Concess. Praeb.;* C. 2, *Eod. Tit.* in 6°).

(10) Ex C. 4, *De O. Arch.;* C, 3, *De Instit.*

(11) Reiff., III, 7, 52. Immo, etsi iniussu eius capta sit, valet (Rebuff.; Mandos.; Garz., IV, II, 6): sed qui eam capit vi, beneficium amittit eo ipso (Cap. 18, *De Praeb.* in 6°). Porro BULLAE ad *fidem faciendam* (Espen, Tit. 21, 2, 8): sed si beneficium collatum fuerit a Sede Apostolica ad *formam* collationis (De Angel., III, V. 21, in fi.) pertinent. Et ideo beneficium amittit ipso iure qui, nondum expeditis Literis Apostolicis, possessionem eius ingreditur (Iulius III, Const. 33; Garz., IV, II, 47). Qui a laico possessionem (*investituram*) accipit, obnoxius est excommunicationi f. s. (C. 17, Can. 16, q. 7).

(22) C. 4, *De Off. Archid.;* V. Trid., VII, *R.*, 10. Et eo vacante, solius Episcopi est ei Oeconomum deputare (Trid., XXIV, *R.*, 18; S. Pius V. C. *In conferendis;* Ben. XIV, C. *Cum illud*).

Dixi beneficia conferenda esse idoneis (§ 37). Nempe quo tempore beneficium confertur; nam si quis fuerit inidoneus quo tempore beneficii possessionem capit, nihil oberit, quia ius super beneficio quaesitum manet, et possessio est aliquid facti non iuris (Garz., VII, 13, 102, ibiq. Selva, Azor., etc.). Quid si post collationem (verbalem), ante acceptationem factus sit inidoneus? Navarrus et Less., (II, 34, 118) docent acceptationem, prout in donationibus, nullius momenti esse: Toletus (I, 14, 3), Covarr. (in C. *Alma mater*, § 7, n. 4, ibiq. R. R.), Pari-

42. Beneficia ecclesiastica, 1° *gratis* conferenda sunt; alias collatio erit simoniaca et nulla, de quo alibi: 2° *pure* (13): et 3° *sine diminutione* (14). Ex hoc capite non licet beneficio aliquid adiicere novi oneris, nec in favorem Ecclesiae; v. c., ut qui tenetur in ea missam celebrare celebret certis diebus, vel horis (15), nisi forte vacuo beneficio, antequam iterum conferatur, et de consensu capituli (16); nec aliquid ex iuribus vel reditibus eius, v. c., pensionem, detrahere licet (17). Verum haec generatim: specialia quaedam sunt in beneficiis patronatus, et in quibusdam aliis beneficiis quae per concursum conferri debent.

43. In beneficiis iuris patronatus praesentatio dat praesentato seu praesentatis *ius ad rem,* ceteris paribus; ideo collator necesse habet eum vel unum ex eis instituere (V. §§ 31, 49). Pluribus praesentatis a pluribus patronis, siquidem collective, nemo erit potior, sed institutoris erit electio (18); sin seorsum, is potior erit qui maiora prae ceteris (19); aut, si is esset inidoneus vel indignus, ille qui maiora post eum tulerit vota (20). Si omnes paria, dignior instituendus erit: si nemo dignior, quaestionis est, utrum liceat collatori, omnibus exclusis, tertium eligere, eo quod neque praesentatis faciat iniuriam quia iura contraria eliduntur; neque

sius, Garz. (*l. c.*, a n. 35) contra putant; quia acceptatio, aiunt, est aliquid facti non iuris (Covarr., *l. c.*) qua non perficitur donatio, sed conditio impletur (Garz., n. 41): et negant collationem donationem esse, quia collator suum nihil dat, nec sponte, sed ex officio et munere suo et ideo medio tempore eam revocare prohibetur (§ 41, n. 5).

(13) C. 22, *De Election.* Idest nullo adiecto *pacto* (C. 8, *De Pactis*), vel *conditione* (cit. C. 2); nempe extrinsecus (Prol., § 41, n. 24) adveniente (Garz., VIII, 2, 4), nam si iure insunt non vitiant, *modo exprimantur sicut insunt actui* (Garz., n. 10), v. c., in beneficio Parochiali, ut infra annum ad presbyteratum ascendat.

(14) C. un., § pen., *Ut Eccles. benef. sine.*

(15) S. C. C., 6 apr. 1647, 18 april. 1863, 9 dec. 1865.

(16) Suar., *De Simon.,* Cap. 39, nn. 9, 16. - *Forte* (S. Alph., III, 60). Et ex Canonistis Pitton., *De Controv. Patron.,* Alleg. 100, n. 29. Et Nostri communius: sed canonistae communius negant (Pirhin., III, 12, 67; Reiff., III, 12, 4); utrique ex C. 11, *De Praeb.*

(17) C. 15, Can. 1, 3; CC. 8, 20, 26, 36, *De Praeb.*

(18) C. 24, *h. t.* Et in praesentatis a Patrono laico omnes pares erunt; in praesentatis a Patrono Ecclesiastico *qui prior est tempore* (cit. C. 24, ibique Fagn.). Nec querelae locus est si Collator non elegerit digniorem (Lambert., Lib. II, P. II, Q. VII, Art. 26, n. 4; Vienst., III, 38, 140; Schmalz., III, 38, 210).

(19) C. 3, *h. t.* Maiora *absolute,* si Collegium; *relative,* si eum singuli nominaverint (V. Prol., § 44, n. 11).

(20) De Curte; Viviam., XII, 8, 12, Vienst., III, 38, 140; Schmalz., III, 38, 212.

patronis quia discordant (21); vel non liceat, quia iniuriam facit utrisque, hoc enim ius patronatus est, ut quamdiu praesentatus institui potest, extraneo locus non sit (22). Nostri priori sententiae communius adhaerent (23): mihi secunda et aequior et verior prorsus, nisi ex institutione unius ex praesentatis gravia scandala metuenda sint (24).

43bis. Beneficia etiam per optionem, ubi viget, adipiscuntur (25). Est autem optio: *Ius privilegio,* vel *consuetudine*, vel *statuto antiquioribus praesertim canonicis competens pinguiorem vacantem praebendam*, *quae reservata non sit, propria dimissa*, *intra certum tempus gradatim eligendi* (26). Dixi, 1° *antiquioribus*, non aetate, sed chori servitio (27); 2° *maxime canonicis... praebendam*, etc.; nam etiam Cardinalibus et Equitibus Melitensibus competit ius optandi; illis nempe ex privilegio titulos sui Collegii, Episcopatus suburbicarios et decanatum, his ex consuetudine commendas Ordinis (28); 3° *quae reservata non sit*, nempe ratione ipsius praebendae, personae eam obtinentis, loci et temporis, quibus vacaverit, vel iure devolutionis, praeventionis, affectionis, etc. (29); 4° *intra certum tempus*, longius vel brevius secundum privilegium vel statutum (30), sed regulariter optio facienda est intra viginti dies a scientia vacationis (31); 5° *gradatim,* scilicet canonici optant unus post alium procedendo a senioribus ad iuniores iuxta chori servitium (32). Sufficit ut optio in capitularibus actis describatur, et nulla Ordinarii collatione seu investitura opus est; optatae tamen sedis ac praebendae possessio capienda est more consueto (33). Optione vel mutatur titulus, vel retinetur cum optatis accessionibus pinguiorum fructuum. In priori casu onera dimissae praeben-

(21) Ex C. 3, *De Iurep.;* Barbo.; Fagn.; Reiff., III, 38, 94.

(22) Ex C. 32, Cau. 16, 7, Gl., Pirhing., III, 38, 100; Wien., 145; Schmalz., 214.

(23) Vasq., *De Benef.*, Cap. II, § 1, n. 16; Less., II, 34, 33; Silvest., Azor., etc.

(24) Ex C. 3; *De Iurep.;* Schmalz., *loc. cit.*

(25) Ex Bonif. VIII, in C. *Cum in tua*, 4, et ult. *De Consuetud.*, in 6°.

(26) Monet., *De Optione Canonica*, cap. 1., n. 23.

(27) Barbosa, *De Canonic.*, XXXI, nn. 9, 11.

(28) Gagliardi, *De Benef. Eccl.*, cap. X., § un., *De Optione Canonica*, 36.

(29) Rigant., *Ad Reg. XV;* V. supra, §§ 33-36.

(30) Gagliardi, *ibid.*, 34.

(31) Barbos., *l. c.;* nn. 5, 6; Gagliardi, *ibid.*

(32) Gagliardi, *ibid.*, 41.

(33) Gagliardi, *ibid.;* Rebuff. et Covarr. tenent licere possessionem capere auctoritate propria; sed melius est servare cuiuscumque loci consuetudinem (Gagliardi, *ibidem*).

14115

dae (v. c. pensio super eius fructibus) non optantem gravant, sed in eius successorem transeunt; et si dimissa fuerit ab Officiali Romanae Curiae, Collectore vel Subcollectore, reservationi est obnoxia; in posteriori non item (34). Canonicus optans solet sibi reservare ad dimissam praebendam regressum, quoties optio suum non sortiatur effectum (35).

Qui plura de canonica optione scire cupit, consulat Canonistas, et praecipue doctissimum Petram (36). Nos hoc unum animadvertimus: praebendam theologalem et poenitentiariam numquam posse ab alio canonico optari (37), ac theologum et poenitentiarium, qui hac in re in omnibus aequiparantur (38), aliorum praebendas optandi iure non pollere, nisi, 1° de apostolica auctoritate (39); vel 2° resignata cum officio propria praebenda in manibus Episcopi (40). Hoc in casu uterque suum retinet stallum in choro (41).

Nunc de beneficiis quae concursum desiderant; sed, quia paullo amplior doctrina est, sit.

APPENDIX I.

DE CONCURSU.

44. Principio igitur sunt obnoxia concursui praebendae theologales, et poenitentiariae (1), et omnia beneficia quibus imminet actualis cura animarum, etiam iuris patronatus ecclesiastici (2); et de his dumtaxat nobis agendum erit. Excipiuntur, 1° *per se* pa-

(34) Rota pluries, Gigas, Paris., Gonzal., Rigant., etc. ap. Gagliardi. *ibid.*, n. 42.

(35) Gagliardi, *ibid.*, n. 41.

(36) Ad Const. II Innoc. VI, To. IV.

(37) Ferraar, v. *Canonicatus*, IX, 5, 64. Item praebendas in favorem certae personae resignatas (Gonzal., *in Reg.* VIII, Gl. 34, n. 35), vel permutatas inter Canonicos (Monet., *l. c.*, cap. 3, q. 5, n. 124), vel cum cura animarum, quae ex Tridentino concursum exigunt (Gonzal., *ibid.*, nn. 78, 83), vel conferendas ad patroni electionem aut praesentationem (Monet., *ibid.*, n. 112): optio enim solum Ordinarii Collatoris ius coercet.

(38) S. C. C., 31 iun. 1852 et 25 april. 1864.

(39) S. C. C. hoc saepe indulsit, ita tamen, ut pinguior optata praebenda in perpetuum pro theologo vel poenitentiario destinata intelligeretur (S. C. C., 27 april. 1726, 7 iun. 1755, 20 iul. 1793, 23 apr. 1864.

(40) S. C. C.. 31 ian. 1852; Ferr., *l. c.*, nn. 7. 126.

(41) Ferrar., *ibid.*, ex S. R. C., 2 septemb. 1587; Barbos., *De Canonic.*, XXVII, 22.

(1) Ben. XIII, Const. *Pastoralis Officii.*

(2) Trid., XXIV, *R.*, 18, V. *Reclusium, De Concursibus.*

PROVINC... ...DIO THEOL. ...CORDIS JESU

tronata laicalia (3); Vicariae perpetuae (4); parochiae beneficio non parochiali unitae accessorie ac perpetuo (5), vel exigui reditus (6); 2° *per accidens*, resignatae in favorem alicuius, vel permutatae (7); vel expositae factionibus et rixis (8). Ad haec, 3° Episcopus confert sine concursu novas Parochias, sed prima vice tantum (9); et quas exposuit concursui semel et iterum, nemine concurrente, vel approbato (10). Verum nullam ex his conferre licet sine examine ad formam concursus (11), exceptis invicem permutatis; et ne his quidem exceptis si longe dispar sit numerus animarum utriusque Parochiae; aut beneficium non parochiale cum parochiali permutetur (12).

45. Concursum indicere solius Episcopi est, quamvis collatio ad alium pertineat (13). Verum necesse habet universum negocium perficere, servato iuris ordine, infra sex; et si beneficium sit reservatum, et citra montes, infra quatuor menses, a die vacationis (14). Medio tempore edicta proponenda sunt, ut qui concurrere

(3) Trid., *l. c.*, Reiff., III, 28, 65. Vel mixta (S. C. C., 5 feb. 1628); Ben. XIV, *De Syn.*, IV, 8, 9. In his igitur Episcopus necesse habet instituere quem Patronus ei praesentaverit, si in examine dignus repertus fuerit, licet ipse non putet eum digniorem (De Luca, *De Paroch.*, Disc. 37; Salm., 28, 288).

(4) S. Pius V, C. *Ad exequendum*, § 4.

(5) S. C. C., ap. Garz., IX, II, 193; Barb., *Ad Trident.*, *l. c.*, n. 5; De Luca, *Ad Trident.*, Disc. 32, 32 (Sed V. § 22, n. 18).

(6) Trid., XXIV, *R.*, 18, v. *Si tamen*. Idest, quae non excedunt 20 aur. de Camera (libell. circ. 170), deductis expensis (Garz.; Barb., n. 16). Quamobrem si vacaverint in mense Pontificio, Episcopus Datariae significat quem praeficiendum existimat (Rigant., *Ad Reg.* IX, § II, 74).

(7) Trid., *l. c.*; S. Pius V, C. *Apostolatus*, § 10; Garz., IX, II, 157, 168.

(8) Trid., Sess. XXIV, *R.*, 18.

(9) Pax Iordan., et Monacell., Tit. II, Form. 2, n. 9.

(10) S. C. C., *Ad Episcop. Vicent.* 4 mart. 1529, ap. Garx., IX, II, 218; Gallemar., *Ad Trid.*, *l. c.*, n. 14.

(11) De Luca, *l. c.*, n. 35; Fagn., in C. 27, n. 80, *h. t.*

(12) S. C. C., ap. Flamin.; Paris., VIII, IX, 95; Garz., IX, II, 164; Reiff. III, 5, 146.

(13) Trid., *l. c.*; Ben. XIV, Encycl. *Cum illud.* Solius *Episcopi*, et vacua Sede Vic. Capitularis (Garz., IX, II, 8). Ad *alium*, sive inferiorem ut puta Capitulum, Abbatem vere nullius qui cogendae Synodi ius non habet (Garz., n. 136; Ben. XIV, *De Syn.*, II, XI, 6); sive Superiorem, v. c., Metropolitanum (Gallem., *Ad Trid.*, XXIV, *R.*, 8, n. 6), aut Papam (S. Pius V, C. *In conferendis*); ideoque etsi beneficium sit reservatum, vel affectum (Trid., *l. c.*) dum ne sit devolutum (S. C. C., 16 ian. 1701 prob. Innoc. XII; Rigant., *Ad Reg.* IX, § II, 58), aut vacans *in Curia* (§ 38, n. 15), vel resignatum in manibus Papae (Garz., 153).

(14) S. Pius V, *l. c.*, § 4; Rigant., n. 40. *Vacationis*, nempe cognitae (Ex C. 3, *De Suppl. neglig.*; Ferrar., v. *Concursus*, II, 5). *Servata*, etc. Quae servari oporteat cauta sunt: I., in Trid., Sess. XXIV, *R.* 18: II., in cit. C. S. Pii V, *In Conferendis;* et III., in Enc. Ben. XIV, *Cum illud*, in quam transiit *Instru-*

optant, intra tempus ab Episcopo (sed non ultra vicesimum diem) praefinitum, sua et nomina et documenta deferant (15). Statuta die admittendi erunt quotquot sua nomina detulerunt intra praefinitum tempus: nempe *omnes*, ne fraus legi (16); et *soli*, ne ipsis iniuria (17) fiat. Examen instituitur coram Episcopo, vel eius Vicario, et Examinatoribus eius Dioecesis, synodalibus vel prosynodalibus, et iuratis, saltem tribus (18). Examinatorum *censura* est, Episcopi *electio;* utraque invicem privative (19).

46. Itaque examinatorum est dispicere quinam digni sint tum doctrina, tum ceteris requisitis (20). Hoc autem fieri debet suffra-

ctio edita iussu Clem. XI anno 1721. Haec sedulo secernenda sunt, etenim ILLIS (I°) non servatis irrita collatio est; ISTIS (II°) et irrita est, et R. P. reservatur; HIS (III°) valet.

(5) Ben. XIV, cit. Encycl., § 26. *Non ultra;* nihilominus longius adiectum aequum est pro non adiecto haberi (Garz., IX, II, 49). Quod autem putant Salm. (28, 590) edictum perstare oportere toto tempore ab Episcopo definito, nihil est (Rebuff.; Cevall.; Garz., n 42). Ceterum Episcopo integrum est concursum differre in novissimam semestris vel quadrimestris diem (S. C. C., Massobr. *Prax haben. Concurs.*, Reg. V, Rubr. 10, n. II. V. Ad Ferrar., *l. c.*, n. 62).

(16) Garz., IX, II, 208. Verum eos, qui bona fama non gaudent (sive iure sive iniuria). Ordinarius non cogitur admittere (S. C. C., 30 mart. 1843; *Acta*, VII, 352).

(17) Ben. XIV, *l. c.*, Nihilominus qui impediti fuerunt sua nomina profiteri, admittendi sunt, re integra, vel ipsa examinis die (S. C. C., ap. Garz., IX, II, 206).

(18) Trid., *l. c.*, - *Coram Vicario;* licet Episcopus non sit impeditus (Gar., 117; Ferrar., II, 16). *Eius dioecesis;* ideoque si duae Cathedrales unitae sint aeque principaliter, cuiusque propriis (De Luca. *Ad Trid.*, Disc, 32, 6). *Iuratis,* at sufficit tunc iurasse cum officium susceperunt (De Luca, n. 8). Si alii intervenerint, puta familiares Episcopi, et interrogaverint sententiamque suam prodiderint, quia utile per *inutile non vitiatur* (C. 37, *De R. I.* in 6°), concursum non vitiari, dum ne suffragium tulerint (Nald., v. *Examinatores*, n. 3; De Luca, n. 13), verius est. Porro Examinatores saltem sex esse debent, ab Episcopo eligendi *quotannis* vel in Synodo (Trid., *l. c.*); vel, his deficientibus, cum auctoritate S. C. C., et approbatione Capituli Cath. Ecclesiae (Ben. XIV, ex S. C. C., *De Syn.*, IV, VII, 5, 10). Et si, volvente eo anno, minor numerus vel nullus remanserit, fas erit Episcopo *iure suo* ex antiquis, si qui fuerint, secus quos maluerit, subrogare; sed usque ad senarium numerum, et in reliquum tempus dumtaxat, a Capitulo approbandos (Clemens VIII, ap. Garz., IX, II, 72, et Ben. XIV, n. 7). Et si pauciores fuerint electi, aut supersint, omnium officium cessat (Clem. VIII, *l. c.;* Bened. XIV, n. 8). Dixi *quotannis*; nihilominus synodalium officium durat quoad nova Synodus celebretur, dummodo sex ex eis remanserit (S. C. C., 1 febr. 1593, ap. Garz., n. 75).

(19) Trid., *l. c.;* Ben. XIV. cit. Encycl., § 11.

(20) Trid., *l. c.* - *Ceteris* etc.; et in primis moribus, aetate, prudentia. *Tum*, etc.; itaque si unius, puta Sempronii, *requisita* inquirere praetermiserint, concursus nullius momenti est (S. C. C., 2 aug. 1607; Bened XIV, *De Syn.*, IV, VIII, 3); licet ab eis perscrutandis ideo abs-

giis latis una simul, et maioribus absolute (21): verum si eorum vota paria fuerint vel singularia, poterit Episcopus, aut eius Vicarius, ei accedere, cui maluerit (22); sed quasi unus ex illis, ideoque statim (23). His peractis, si beneficium nec reservatum est, nec I. P., Episcopus eligit (sive tunc, sive postea) quem ex dignis renunciatis ipse digniorem existimaverit (24): sin est reservatum eliget R. P. (25): sin denique est I. P. (ecclesiastici) siquidem collatio ad alium pertinet, adhuc Episcopi; sin minus, patroni erit electio (26).

47. A mala relatione examinatorum, ab irrationabili iudicio Episcopi, ac demum a mala electione patroni licet appellare. Nempe ab *illa* et ab *ista* ad Metropolitanum, sed in devolutivo tantum (27): ab *hac* ad Episcopum, et ab hoc iterum ad superiorem: nempe si patroni et Episcopi iudicia convenerint, adhuc in devolutivo; secus

tinuerint, quia eum reprobaverant quoad scientiam (Ex S. C. C.,4 maii 1878; *Acta*, XI, 13): scilicet *reprobatio* huiusmodi appellationem recipit. Nihilominus S. C. C., 26 aug., 1854, rescripsit: *Examinatores referant etiam super ceteris qualitatibus* (*Acta*, XI, 127). Quod proculdubio aequius est; nam concursum irritum pronunciare, sine iniuria tum Sempronii, tum ceterorum concurrentium, vix licet, aut ne vix quidem.

(21) De Luca, *Ad Trid.*, cit. Disc. 32, 9, etc. – *Absolute* (V. Prol., § 44, n. 11). Seu secreto, seu collatis consiliis, quod melius est (Bened. XIV, *l. c.* n. 4).

(22) Trid., *l. c.* Verum non potest ei suffragari quem maior examinatorum pars reprobavit, licet solus concurrerit (S. C. C., ap. Garz., IX, II, 60).

(23) De Luca, cit. Disc. 32, 12.

(24) Trid., *l. c.* – *Ipse;* etenim examinatoribus ne renunciare quidem licet qui sit dignior, nisi Episcopus id expetierit (Garz., IX, II, 110). Et si collatio ad alium pertinet, et plures sint digniores, Episcopi, et non collatoris, verius, est electio (Garz., n. 150). Et si Episcopus electione nondum facta decesserit, eligit Vicar. Capitularis (S. C. C., 1 iul. et 9 sept. 1679, ap. Scavi., III, 692).

(25) Ben. XIV, Encycl. *Cum illud*, n. 20. Nisi benef. sit reservatum ex *Reg. octo mensium:* in his enim electio (aiunt) *magis* Episcopi est (non item Vicar. Capitularis); et R. P. non habet (ex Trid., cit. C. 18) nisi *nudum .conferendi ius, absque electione* (Rigant., *Ad Reg.* I. § X, 17): dummodo Episcopus electionem Datariae *significet* infra quatuor menses, si paroecia sit citra montes, intra sex sin ultra, a die vacationis (S. Pius V, C. *In conferendis*) sibi notae (Garz., IX, II, 152) computandos (V. § 45, n. 14).

(26) Trid., XXIV, *Ref.*, 18.

(27) S. Pius V, cit. Const. §§ 7, 8. Et si vel Episcopus sit S. Sedi immediatè subiectus, aut Metropolitani fuerit electio, licet provocare ad Episcopum viciniorem, tamquam delegatum Sedis Apost., vel ad ipsam Apost. Sedem (Cit. Const.). Ex his autem appellatio a sola *mala relatione examinatorum* non prodest ad parochiam consequendam (Bened. XIV, *Epist. ad Archiep. Florent.*, 9 apr. 1746).

in suspensivo dumtaxat (28). Porro instituti in beneficio parochiali illud amittunt ipso iure, si infra annum presbyteratum non susceperint, nisi qua iusta causa excusentur (29).

APPENDIX II.

REGULA DE TRIENNALI (1).

48. Hactenus de his quae sunt necessaria, ut collatio beneficii, vel institutio rata sit; sed si irrita fuerit, post triennium vi huius regulae quodammodo rata fit, ita nempe, ut deinceps nullus privatus institutum in beneficio inquietare (*molestare*) amplius possit. Est enim quaedam quasi praescriptio adversus privatos introducta ad praecavendas lites cultui divino, et ecclesiae perniciosas (2).

49. Haec praescriptio nititur titulo colorato, et possessione triennali. Titulus coloratus (V. Prol., § 79, n. 72) est collatio facta ab eo, penes quem residet ordinaria conferendorum beneficiorum potestas (3): ideo non prodest ei qui vel nullum titulum habet, vel discoloratum (4), vel eum qui postea recidit in non titulum (5). Pos-

(28) Ben. XIV, cit. *Epist.* Sed appellatio interponenda est intra decem dies a die collationis (Ben. XIV, C. *Cum illud*, § 6).

(29) CC. 14, 35. *De Elect.* in 6°. Ut puta valetudine, vel si Episcopus ordinationem distulerit; et differre potest studiorum causa (C. 34, *Eod.*). Nec obest Trid., XXII, *Reg.* 4, quia derogatio iuris antiqui non est facile praesumenda (Navarr.; Less., II, 34, 104): nisi forte parochia canonicatui sit adnexa, quia accessorium sequitur principale (§ 21, n. 13).

(1) *Reg.* 36 (olim 33) *Canc. Apostolicae* deprompta ex Concil. Basileaensi.

(2) Ex C. 1, *De Praescript.*; Rigant., nn. 4, 12. Et Nostri decennali (Less., II, 8, 35; Moli., *De Iustit. et Iure*, To. II, Disp. 70; Lugo, *De Iust. et Iure*, VII, 104) eam comparant.

(3) Cit. *Reg.* 36. Seu ex iure sit, velut Episcopis, canonicis cathedralis; seu ex privil. clauso in corpore iuris, seu, ut puto, ex statutis, vel consuetudine (Ex C. 7, *De Praeb.*).

(4) Ex cit. *Reg.* 36. Vel *discoloratum*, idest ab eo, penes quem nulla residet potestas conferendi huiusmodi beneficia: velut a Vicario capitulari (Gomez, q. 37; Riganti, n. 121), a Nuntio Apostolico (De Luca, *De Benefic.*, Disc. 26, 13; Lotter., II, 46, 62), aut a Cardinali S. R. E. (Riganti, n. 119) extra suum Titulum.

(5) Gomez, q. 18, 6; Tondut., I, 85, 39. Idest, postea iure ademptum; ut puta si beneficii renunciationem non publicaverit, *et nihilominus in sua possessione remanserit* (Greg. XIII, C. *Humano vix iudicio*, § 5): si quod vacaverat beneficium, vel ob aliud incompatibile adeptum (S. C. C., 14 aug. 1632), vel ob non susceptum ordinem suo tempore, non dimisit (Riganti, nn. 155, 186); si pacta a resignante, vel a R. P. sibi imposita non impleverit (Paris., Lib. I, III, 40).

sessio autem legitima, ut alias (Part, II., § 145, n. 4), esse debet, idest non coepta vi (6); pacifica (7). *Continua:* nihilominus interrupta *naturaliter* denuo inchoari potest (8): *completa:* sed beneficiatus uti poterit accessione possessionis eius a quo per renunciationem, vel permutationem beneficium accepit (9). Quaestionis est, an requiratur etiam bona fides: quidam affirmant, quia in iure canonico nulla datur sine b. f. praescriptio (10): alii negant, quia reg. de triennali eam non exigit (11): et rectius: nam prodest interdum et simoniacis et intrusis (V. § seq.).

50. Itaque reg. de triennali sanat vitia collationis (12); *cumque favore possidentium sit introducta* et ad lites praecavendas, benignam interpretationem recipit, et latissime accepta est. Nam ex uno capite obtinet sive collatio irrita fuerit ex parte collatoris (13): seu ex parte beneficiati (14), exceptis *simoniace ingredientibus* (15)

(6) Riganti, n. 148; V. Part. II, § 118, n. 7. Sed V. Lugo, *De Iust.*, VII, 38; V, 21; Croix, IV, 699, 11.

(7) Riganti, n. 61, ibique Rota R. Idest si nulla controversia ei mota fuerit, neque in iure neque extra ius (De Luca, cit. Disc. 91, 22; Riganti, n. 60). Ideoque, nedum posteriores controversiae, sed nec anteriores, obsunt, quia regula ad lites finiendas fuit introducta (Lott., I, 53, 19; Croix, IV, 696). Sed non obest controversia iudicialis, si adversarius liti renunciaverit, aut eam deseruerit; nec si lis mota fuerit post annum, vel coram iudice incompetenti (De Luca, nn. 24, 26; Lotter., n. 28; Gomez, Chokier, Riganti, nn. 83, 87).

(8) Tondut., I, 85, 65; Riganti, n. 64. Interruptio civilis non obest, si adversarius causa ceciderit (Par. II., § 143).

(9) Lapi, Allegat. 89; ibique Mandos., Riganti, n. 27; ibiq. Rota; Sanchez; Lugo, 108. Nempe quasi auctoris sui (Par. II., § 145, n. 8), ideoque non cuiuslibet antecessoris (Riganti, 42).

(10) Rebuff.; Navarr.; Reiff., in C. 1, *De R. I.*, in 6°, n. 27; Sanch., *Consil.*, Lib. II, Cap. I, Dub. 25; Less., II, VI, 35; Lugo, *De Iust.*, VII, 113.

(11) Gomez, 22, 21, 42; Tondut., I, 85, 47, Pal., Tr. XIII, Disp. 2, P. 33, n. 10. Nec dissentire reipsa videtur Riganti, n. 212.

(12) Pastor., *De Benefic.*, Lib. III, Tit. ult., n. 18. - *Habet vim Literarum* PERINDE VALERE (Riganti, n. 206): et *meliorem de mundo beneficiato titulum praestat* (Riganti, n. 19).

(13) Idest si collatio eius non erat; ut ecce si Episcopus contulerit beneficium superiori iam devolutum (Rigant., *Ad Reg.*, XXXVI, n. 109), vel reservatum, licet perpetuo, velut prima dignitas ecclesiae cathedralis (Chokier, n. 85; Gonzal.; Rigant., n. 103): vel si ipse conferre prohibebatur, forte excomunicatus, vel suspensus (Gomez, q. 28; Rigant., n. 110; Lugo, *De Iust. et Iure*, VII, 124).

(14) Ut ecce si forte inhabilis erat (dummodo fuerit clericus) beneficio recipiendo (Pal.,To. II,Tr.XIII, Disp. 2; Gomez, 2, 2); velut apostata (Rigant., 198), illegitimus (Gomez, *loc. cit.;* Lotter., II, 48, 274), aetatem non habens, vel ordinem *actu* requisitum (Rigant., nn. 192, 207).

(15) Cit. *Reg.* 36. Poena est; quamobrem non oberit simonia vel postea commissa (Gomez, q. 12; Chokier, n. 5; Rigant., n. 140; Croix, IV, 710); vel ab alio (contra C. 33, *De Simon.*), se inscio vel contradicente (Reiff., V, 3, 278; Suar., *De Simon.*,

et intrusis in beneficia reservata in corpore iuris (16): seu demum, verius, ex collatione ipsa minus canonica (17). Ex altero vero obtinet in omnibus beneficiis etiam litigiosis (18) et patronatis (19); exceptis parochialibus contra vel praeter formam tridentinam collatis (20). Et, verius, in utroque foro obtinet (21): sed possessor restituere debet fructus triennii, quos percepit in m. f. (22), deductis quae beneficiato suspenso deducere licet (Prol., § 382). Ad ultimum *possessio decennalis* inducit praesumptionem tituli (23): atque ideo is qui intendit titulum defuisse, docere id debet (24). Verum quia regula tuetur possessorem adversus privatos dumtaxat, Ordinario integrum est, *titulum* (coloratum), et in beneficiis singularibus apostolicam *dispensationem,* QUANDOCUMQUE exquirere a possessore, et non exhibentem detrudere (25).

APPENDIX III.

DE VETITA BENEFICIORUM PLURALITATE.

51. Quamdiu collatio beneficiorum ordinationi (qua clerici uni ecclesiae perpetuo adscribebantur) cohaesit, *omnia* beneficia singularia (*incompatibilia*) fuerunt: illa postea ab hac seiuncta, nequitia

Cap. 57, 9; Lugo; n. 126, ibiq. Gomez, Sanch., Less., Pal.; S. Alph., III, 111). Immo, verius, nec a se, nisi fuerit realis, et utrinque completa (Croix, 712; Lugo, cit. n. 126, ibiq. Gomez).

(16) Cit. *Reg.* 36. - *Reservata,* etc.; idest *vacata in Curia per obitum* (Chokier, n. 79; Lotter., II, 53, 17); non alias nec aliter (Rigant., n. 136). *Intrusum* vero heic accipere debemus eum, qui collato sibi beneficio a S. S., ex defectu tituli, Literis Apostolicis nondum expeditis (V. § 41, n. 11), beneficii possessionem ingreditur (Azor, Par. II, Lib. III, Cap. 35; Pal., To. II, Tr. XIII, Disp. I, P. 33); et non quivis intrusus (Reiff., III, 5, 514, etc.; V. Lugo, n. 131).

(17) V. Espen, *I. E. U.*, Vol. III, P. II, Sect. 3, Tit. IX, Cap. IV, nn. 17, 34, 35; De Luca, *De Benef.*, P. I, Disp. 91, n. 10; Barbo.; Reiff., III, 5, 349.

(18) Gomez, q. 41; Riganti, n. 152.

(19) Gomez, q. 9; Chokier, n. 50. Ut puta si benef. I. P. tibi collatum fuerit tamquam liberum. At non in *manualibus,* quae vocant, quippe quae Cancell. Regulis eximuntur (Gomez, q. 5; Riganti, n. 194).

(20) S. Pius V, C. *In Conferendis.*

(21) Reiff., *l. c.*, n. 25; Sanch., *Dec.*, 25; Less., II, VI, 35, ibiq. Navarr., Rebuff., Sa; Lugo, *De Iustit.*, VII, 106.

(22) Lugo, cit. Disp. VII, 136.

(23) De Luca, Disc. 91, 16. - *Decennalis,* ait, ULTRA TRIENNALEM; sed nullo auctore et nullo iure: et praescriptio tredecim annorum, in utroque iure, prorsus inaudita est.

(24) Lotter., II, 53, 21; De Luca, *loc. cit.*

(25) De Luca, *l. c.*, n. 11; Riganti, n. 97; Gomez, q. 42; Riganti, n. 160; Reiff., III, V. 349.

temporum, *nullum* prorsus (1). Serius incompatibilitas restituta quoad beneficia, 1° residentialia, vel tantum simplicia (2), 2° uniformia (etiam simplicia) sub eodem tecto (3); et demum, ex Tridentini decreto, 3° sufficientia (4). Principio igitur singularia sunt (et magis facto quam iure) beneficia residentialia: sed opus est, ut residentia (V. § 19, n. 11) sit *praecisa* (5), et revera *adsidua* (continua) sit; nam discontinua non impedit, quominus quis obtineat duo huiusmodi beneficia; dummodo et utriusque officiis diversis temporibus satisfacere per se possit (6), et beneficia duplicia (§ 19, n. 10) non sint (7).

52. Uniformia sub eodem tecto ea beneficia dicuntur, quibus adnexa sunt, 1° eadem officia; 2° eodem tempore; 3° in eadem ecclesia obeunda (8). Porro eamdem ecclesiam accipimus etiam eas partes illi contiguas, quae, ipsa polluta, polluuntur; ut sacristia et coemeterium, etc. (9). Haec beneficia sunt incompatibilia iure Canonico, ne ministrorum numerus minuatur (10); atque ideo etsi patronatus laicorum sint (11). Verum si unum ex iis tribus desit, incompatibilitas *ex hoc capite* cessat (12); atque ideo, verius, nulla, ad ea retinenda, dispensatione opus est (13).

53. Denique *sufficientia;* idest quae singula ad vitam eius, cui conferuntur, honeste sustentandam sufficiunt (14). At vero quae suffi-

(1) Cf. Thomass., *De Nov. et Vet.*, etc., P. II, Lib. I, Cap. I, etc., et Lib. III, C. 6, 34.

(2) Cap. 3, *De Cler. non resid.;* C. 28, *De Praeb.;* Reiff., III, V, 213, 238. - *Vel*, etc. (Garz., XI, V, a n. 260).

(3) C. 1, *De Consuet.* in 6°; Clem., ult., *De Concess. Praeb.* Utrumque confirmavit Trid., VII, *R.*, 4; Garz., XI, V, 182.

(4) Trid., XXIV, *R.*, 17; V. Pax Iord., To. II, Lib. 10, Tit. 28, ubi latissime; et Reiff., III, 5, 277, etc.

(5) Gonz., *Ad Reg.* VIII, Gl. 15, 20; Rigant., *Ad Reg.* I, § VIII, 12; Croix, IV, 918; Garz, XI, V, 261.

(6) Riganti, n. 14, ex S. C. C. 12 dec. 1708; Laym., Lib. IV, Tr. II, Cap. VIII, 6; Reiff., III, V, 229.

(7) Ex C. 1, *De Consuet.* in 6°.

(8) Pirhin.; Reiff., III, 5, 234; Pax Iord., L. X, Tit. 28.

(9) Garz., XI, 5, 259; Reiff., 233; Croix, IV, 923.

(10) Ex C. 3, *De Cler. non resid.;* Extr. *Execrabilis, De Praeb.* inter Comm.; Laym., VIII, 7; Croix, 922. Et est incompatibilitas omnium arctissima (Garz., XI, V, 190).

(11) Ventr., *Prax.;* etc., To. I, 18, 7.

(12) Riganti, *Ad Reg.* I, § VIII, 100. Idest, si vel non *eadem officia* eis inhaereant, ut dignitas, et simplex canonicatus (Garz., XI, V, 235; Laym., VIII, 7); vel eadem, sed non *eodem tempore*, veluti duae capellaniae quibus adnexa est missarum, non iisdem diebus celebratio (Navarr.; Rig., n. 102; Reiff., III, 5, 235); vel eadem eodemque tempore sed *in diversis ecclesiis* (nempe sive per se sive per alium) obeunda.

(13) Navarr., Cons. 245; Garz., XI, 5, 237; Pax Iord., To. I, a n. 18.

(14) Trid., XXIV, *R.*, 17.

ciant, hoc varie ex personis, ex locis, ex oneribus beneficio adnexis, ex dignitate officii quod beneficio cohaeret, et interdum ex ipsa quoque beneficiati conditione aestimari convenit (15). Illud, regulariter, ad rem non pertinet, si forte beneficiatus alias ex suis bonis (16), vel ex aliis ecclesiae reditibus (17) habeat unde honeste vivere possit.

54. Itaque clerico habenti beneficium, quo decenter ali potest, grave est canonico, et, ut multi putant, ipso naturali (18) iure, aliud, vel exiguum, beneficium acceptare (19). Contra, habenti quod non sufficit, fas est, eo non dimisso (20), aliud optare, vel amplissimum. Sed utrum habenti duo insufficientia liceat tertium, quartum, etc., beneficium conferre quoadusque sufficiant? Sententia forte communior negat, quia Tridentinum huic ALIUD beneficium, non *alia* conferri permisit (21); affirmant alii satis multi et sane graves, quia Trident. id intendit, ut quis ALI possit (22): quae sententia

(15) Reiff., III, 5, 224; Croix, IV, 904. Ex *personis*; nempe earum aetate, valetudine, scientia, servitiis Ecclesiae praestitis (Ex I *Timoth.*, V, 17; et C. 28, *De Praeb.*). Quod alii *Ordinarii* (De Luca, *De Benef.*, D. 119, 2); alii *ipsius beneficiati* (Paris, *De Resign.*, IV, 6, 131; Berar.; *h. t.*, Diss. I, Cap. 5; Riganti, *Ad Reg.* I, § VIII, 91); alii in foro externo *illius*, in interno *huius* aestimationi relinquunt (Pikl., III, 5, 10). Ex *conditione*, si forte vir sit nobilis; nempe quia obsequium et ministerium, quod quis Ecclesiae praestat, ex eius quoque dignitate, gradu, amplitudine, aestimari oportet (Lugo, *De Iust.*, IV, 63). Nempe, nisi is suis sumptibus suae dignitati consulere possit: et parce aestimari debet, et ut clericorum modestiam decet (V. Lugo, a n. 61).

(16) Reiff., n. 227; Riganti, n. 93.

(17) V. Paris., *l. c.* - V. c., ex capellania manuali, ex pensione (Lotter., I, 45, 14; Riganti, n. 122); ex distributionibus quotidianis (Paris., *l. c.*). Sed hoc postremum negant alii (Garc., XI, 5, 321; Reiff., 226).

(18) V. Salm., 28, 655; S. Alph., IV, 117. *Naturali;* lis, an. circ. 1245, insignis inter Theologos Parisienses (Cf. Dartis, Tr. *De Benef., De Plur. Benef.*, Sect. IX, Cap. 2). Nempe, non prout, e. c., fornicatio, sed prout homicidium quod aliquando licitum potest esse (D. Th., Quodl. IX, Artic. 15). Ideo dispensari heic potest, si id suadeat gravis Ecclesiae, 1° necessitas, vel, 2° utilitas, vel, 3°, evidens praerogativa meritorum (Ex C. 17, Cau, 1, 7; Abbas, in C. *De multa*, 7, *De Praeb.;* Laym., VIII, 2; Reiff., III, 5, 247). *Dispensari,* nempe a R. P. (C. 28, § ult., *De Praeb.*), non ab Episcopis; ne per commendas quidem, vel uniones ad vitam beneficiati (Trid., VII, *R.*, 8); queis iuri olim irrisum. Porro haec controversia adhuc sub iudice esse videtur; ideoque non facile damnandi sunt letalis, qui plura beneficia possident ubi id moribus et consuetudine receptum est, dum ne *magna coacervatio* fiat (Cf. Garz., XI, 5 a n. 263).

(19) Trid., XXIV, *R.*, 17. Etsi ab eo quod obtinet nihil percipiat culpa sua, v. c., quia non residet (Leuren., q. 110; Croix, IV, 903; V. Garz., XI, 5, 303).

(20) Atque ita, post multas concertationes, S. C. C., (ap. Fagn., in C. *Cum Iamdudum*, 57, 58, *De Praeb.*).

(21) Ben. XIV, Notif. 91, 6. Et ita S. C. C. censuit (Garz., n. 310).

(22) Barb., Panimol., Carol., Ant., De Luca, ap. Ben. XIV., *l. c.*, n. 3;

habet rationem. Quin multi putant, hanc tertiam incompatibilitatem ad beneficia Iuris Patronatus laici non pertinere (23): et licet haec sententia verior non sit (lex enim non distinguit, et omnium eadem est ratio), ubi consuetudine recepta est, tolerari potest (24). Utcumque, non sunt inquietandi qui bona fide in possessione eorum sunt (25). Ceterum haec, quia sunt odiosa, non pertinent ad ea quae vera ac propria significatione beneficia non sunt, ut pensiones (26), capellaniae laicales (27), beneficia manualia. Et ea quae ex secundo et tertio capite incompatibilia sunt beneficia, compatibilia omnino fieri possunt fundationum tabulis (28).

CAPUT III.

BENEFICIA ECCLESIASTICA QUOMODO VACENT.

55. Non loquimur de beneficiis, quorum collatio ab initio rata non fuit (v. c., ob simoniam), vel rata non mansit (velut ex reg. de 203; verum de his, quorum collatio et rata fuit et rata mansit. Haec igitur aut, I. ipso iure vacant ex quadam quasi conditione quae collatione beneficii inest tacite; vel, II. per renunciationem, aut permutationem; vel, III. in poenam vacant. Praetereo quae vacant per obitum, vel solemnem professionem religiosam (1), quia de his expedita res est.

56. Itaque, ex I. capite, vacua fiunt beneficia: 1° desertione status clericalis; sive beneficiatus uxorem duxerit (2), sive dimi-

Pitton., *Disc. Eccl.*, 118, 15; Navarr., *Man.*, 25, 129; Paris., ap. Garz., n. 308; Croix, IV, 900; Laym., Lib. IV, Tr. II, VIII, 7; qui hanc sententiam *communem*, et Azor (C. XI, 2, 5) qui *probabiliorem vocat*. Nec immerito: scilicet, ante Trid. (XXIV, *R.*, 18) id licuit (Ex C. 18, *De Praeb.*; Navarr., Cons. 10, *De Praeb.*).

(23) Massobr., *Prax. hab. Conc.*, XIV, 18; Cf. Panimoll., Decis. 21, n. 21. Nempe, aiunt, Conc. Trid. heic semper verbo *conferendi*, numquam *instituendi* (V. § 32, n. 1) usus est. Hanc quoque interpretationem explosit S. C. C., 22 nov. 1721 (Gagliar., *h. t.*, 22, 5) et Rota (ap. Garz., XI, V, 280).

(24) Azor, Cap. XI, 4; Pikl., III, 5, 12. Prout, Selvagio teste (*Inst. Iur. Can., h. t.* 19, n. 10), in Regno Utriusque Siciliae.

(25) Ben. XIV, Not. 91, 8 ex S. C. C.; seu patronata seu libera sint beneficia.

(26) Lotter., I, 45, 14; Barbo., *l. E. U.*, III, 13, 181; Tondut., *De Pension.*, Cap. 64, 65.

(27) Fagnan., in C. *Cum iamdudum, De Concess. Praeb.*, nn. 35, 71; Ben. XIV, *l. c.*, n. 7.

(28) Lotter., I, 32, 42; Riganti, *Ad Reg.* I, § VIII, 84, 92; Croix, IV, 905.

(1) C. 4, *De Regular.* in 6°; Cf. Vivian., V, 5; 25-117.

(2) CC. 1, 3, 5, *De Cler. Coniug.* Et ibi vacat, ubi matrimonium contrahitur (Rot. Rom., Decis. 728; Vi-

serit habitum clericalem (3), sive militiae nomen dederit (4). 2° Vacat ipso iure beneficium parochiale, si is qui illud nactus est infra annum ad presbyteratum non ascenderit (5); nisi forte vel toto eo tempore non fuerit in pacifica possessione beneficii (6), vel ordinem inire nequiverit (7). 3° Vacant assecutione alterius beneficii incompatibilis; idest si utrumque sit *residentiale*, vel *uniforme* sub eodem tecto (§ 52); nempe a die pacificae et fructuosae possessionis alterius initae (8); et haec quoque ipso iure vacant (9): et si quis *praesumpserit* utrumque retinere, ipso iure vacat utrumque (10). De his quae sunt incompatibilia propter reditus, utrum vacent ipso iure, non satis liquet (11).

vian., n. 120). Quid si irritae fuerint nuptiae? Et siquidem ex defectu consensus ipsius beneficiati, convenit beneficium non amitti (Garz., XI, 6, 10); secus, quidam putant nunquam amitti ipso iure (Less., II, 34, 113; Sanch., *M.*, VII, 43, 3, etc.); alii, longe plures, semper. Alii, si b. f. coitae fuerint nuptiae, illis; sin mala, his adhaerent (V. Garz., a n. 4); haec distinctio nullo iure nititur.

(3) Xyst. V., C. *Cum Sacrosanctum.*

(4) Ex C. 6, Cau. 23, 8; C. 9, § ult., *De Voto;* Paris., I, 1, 22. Verum adversus eum qui dimisit habitum clericalem sententia declaratoria opus est (Ben. XIII, C. *Apostolicae);* immo et adversus eum qui militiae (quid enim si forte invitus?) nomen dedit (Barbo., *De Off. Episc.*, III, 57, 216; Reiff., III, 124).

(5) C. 14, *De Elect.* in 6°. Itaque si ecclesia curata quidem sit, verum non parochialis; vel aliud beneficium, cui ordo est adnexus sive ex iure sive ex fundationum tabulis, sententia iudicis condemnatoria opus erit (C. 1, *De Aet. et qual. ordin.*).

(6) Garz., XI, 5, 118; Pal., Tr. XIII, Disp. IV, Par. VI, 3.

(7) CC. 1, 35, *De Election.* Licet sua culpa; quod aut verius est (Ex C. 7, § *Inferiora, Eod.*, ibiq. Glossa.; Clem., 2, *De Elect.*), aut aequius certe (Reiffenst., I, 14, 24; Schmalz., I, 14, 21; Salm., 28, 147, ibiq. Garc., Barb., Pal., etc.).

(8) C. 28, *De Praeb.* in 6°; Garz., XI, V, 100; Lott., III, 231. - *Pacificae:* nempe et facto et iure (Rebuff., *De Pacific.*, n. 197; Garz., n. 105); quod ut experiatur, permittitur retinere prius beneficium per duos menses (Garc., 113; Riganti, *Ad Reg.* I, § VIII, 155; Devot. Lib. II, Tit. 14, § 16). *Fructuosae*; nam si maior pars fructuum sit aliis reservata, non cogitur interea suum beneficium dimittere (C. 26, *De Praeb.* in 6°; Pirhing., III, 5, 56; Garz., n. 123).

(9) Trid., *l. c.* Et ita S. C. C. perpetuo censuit: et *indubitanter*, contra nonnullos, tenendum est (Fagn. in C. *De Multa*, n. 3, *De Praeb.;* V. Schmalz., III, 5, 116).

(10) C. 28, *De Praeb.;* Leur., III, 112; Croix, IV, 919, ibiq. Navarr., Paris., Pirhin. Nec *reg. de triennali* ei prodest (S. C. C. probante SS. ap. Garc., XI, V, 379). His accedunt beneficia quae vacant per promotionem ad Episcopatum (C. 7, § *Cum vero, De Elect.;* V. Garz., X, Cap. VI). Porro acceptatione secundi beneficii, ex alterutro hoc capite incompatibilis, tacita quaedam renunciatio prioris continetur: sed si utrumque simul (vel, ut puto, seorsum, te inscio) tibi collatum fuerit, optio tua est, utrum retinere malis (ex cit. C. 28).

(11) Ex Trid., VII, *R.*, 4; XXIV, 17. Affirmat Garz., XI, V, 283, sibi contrarius. Negant Gonz., Navarr., Leur., Pirh., Croix, IV, 910. At

57. Dein, II. vacant beneficia per renunciationem, vel permutationem. Renunciatio est: *Spontanea beneficii dimissio in manu superioris eam acceptantis* (12). Ut *valide* fiat, necesse est: 1° ex parte renunciantis, ut beneficium suum sit (13); utque non prohibeatur illud renunciare. Suum vero intelligitur quamdiu ei non fuerit ademptum per sententiam quae transierit in rem iudicatam (14): illud autem renunciare prohibentur impuberes (15); *novitii* ante duos menses professioni proximos (16); eorum vero, qui eo beneficio promoti fuerint ad ordines sacros, renunciatio non potest admitti, *nisi constito quod aliunde commode vivere possint* (17): 2° Ex parte superioris, fieri debet *in manu* eius eam acceptantis (18). Superior autem, praeter R. P., loci Ordinarius intelligitur, licet beneficium sit reservatum (19), vel sit collationis alterius (20).

profecto, quia heic ius in facto est positum, sententia saltem declaratoria opus erit.

(12) Ex C. 4, *De Renunc;* V. Flamin.; Parisius, *De Resignat. Benef.;* Reiff., I, 8, 2. Renunciatio in favorem alterius proprie *resignatio;* iuramento interposito, *ciuratio* dicitur.

(13) Ex C. 6, *De Renunciat.*

(14) Rot. Rom.; Garz., XI, III, 124. Ideoque valet renunciatio, tametsi beneficio privatus fueris per sententiam, pendente appellatione (Garz., n. 21): et quamvis sententia sit solum *declaratoria* (Paris.; Felin.; Garz., 124; Schmalz., III, 9, 9): sed hoc Nostri negant (Less., II, 34, 190; Pal., XIII, V, 43; Salm., 24, 490).

(15) Ex C. 6, *De Except.;* Schmalz., n. 14.

(16) Ex Trident., XXV, *De Ref. Reg.*, C. 16. Quae verior sententia est (Riganti, *Ad Reg.* XLVI, 16; Reiff., I, 9, 30). *Novitii;* ergo si nondum ingressi novitiatum renunciaverint, valet.

(17) Ex Trid., XXI, *R.*, 2; S. Pius V, C. *Quanta,* § 3. - *Constito;* ergo si haec conditio deficiat, renunciatio irrita est. Nec bene adnotator Ferraris (v. *Resignatio,* n. 123) docet ex hac C. *Quanta* hodie validam esse, atque ideo Ordinarium acceptantem renunciationem teneri in poenam alere renunciantem (quod nullo iure cautum est): nam quae in hac C. cauta sunt de nullitate §§ 1, 3, ad novam renunciati beneficii collationem pertinent. Ad haec necesse est, ut quis non dolo, nec iniusto metu coactus sit (CC. 2, 3, 4, *De iis quae vi*); alias renunciatio erit obnoxia rescissioni (V. Par. II, § 420).

(18) C. 4, *De Renunciat.* Quavis consuetudine, quasi corruptela, in contrarium sublata (C. 7, *De Consuet.;* Engel. I, 9, 3). Scilicet, munera publica sunt beneficia quibus se abdicare pro arbitrio non licet: exceptis transeuntibus ad Religionem (Ex C. 18, *De Regular.*), et beneficiis litigiosis exceptis (Garz.; Reiff., I, 9, 18).

(19) S. Pius V, C. *Quanta.* Ideoque, verius, et Vicar. Capitularis (Leuren., II, 714; Barbo., *I. E. U.*, I, 32, 96; Viestn., III, 9, 32; Schmalz., III, 9, 22); non item Vicar. Generalis, quippe negocium extraordinarium est (Paris., VII, 24; 1; Reiff., III, V, 191, 192). In manibus laicorum beneficia renunciare nefas est (C. 8, *De Renunciat.*).

(20) Glo. in Clem., 1, *De Renunciat.;* Garz., XI, III, 281; IV, 71; Paris., VII, q. 3; Croix, IV, 1020.

Demum, 3° ex renunciatione ipsa, ut omnis abfuerit simonia (21). Amplius, ut *licite* fieri et acceptari possit, iusta renunciandi causa opus est (22). Facta autem renunciatio tunc demum valere incipit cum superior eam acceptavit; et, si resignans absens est, acceptationem, ei, ut alias (Prol., § 224), renunciaverit (23): atque ex eo tempore (non antea) si valida fuit, omne beneficiati nomen, et ius, et obligatio evanescunt (24).

58. Ad haec, si renunciatio non sit facta in manu Pontificis, is qui eam acceptavit necesse habet vel eam reiicere, vel beneficium, quodcumque illud sit, etiam iuris patr. laicalis, conferre infra mensem, tametsi vacaverit in mense Pontificio; dum ne sit reservatum ex alio capite (25). Is autem, cui beneficium collatum est, possessionem eius capere debet infra tres menses a die collationis. Et si aut collator provisionem, aut provisus possessionem distulerit, provisio *illic* ad S. Sedem devolvitur; *hic* beneficium vacat eo ipso (26). Amplius; is qui de beneficio provisus fuit, sive a R. P.

(21) Ex C. ult., *De Pactis.* Ideoque si fiat in manibus Ordinarii, pure fieri debet (Garz., XI, III, 145). Nihilominus is qui simoniace renunciat beneficium, verius, illud non perdit ipso iure (Navarr.; Flamin.; Garz., 214; Reiff., I, 9, 145).

(22) C. 10, *De Renunciat.* Etsi non gravi; quod consuetudine est introductum (Croix, IV, 206).

(23) C. 14, *Eodem;* Engel, n. 12; Rebuff.; Reiff., I, 9, 48. Ideoque ante id tempus, verius, non tenet, nec in damnum renunciantis (Garz., XI, III, 223).

(24 Ex CC., 3, 6, *De Renunciat.;* Reiff., n. 40. Eousque igitur in potestate resignantis est eam, ut alias (Par. II., § 411), revocare (Rota Rom.; Selva; Felinus; Garz., XI, III, 227). Et, contra, posthac prohibetur percipere fructus beneficii, et officia ei adnexa exercere (Reiff., 139). Nec datur amplius poenitentiae locus (C. 12, *Eod.*): et ad beneficium dimissum, sine nova institutione, reverti non potest (Ex C. 45, *De Appell.;* Gonz., in C. 3, n. 9, *De Renunc.*). In his tantum renunciationibus, quae fiunt in manu R. P., renunciatio non intelligitur quoad renuncians, vel eius Procurator, novum (*formalem* vocant) consensum in Canc. Apost. iuratum praestiterit (Cf. Rigant., *In Reg.* XLV, § 1, 244). Dixi si valida fuit (Paris., I, III, 95; Reiff., I, 9, 141), quia quod invalidum est, nullum et infectum habetur.

(25) Greg. XIII, C. *Humano vix iudicio,* an. 1587; *Reg.* IX *Cancell. – Si non sit,* etc., nam si facta fuerit *in Curia,* provisio ad ipsum R. P. spectat (Garz. V, I, 542 ex cit. Reg. IX). Sed conferri nequit consanguineis, affinibus, familiaribus, seu renunciantis seu collatoris (S. Pius V, C. *Quanta,* § 5); ne per concursum quidem (S. C. C., probante Greg. XIII; Ben. XIV, *De Syn.,* XIII, 24, 3); exceptis beneficiis iuris patronatus (Ex Declar. Greg. XIII; Garc., XI, III, 268; Pyrr. Corrad., *Prax. Benef.,* Lib. V, Cap. I, 51; et Ferrar., v. *Resignatio,* n. 43).

(26) Greg. XIII, §§ 7, 8. Nisi forte intra id tempus aut *is* possessionem capere (Riganti, *Ad Reg.* X, IX, 216, 263), aut *ille* beneficium (v. c., omnibus in concursu reprobatis), conferre nequiverit. Verum recepta regula est, Pianam Consti-

sive ab alio, necesse habet renunciationem rite ac suo tempore publicare, alias beneficium eo ipso vacabit, licet beneficium manuale sit, vel iuris patr. laicalis (27). Denique etsi omnia observata fuerint, si *renunciatio*, vel permutatio facta sit *ab infirmo*, et is intra viginti dies a praestito consensu de ipsa infirmitate decesserit, evanescit (28).

59. Et haec quidem seu pura, seu impura sit renunciatio. Praeterea impura, si fiat in favorem tertii, sine cuiusquam iniuria facienda est: ideo nec beneficium patronatum renunciari potest sine consensu patroni (29), nec litigiosum sine adversarii consensu (30), nec perpetuo reservatum vel affectum sine beneplacito R. P. (31). Et nonnisi idoneis et dignis (32), immo dignioribus renunciari po-

tutionem non pertinere ad ea beneficia, quorum collatio non ad Episcopum pertinet, sed ad alios, licet in manu Episcopi resignata (Ben. XIV, *De Syn.*, XIII, 24, 7). Nec Constitutio Greg. XIII pertinet, ut opinor, ad beneficia iuris patronatus ecclesiastici, quippe in his institutio non provisio, de qua solum mentio est in § 7, locum habet: et congruit tum declarationi, eiusdem Greg. XIII, tum rationi, quippe alias iura patronorum laederentur.

(27) Cit. C. Greg. XIII, §§ 4, 5, 7; Ben. XIV, C. *Ecclesiastica ministeria.* RITE, idest in ecclesia cathedrali et beneficii, inter missarum solemnia; et edictis praeterea ad valvas earumdem ecclesiarum propositis. SUO TEMPORE, idest, si renunciatio facta fuerit IN CURIA, intra *novem* menses si beneficium extet ultra montes, intra *sex* sin citra; intra *tres* si facta fuerit EXTRA CURIAM; illic et istic a data concessionis gratiae, hic a die provisionis numerandos (Cit, §§ 4, 7). Et haec locum habent etiam in beneficiis litigiosis (Greg. XIII, *ib.* §§ 3, 4), et I. P. laicorum (Pirhing., 1, 9, 104; Paris., *l. c.*, q. 3; Riganti, 176). Sed et is, cui exinde collatum fuit, eamdem publicationem sub eadem poena facere debet (Greg. XIII, *l. c.*; Lotter., III, 21, 22; Garc., XI, III, 301; Riganti, n. 184). Quaestionis est, utrum etiam parochiae intra mensem conferri debeant? Negant Niccol. (*De Conc.*, etc., I, XI, 11), Barbo. (*I. E. U.*, III, 15, 13), Antonell. (*De Iure Cleric.*, I, 31, 28), Massobr. (*Prax. hab. Conc.*, Requis., VII, d. 1, n. 1), quia tam cita provisio confusionibus obnoxia foret: ratio brevis et urgens. Nihilominus Paris. (XI, 5, 2) et Riganti (*Ad Reg.* XIX, 213, 214) contra putant, eo quod alias renunciationes, et novae collationes parochiarum, publicationi, quae intra tres menses facienda est, eximerentur.

(28) *Reg. Canc.* XIX. Dies autem computantur de momento ad momentum (Paris, XII, 8, 10; Leur., III, 344; Riganti, hic n. 90). *A praestito*, etc.; porro bis fit renunciatio: prima simpliciter; et hanc R. P. *signat* illis verbis *fiat ut petitur:* tum interposito iuramento *Omnia sine fraude acta fuisse* (V. Paris., VIII, IX, 8); et ex hac dies 20 decurrere incipiunt (Riganti, n. 37). Itaque resignante mortuo intra dies viginti in mense Ordinarii, collatio pertinet ad Ordinarium (ex cit. *Reg.* XIX): sive extra Curiam renunciatio facta fuerit, quod nemo dubitat; sive *in Curia*, quod verius est (Riganti, n. 115, 141).

(29) V. Garc., XI, III, 16, 32.

(30) Ex C. un., *De Alienat.*

(31) Innoc. IV, C. *Bonus Pastor.*; Leur., III, 295; Croix, IV, 978.

(32) Croix, IV, 1009.

test; et curata sub gravi, nisi ecclesiae detrimentum modicum sit (33). Sane impura renunciatio nititur conditione sub qua facta fuit (34); haec autem, verius, non resolutiva, sed suspensiva est (35); proinde, quamdiu in pendenti est, renunciatio non intelligitur. Quamobrem resignatio in favorem alterius tunc valere incipit, cum is renunciati beneficii possessionem adeptus fuerit (36). Et si conditio per leges impleri nequeat, resignatio vitiatur (Par. II., § 307, n. 4); ideo facta in manu alterius, quam R. P., pro infecta erit; nec potest Episcopus resignationem acceptare, et conditionem reiicere (37).

60. Permutatio beneficiorum est *mutua*, *in favorem alterius*, *resignatio* (38). Constat renunciatione, et collatione; et utriusque iure consistit. Quamobrem, 1° ab his tantum fieri potest qui renunciare possunt: et his tantum, queis beneficia de iure conferri possunt, etiam consanguineis resignantium (39): 2° et ex iusta seu necessitatis seu utilitatis causa, saltem ipsorum permutantium, est facienda (40); in manu Ordinarii (41), consentiente (si quis sit) patrono, vel collatore (42). Demum, 3° facta subest regulae *de viginti* (43). Porro permutata beneficia, per resignationem, ex rigore iuris, invicem *vacant* (44), ideo neutri sine nova collatione acquiruntur (45). Collatio vero *heic* Episcopo, ut in puris resignationibus (§ 58, n. 25), permissa est (46). At vero, quia unius be-

(33) Lugo, *De Iust.*, XXXV, 50; Croix, IV, 586; S. Alph., IV, 99.

(34) Ex Clem., un., *De Permut.*; V. Paris., I, 3, 7.

(35) Paris., n. 10; Schmalz., I, 9, 48; Rot. Rom, - *Communis* DD. (Reiff., I, 9, 147).

(36) Barbo., *De Clausul.*, Claus., 66, 5.

(37) Garz., XI, 3, 155; Rebuff., *Prax., De Resign.*, Cond., n. 7; Suar., 35, 11; Less., II, 35, 86; Pal.; Salm., 19, 3, 57. Contra putant Covarr., Sot., Sanch., etc., quia conditio turpis pro non scripta est. Ita porro, sed in actibus ultimae voluntatis tantum, non hic (Engel, I, IX, 9).

(38) Ex Clem., un., *De Rer. perm.* - *Resignatio permutationis causa* (Clem., I, *De Rer. perm.*; Greg. XIII, cit. Const.).

(39) Riganti, *Ad Reg.* IX, § III, 37. - *Etiam:* nec obstat Const. S. Pii V, quia, cum sit derogatoria iuris communis, strictae interpretationis est; nisi forte fraus intervenerit (Ben. XIV. *De Syn.*, XIII, 24, 8).

(40) Ex C. 8, *De Rer. permut.*; Lambert.; Reiff.; Ferrar., v. *Resign.*, n. 60. Nempe quo melius Deo serviatur (Silv.; Garz., XI, IV, 47).

(41) C. un., *De Rer. permut.* in 6°; S. Pius V, C. *Quanta*; Riganti, *l. c.*, n. 35. Non item Vic. Capit.; nisi beneficia permutanda ad collationem ipsius pertineant (V. Garz., n. 74).

(42) Garz., 72; Reiff., I, IX, 61, 93, 101.

(43) *Reg. Canc.* XIX; V. § 58, n. 30.

(44) Ex C. 1, *De Rer. permut.*; Garz., XI, III, 3.

(45) Ex Clem., un., *Eodem tit.*; Garz., 85.

(46) CC. 1, 5, *De Rer. perm.*; Clem., Un., *Eod. tit.* Scilicet nisi

neficii resignatio, alterius collationis conditione (quae vi sua inest) innititur tota, permutatio, quoad eum qui resignavit, tunc demum rata constituitur, cum alterius beneficium sibi collatum fuerit (47); proinde si mea resignatio intercidat, e. c., vi regulae *de viginti*, tua quoque evanescit (48). Ad ultimum permutatio est obnoxia publicationi; atque ideo, hac a *neutro* permutantium facta, uterque beneficium amittit (49).

61. Supersunt beneficia quae, III. in poenam vacant. De his viderint Canonistae: nobis unum animadvertere satis est, neminem posse expoliari beneficio, nisi ob crimen expressum in iure (50), et servato ordine iuris (51). Eo autem expoliato per sententiam iudicis,

ad alium pertineat, vel beneficium sit reservatum, excepta regula mensium. Porro haec potestas Episcopis decreta, quia iuri derogat, cessat, nisi *vera* beneficia ecclesiastica permutentur ultro citroque (Barb., *I. E. U.*, III, 15, 198; Reiff., I, IX, 100).

(47) Ex cit. Clement.; Rot. Roman., 10 dec. 1604; Garz., VI, II, 126. Quamobrem, ex uno capite, si Caius beneficium suum Horatio renunciaverit, qui mox, suo nondum renunciato, vita decessit, Caio integrum est ad suum redire (C. 8, *De Rer. perm.*); et, verius, propria auctoritate (Flamin., I, 14, 2; Schmalz., III, 19, 80; Less., II, 32, 135; S. Alphons., III, 72). Ex altero vero si, beneficiis ultro citroque resignatis, post collationem factam Caio, Horatius nondum sibi collato beneficio mortem obierit, non licet Caio ad renunciatum beneficium reverti (Gonzal., *Ad Reg.* IX *Canc.*, Gl. 15, § 2, n. 40). Quid si Caius nondum beneficium suum resignaverat? Utique (aiunt) retinet utrumque: suum quia nondum abdicatum, alterius quia rite collatum (Less., II, 34, 197; Azor.; Rebuff.; Garz., XI, IV, 10). Sed indubitanter, si quid opinor, cogitur suum resignare, quasi altero ex causa dato, causa sequuta.

(48) V. Chokier, *ad* cit. *Reg.*, n. 24; Gonz., *Ad Reg.* VII, Gl. 14, n. 54; Leur., III, 336. Ideoque tuum ad te beneficium redit (Riganti, *ad* cit. *Reg.*, n. 77).

(49) Riganti, *Ad Reg.* XIX, 176. A permutatione differunt resignatio *reciproca*, et resignatio *triangularis*. Reciproca fit, cum duo ex condicto abdicant se beneficio in favorem tertii (v. c., fratris, nepotis alterius). Triangularis, cum ego beneficium tibi resigno, ut tu Caio tuum, Caius dein suum mihi renunciet (Reiff., I, IX, 123; Croix, IV, 1053). Illam coram Ordinario fieri non posse, hanc fieri posse per duplicem permutationem (idest, si quod a te accepi beneficium, cum Caio seorsum permutaverim), verius est (Reiff., n. 126; Schmalz., I, 9, 27).

(50) Selva; Reiff., III, 5, 370, Croix, IV, 940. Quae autem sint crimina huiusmodi, V. Leuren., III, 184, 233; Croix, 936. Potiora haec sunt: haeresis (C. 13, *De Haeret.* in 6°); simonia, de qua serius; assassinium mandatum vel procuratum (C. 3, *De Excess. Praelat.*), homicidium; concubinatus (Trid., XXV, *R.*,4); alienatio rerum immobilium, vel mobilium pretiosarum ipsius beneficii (Extr. *Ambitiosae, De Reb. Eccles. non alien.*).

(51) V. Trid., XXI, *R.*, 6. Nempe si de crimine agatur quod emendationem recipit, monitione primum, tum coercitione praemissis (Ex Trid., XXI, *R.*, 6), primum poenis canonicis, tum privatione tertiae partis, dein omnium fructuum (non distributionum quotidianarum) ipsius beneficii in eum animadvertendum est;

si poena privationis erat latae sententiae, cogitur etiam fructus a die patrati criminis restituere (Prol., § 308, n. 19): nisi eos perceperit in bona fide (52).

CAPUT IV.

DE IURIBUS ET OBLIGATIONIBUS BENEFICIATI.

62. Omnia beneficiati iura et obligationes, non a die collati beneficii, sed, ex receptis moribus, a die (non hora) initae possessionis initium capiunt (1). De iuribus primo.

63. Collatione beneficii initur quoddam quasi spirituale matrimonium inter beneficiatum et ecclesiam in qua beneficium excitatum est (2): exinde beneficiatus incipit esse velut dominus ecclesiae quasi *sponsae*, et bonorum beneficii quasi *dotis* (3). Ex primo sibi solum competit in ea ecclesia quas velit, ceteris paribus, sacras functiones obire (4), exceptis parochialibus (V. Prol., §§ 98, 99). Ex altero ei competunt omnes beneficii sui fructus: seu pendentes, cum incipit beneficiarius esse; seu percepti, cum desinit. Verum, non ceu fructuario (quae olim communior sententia fuit), sed utrinque pro rata, quasi marito (5). Hos autem fructus beneficiatus suos

ac demum, si non resipuerit, ei beneficium est adimendum (Trid., XXI, *R.*, 1; XXIV, 12). At in eos, quibus cura animarum credita est, severius agitur- Etenim licet Episcopo, etiam tamquam delegato Sedis Apostolicae, 1° eos ad aliam parochiam transferre (C. 5, *De Aer. permut.;* S. C. C., 27 ian., 18 dec. 1857; *Acta*, XI, 159) ex causa necessaria; puta si in sua parochia scandalum praebeant, vel eos mala plebs oderit (Paris., *De Aesign.;* Reiff., III, 19, 39; V. Ben. XIV, C. *Apostolici Ministerii*): 2° improbis vicarium ad tempus deputare: 3° imperitis coadiutorem adiungere (Cit. C. 6), reservata *his* (imperitis) *parte fructuum pro sufficienti eorum victu* (Ben. XIV. C. *Ad Militantis*, § 12).

(52) D. Th., 2, 2, 100, 6, ad 3; S. Alph., III, 111. Ut ecce si quis beneficium tibi simoniace, te nesciente, conferri curaverit V. Prol., § 241, n. 17).

(1) C. 4, 21, q. 2; V. S. Alph., III, 664. Ideoque huc non pertinent coadiutores cum futura successione (V. Laym., V, 18).

(2) Ex C. 3, *De Iure patr.;* Reiff., III, V, 9, ibiq. Fagnan. Itaque per beneficium clericus constituitur minister specialis illius ecclesiae, in qua beneficium est fundatum (Espen, Tit. IV, Cap. 6, 15).

(3) V. Covarr., *Variar.*, II, XV, 5,

(4) Cf. S. R. C., Urbis et Orbis, 10 dec. 1703, confirmatum a Sanctissimo, 12 ian. 1704. Merito igitur duxit Espen (Tit. 21, Cap. 1 n. 4), *collatione beneficiorum clericos functionibus ecclesiasticis applicari.* Et re quidem vera, quid aliud sunt beneficia ecclesiastica nisi ecclesiastica ministeria? V. § 18, n. 5).

(5) S. C. C, 23 dec. 1873, 28 ian. 1882; *Acta*, VIII, 201; XIV, 566. Et congruit Extr. *Suscepti regiminis, Ne Sede Vac.* Annus autem iniri solet a Kal. iuliis; verum, ubi id receptum non est, melius a Kal. Ianuar, initur; et NN. LL. civilibus congruit.

facit (6), idest dominium eorum nanciscitur (7); verum his tantum uti potest, qui ad victum sunt necessarii: quod varie aestimari debet pro personis, tempore, locis (8), nec non ad hospitalitatem exercendam et moderata atque honesta convivia, xenia, munuscula etc. (9). Quod superest, erogare debet in pauperes, vel in pias causas (10). Pauperum autem numero et ipsum contineri, et suos, si vere pauperes sint, immo prae ceteris, nemo dubitat. Quamobrem ei fas est, nisi ex suo vectigali habeat, atque ideo quasi pauperi, ex superfluis aes alienum dimittere (11), egentes sorores, aut neptes dotare, nepotes instituere; scilicet pro eorum conditione (12). In *causas pias* autem erogari intelligitur etiam quidquid impenditur praediis beneficii reparandis, vel augendis (13). Haec iura: venio ad obligationes.

64. Omnes beneficiati tenentur quotidie recitare horas canonicas, nempe per se (14). Qui non recitat, peccat graviter (5): et post sex menses a die initae possessionis, fructus deinceps non facit suos (16). Ideo debet eos restituere. Sed non omnes: nempe, deductis primum expensis vectigalibus et oneribus realibus: tum eius quod superest pars tribuenda est ceteris officiis quae beneficio cohaerent, pars horis canonicis (17): quota *his*, utrum dimidia, uti

(6) Clem., un., *De Cler. non resid.* in 6°; Trid., XXIII, *R.*, 1; XXIV, *R.*, 12. Et a Iulio III, C. *Cum sicut nobis*, an. 1550 definitum fuit.

(7) Clem., un., *De Cler. non resid.*; Iulius III, C. *Sicut nobis*; Laym., Cap. III, 3.

(8) V. Salm., 28, 671.

(9) D. Th., Quodl. 6, Art. 23; Lugo, *De Iust.*, IV, 66, 72.

(10) Trid., XXV, *Ref.*, 1. Et est grave (D. Th., 2, 2, 185, 7).

(11) Ex C. 2, *De Arbitr.*; C. 2, *De Fideius.*; Lugo, *De Iust.*, IV, 67.

(12) Ex C. 1, *De Cohabitat. Cleric.*; Reiff., III, 25, 70; Fagn., in C. *Si quis.* n. 19, *De Pecul. Cler.*; Lugo, n. 68. In summa, sic licet eis dare, ut non egeant, non ut ditescant (Trid., XV; *Ref.*, 2; Ben. XIV, *De Syn.*, VII, 2).

(13) S. Alph., III, 672. Utputa si aedes melius reposuerit, si ex agro olivetum aut vineam fecerit.

(14) Alex. VII, 21.

(15) V. Salm., 16, 2, 26. Nec excusantur (si in sacris non sint constituti), quod ipsis propositum sit non percipere fructus beneficii (Lugo, *Resp. Mor.*, V, VI, 2; Viva, in Alex. VII, 21, § ult.); quia non propter privatorum commoda, sed ad divinum cultum beneficia sunt instituta (Trid., XXI, *R.*, 6).

(16) Conc. Later. sub Leone X, Sess. IX, § *Statuimus;* S. Pius. V, C. *Ex proximo.* Dixi *deinceps*, nam antea eos non amittunt (S. Alph., III, 666).

(17) S. Alph., 673. Quaesitum est, an possit compensare restitutionem huiusmodi cum piis operibus (nempe quae mercedem recipiunt), quae aliis prosint. Et cum his, quae antea fecit quam officium omitteret, omnino non potest (Ex Alex. VII, 33); cum his, quae posthac facturus erit, potest, dummodo certo prodesse aliis possint, seu vivis, seu mortuis; immo et cum his quae fecit, quum officium

rigidiores; an quinta, uti benigniores, non convenit: ideo melius est id inter haec relinquere arbitrio boni viri, qui rem varie ex officiis metiri debebit (18).

65. *Haec* restitutio, non ex iustitia debetur, quippe a Conc. Lateranensi fuit introducta (19), sed est quasi poena conventionalis (20). Et, qua est *poena*, non intelligitur sine culpa gravi: sed materia gravis heic ex singulis vel modicis, verius, coalescit (21): si culpa gravis deerit, restitutio cessat, quamvis non modica pars fructuum illis respondeat (22). Qua est poena *conventionalis*, tenet ante omnem sententiam iudicis (23): nec datur hodie supplere quod pridie omiseris, quippe officium onus diei est (24). Facienda autem est restitutio pauperibus, vel in pias causas (25). *Pauperibus;* atque ideo et sibi ipsi eam facere potest (§ 63, n. 11), dum ne officium in fraudem omiserit (26).

66. Ex diverso, quia contrariorum eadem est ratio, non tenentur horas canonicas recitare, 1° qui fructus beneficii percipere prohibetur ob litem sibi motam, nisi certa spes sit se litem victurum (27); nec 2° is qui eos percipit quidem, sed iure metuit ne causa cadat (28); 3° is cui iniuste adimuntur (29); ac demum 4° is cuius

omittebat, si tunc de restitutione non cogitaverit (Croix, IV, 1215; Prol., § 166, n. 33).

(18) Laym., III, 3. Sane pars, quae horis canonicis fuerit adscripta, restituenda est pro rata *temporis* et *officii:* proinde qui uno die integrum officium omisit, solidum eius diei amittit; qui *Matutinum* et *Laudes.* semissem; qui alias horas, pro unaquaque sextantem (Conc. Later. et S. Pius V, *ll. cc.*): quamvis per unum dumtaxat vel alterum diem illas omiserit (Suar.; Vasq.; Salm., 17, 2, 56). Quid igitur si beneficio nullum, praeter horas canonicas, onus cohaereat? Utrum restituere *omnes* debeat, quia onus deferendi habitum, et coelibatus, compensantur cum privilegiis clericalibus, ceu putant Viva et Bonacina; an tertiam partem tantum, uti Henriq. et Sanch.? S. Alphon. (VI, 673, v. *Quid*) primum rectum, alterum ex Lessio (II, 34, 177) laxum putat. At si hoc laxum, illud rigidum est; saltem hac aetate quo privilegia clericalia vix non exsulant.

(19) Conc. Later., Sess. IX, § *Statuimus;* V. S. Alph., IV, 663.

(20) Viva, Alex. VII, 20, § 5; Suar.; S. Alph., 665; Prol., § 306, n. 9.

(21) S. Alph., III, 668; V. Prol., § 292, n. 20. Contra Salm., 17, 2, 56 aliosque.

(22) V. Bonac., *De Hor. Can.*, To. 1, Disp. 1, Q. 5, P. 2, n. 12. Ut puta si dimidiam singulis diebus *Nonae* partem omittat: scilicet restitutio ex culpa metitur.

(23) Alex. VII, 20; S. Alph., III, 665.

(24) S. Alph., III, 667.

(25) S. Pius V, cit. Const. *Ex proximo.*

(26) Suar., Cap. 30, 18. – *In fraudem:* idest ut fructus sibi, quasi pauperi, adscriberet.

(27) Salm., 16, 2, 38, ibiq. Suar., Laym.; S. Alph., III, 664.

(28) Salm., 16, 2, 37, 38.

(29) Sanch., Lib. II *Cons.*, Cap. 2, d. 47. Ut puta si iuste quidem suspenso absolutio differatur iniuste (Salm., 16, 2, 40).

beneficii reditus adeo tenues sunt, ut ne ad tertiam quidem patrimonii partem (iuxta cuiusque dioecesis taxam) pertingant, detractis oneribus (30); nisi forte plura huiusmodi beneficia possideat, et omnium reditus simul sumpti hanc partem excedant (31).

67. Deinde quibus obligationibus fructuarius, seu potius maritus, iisdem et beneficiarius est obnoxius. Ideo non potest bona, sive immobilia sive mobilia, ut ecce sacras supellectiles suae ecclesiae, alienare, pignori dare (32), servitutibus obnoxias facere; praediorum formam mutare, nec in melius (33), nisi multum et evidens. Contra debet uti rebus sui beneficii more boni patrisfamilias (34). Et quasi suis uti potest (35); verum ad eum usum, ad quem destinatae sunt (36). Demum eas sartas servare debet, et iura beneficii tueri (37). Et si huius rei causa opus sit expensis non modicis, siquidem superfluos reditus habet, hos impendere debet (38), sin minus, Ordinarii arbitrium erit quid faciendum sit: et si Ordinarius adiri nequeat et periculum sit in mora, nihilominus id facere debet, quod bonus paterfamilias in suis rebus faceret; et quidquid impenderit, repetet (39). At si impensas utiles fecit, ut puta si quid plantavit, inaedificavit, etc., repetitio cessat (40): maxime quia vel ex

(30) Ex C. 19, *De Praeb.* in 6°; Sot., X, V, 5; Less., II, 34, 169; S. Alph., III, 674. Nisi forte inopia unius anni cum alterius anni copia compensetur (Croix, IV, 1193). Et nisi ipsi imputandum sit, quod tam exiguos fructus percipiat; ut ecce si diminuti sint culpa sua (V. Croix, 1195), si eos reliquerit resignanti, aut pensionario (S. Alph., *l. c.*); aut, verius, fabricae ecclesiae, vel aliis praebendatis (Salm., 16, 2, 42). *Detractis oneribus;* ut ecce missarum stipendiis (Less., n. 172; Salm., n. 47). Nec tenetur officium recitare diebus festis, secus ac Lessius et Peliziarius, pene singulariter, putant.

(31) Salm., 16, 2, 46.

(32) Ex C. 1, *De Pignor.;* Ben. XV. Not. 69, 5.

(33) L. 16, § *Sed si aedium, De Usuf.* – V. c., dividere domum; diaetas transformare, vel coniungere, aut separare; aditus, posticasque vertere etc. (Cit. L. 16, § 7, *Sed neque*). Quamquam heic plus beneficiario liceat, quam usufructuario; quia nullus forte invitus dominus est.

(34) Ex L. 28, § 3, *Locati.*

(35) L. 18, *De Iure Dot.*

(36) Ex L. 18, *De Usufr.*

(37) Ex L. 50, *Eod.* Itaque ipsi aestimabitur, v. c., si debitorem beneficii suo tempore non convenerit, isque solvendo esse desierit (L. 34, *Eod.*); si non utendo amiserit servitutes praedio beneficiario debitas vel si usucapiones, praescriptiones sub *antecessore* suo coeptas adversus beneficium mature non interruperit (L. 16, *De Fund. Dot.*).

(38) CC. 1, 4, *De Eccles. Aedific.*; Pekius, *De Reparat. Eccles.*, Cap. 14; Gagliar., *h. t.*, n. 12.

(39) Ex LL. 1, 4, *De Impens. in rem dot. factis.* Sane si id locum habet in his quibus omnes fructus pleno iure pertinent ad fructuarium, eo magis in beneficiatis locum habere debet.

(40) L. 8, *Eod.;* C. 5, *De Pec. Cleric.*

superfluis reditibus beneficii eas fecisse, vel donasse praesumitur (41). Et ita utimur.

68. Et haec sunt communia omnibus beneficiatis: nunc de iis qui residentiale beneficium habent. Residentia est: *In loco beneficii, officia ei adnexa personaliter obeundi causa, perpetua commoratio* (42). Duo igitur exigit: 1° ut beneficiatus per se impleat onera beneficio adnexa; et ideo 2° ut in loco beneficii commoretur. Inde in *formalem* et *materialem* diducitur. Quisquis igitur residentiale beneficium habet, tenetur in loco beneficii moram trahere, et officia personalia beneficio cohaerentia per se, non per alium, obire (43). Ad haec provisi de beneficiis curam animarum habentibus, vel dignitatibus, aut canonicatibus in cathedralibus, necesse habent facere fidei professionem intra duos menses a die adeptae possessionis: alias *fructus non faciunt suos* (44); nempe posthac, et quoad professionem emiserint (45). Denique, si beneficio sit adnexus ordo aliquis sacer, hunc suscipere oportet anno proximo (46) ab inita possessione (47). Sed licet Episcopo hoc tempus prorogare; nempe, si ordo requiratur ex statutis ecclesiae, de consensu Capituli (48): et probabiliter etiam cum promoto ad parochiam (V. § 40), ut studiis vacet (49).

69. Obligationes praetereo quae oriuntur ex fundationum tabulis, quia magis in facto quam in iure consistunt. Ut generaliter dixerim, I omnia onera imposita beneficio possunt per alium impleri (sed vide § 68, n. 44); nisi fundator aliud caverit nominatim (50).

(41) Ex § 30. *De Rer. divis.* Sed si nulli superflui reditus fuerint, aequitatis ratio (cum in iure canonico nihil de hac re cautum sit) habenda est: quid enim si is adhuc adolescens haec fecerit quasi fruiturus diu?

(42) Schmalz., III, 4, 1.

(43) Trid., XXIV, *R.*, 12: Laym., VI, 2.

(44) Trident., XXIV, *R.*, 12; S. Pius V, C. *Iniunctum onus.* – *Facere,* nempe in manu Ordinarii: et canonici praeterea in capitulo quisque suo (Trid., *l. c.*). Et *per se,* non per procuratorem (S. C. C., ap. Bened. XIV, Not. 60, 13), eam facere debent.

(45) Barb., in cit. C. 12, Trid., n. 32. Nec *ulla* iudicis sententia opus est (S. C. C., ap. Ben. XIV, n. 15). Nihilominus canonici lucrantur distributiones (quia non sunt fructus) pro horis quibus intersunt (S. C. C., 6 Febr. 1726; Ben. XIV n. 11).

(46) Ex C. 5, *De Aetat. et qual. Ord.*, ibiq., Glos.; et Trid., XXII, *Ref.*, 4; XXIV, *R.*, 12. Nec cogitur antea suscipere, ne parochus quidem (Ex C. 17, *De R. I.* in 6°; Rebuff., *De non prom.*, n. 19).

(47) Schmalz., I, 14, 20.

(48) Ex C. 34, *De Election.* in 6°.

(49) Selva, P. IV, q. 6; Wienst., III, 4, 33; Schmalz., III, 4, 62; Ex Trid., V, *R.*, 1; *R.*, 2, Et supponunt generaliter Salm. 28, 149, ibiq. Sanchez et Barbosa.

(50) Rot. Rom., 4 Aprilis 1729; Riganti, *In Reg.* I, VIII, 20.

II Si is missas *celebrari* iusserit, applicari debent (51); nisi manifestum sit, eum solam praesentiam desiderare; sed per alium applicari possunt, nisi aliud palam expresserit (52). Ab his *vacat* qui adversa valetudine, vel qua alia iusta causa, impeditur eas celebrare (53); dum ne fundator aliud iusserit; sed non ultra unum mensem, vel alterum (54): nisi forte et sit pauper, et eo beneficio promotus fuerit ad ordines, is enim vacare poterit quamdiu laborat (55). III Missae celebrandae sunt tempore ac loco in tabulis definitis; et, regulariter, est grave (56). *Tempore;* nihilominus ante celebrare, omni (57); post, infra modicum tempus (58), idest infra mensem (59), gravi culpa vacat; nisi aut alia mens fundatoris esse videatur (60), aut damnum alterius iniustum id vetet (61). *Loco;* et hoc expeditum est: et si celebrari debeant in altari privilegiato, non satisfacit qui alibi eas celebrat (62); nisi aut postea lucretur indulgentias in alio altari privilegiato, aut ipse altaris personalis indulto gaudeat (63). Ceterum si quis locum mutet semel aut bis

(51) S. C. C., 21 Mart. 1868; *Acta.* III, 525. Et si fundator *solemnes* celebrari iusserit, cum diacono et subdiacono sunt celebrandae; non item si dixerit missas *cum cantu* (S. C. C., 29 Ian. 1684; Ben. XIV, Not. 105, 119).

(52) S. C. C., 17 Sept., 1783; S. Alphon., VI, 330. Scilicet, hodie non amplius ex C. 11, *De Praeb.,* sed ex voluntate fundatoris haec aestimantur (V. *Acta,* VII, 181, 182). Itaque si is iusserit, ut capellanus per se, et nisi per se possit, per alium celebret, onus celebrandi personale non intelligitur (Ex S. C. C., 24 Febr. 1872).

(53) C. *Significatum,* 11, *De Praebend.* - *Vel qua* (S. C. C., 5 febr. 1650; 24 apr. 1655); ut ecce si in vinculis detineatur iniuste.

(54) Lugo, *De Euch.,* XXI, 49; Salm., 5, 5, 35. Et probabile putat S. Alph. (VI, 333). At S. C. C., 4 iunii 1689, 17 nov. 1695, censuit non posse omitti ultra quindecim dies.

(55) S. C. C., 5 febr. 1650 (*Dec.,* Lib. 19, pag. 24), 24 apr. 1655 (*ib.,* pag. 45); Girald., *Expos. I. P.,* To. I, P. 1, Sect. 336. Et qui debet celebrare quotidie et per seipsum, vacare poterit semel in hebdomada; nempe reverentiae, vel maioris devotionis causa (Ex C. 11, *De Praeb.;* S. C. C., 18 apr. 1683; Ben. XIV, Not. 56, 6). Aut quinquies, vel sexies per annum pro se, vel aliis gratis, celebrare, nisi mens testatoris refragetur (Suar.; Barb.; Navarr.; S. Alph., VI, 332).

(56) S. Alph., VI, 329.

(57) Lugo, *De Euch.,* XXI, 44; Salm., 5, 5, 27.

(58) Ex Innoc. XI, Decr. *Nuper,* §§ 19, 22 ad 11.

(59) S. C. C., 17 iul. 1655; S. Alphon., V, 317.

(60) Lugo, n. 43; Salm., 5, 5, 28. Ut puta si statutis diebus, v. c., fer. IV, aut VI, celebrari iusserit; nisi palam appareat, se nulla speciali causa motum eos dies statuisse; aut causa qua motus fuit omnino cessaverit (V. S. Alph., VI, 329).

(61) Salm., 5, 5, 29. Ut ecce, si debeas celebrare *pro omnibus* defunctis, non licet ante celebrare, ne careant suffragiis qui postea decedunt (Lugo, *De Euch.,* XXI, 44).

(62) V. Salm., 5, 5, 52.

(63) V. S. Alph., VI, 329, Not. II.

in mense, vel pluries ex iusta causa, aut omni aut certe gravi culpa vacat (64). Ad haec fas est Ordinario mutare tempus et locum, si iusta adsit causa seu publica seu privata, fundatoris voluntatem interpretando (65).

APPENDIX

DE HIS QUAE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS QUOQUO MODO AFFINIA SUNT.

Art. I. *De Legatis piis, Capellaniis, Vicariis, et Pensionibus ecclesiasticis.*

70. Hucusque de beneficiis: ab his toto coelo distant Legata Pia, etsi perpetua (1). Haec sunt vel realia vel personalia: realia dicuntur quae vel ex aliquo praedio seu praediis relicta sunt (Par. II, § 356); vel queis satisfaciendis fundator haec pignori (hypothecae) obligavit: inde patet quae sint personalia. Personalia tenent heredes pro portionibus hereditariis: realia quoscumque rei possessores (Par. II, § 126, n. 5) pro rata praedii (2): nempe heredes semper; extraneos, si vel onus legati rite transcriptum (*Ib.*, § 136, n. 12), vel hypotheca rite fuerit inscripta (*Ib.*, § 189, n. 18), vel praedium titulo lucrativo ad eos devenerit. Quod si non satis appareat, utrum reale sit legatum an personale (ut ecce cum legatur genus, aut quantitas, v. c., decem olei cadi, adiecta mentione praedii ex quo praestari debent), si praedium *taxative* fuerit relictum, legatum reale; sin *demonstrative*, personale intelligitur (3).

(64) Salm., 5, 5, 20. Ut ecce si sacerdos, egressus sacristia, videat altare ab alio celebrante occupatum (S. Alph., *l. c.*).

(65) S. Alph., VI, 329. Veluti si testator tempus, aut locum determinaverit ob commoditatem familiae, quae postea extincta est, vel alio migravit.

(1) V. C. 11, *De Celebr. miss.*; C. Un., *De Cler. non resid.* in 6°; Garz., III, 102; Berardi, *Comm. in I. E. U.*, To. 2 in fine., Append. *De Benef. impropr.* Perpetuum intelligitur quod relictum est in annos singulos (LL. 1, 20, *De ann. legat.*) Quod hodie nec his, quibus relictum est, acceptare licet iniussu Ordinarii (Innoc. XII, C. *Nuper*, 23 dec. 1697); nec Ordinariis, nisi unicuique missae celebrandae libellae 17, hodie saltem 30 (V. Par. II, § 107, n. 30), supersint (Innoc. XII, ap. Ben. XIV, Not. 57, 20; *De Syn.*, XIII, 25, 34).

(2) V. Berar., *l. c.*, v. *Deinde*, in fi.

(3) V. Ben. XIV, *De Syn.*, XIII, 25, 32; V. Par. II., § 356, n. 24. Ac proinde, praedio interempto, legata supersunt (Ben. XIV, n. 31); licet heredes illud ecclesiae iam destinaverint; non item, ut puto, si tradiderint, quippe in eius dominium transiit (Sed V. Lucidi. *De Visit. SS., LL.*, To. II, p. 431, n. 97).

71. Capellania definiri potest: *Ius temporaneum percipiendi reditus ex bonis ad perpetuam missarum celebrationem in certo quodam altari, vel oratorio* (4). Capellaniae propriam naturam non habent, sed eam capiunt ex voluntate constituentium (5). Nihilominus sine dote a capellano possidenda, et aliquo ecclesiastico munere ab eo per se vel per alium obeundo (6), ne intelligi quidem possunt. Itaque si fundatae fuerint interventu et auctoritate Ordinarii, ecclesiasticum (7): secus, laicum aliquid sunt (8). Inde sunt vel ecclesiasticae, vel laicales. Ecclesiasticae, si a fundatore ea lex eis dicta sit, ut clericis in perpetuum conferantur, vere *officia* seu ministeria; sin ut ad nutum vel arbitrio, v. c., Episcopi, auferri possint, magis *servitia* ecclesiastica sunt: ideo illae vera beneficia sunt; et *collativae* (9); hac beneficiis accedunt, et *beneficia manualia* dici solent (10). *Laicales*, si fundator eas clericis dari iussit, laicales simpliciter; sin et laicis dari permisit, mere laicales nuncupantur (11). Itaque Capellaniae *collativae* in omnibus et per omnia beneficiorum iure aestimantur; quia nomina res non mutant (12). *Manuales* non item: ideo 1° neque reservationibus, neque devo-

(4) Ex C. 11, *De Praeb.;* Latini, *h. t.*, XVI, § 1. Communiter definitur: *Onus perpetuum missas celebrandi in certa aliqua ecclesia vel altari* (V. Vasq., in 3 P., D. 234, n. 25; Schmalz., III, 5, 8).

(5) Berard., *l. c.*, v. *Capellae.* Quam immutare, ne patronis quidem consentientibus, omnino non licet (Garz., I, II, 105).

(6) Berar., *l. c.*, v. *Itaque.* Et ex hoc distat a *legatis* (V. Fagn., in C. *Ut Abbates*, n. 77, *De Aetat. et qualit. Ordin.*).

(7) V. Ferrar., v. *Capellania.*

(8) Reiff., III, V, 72. Tametsi clericis conferri debeant (Garz., III, II, 107); et inamovibiles sint (Barb., *I. E. U.*, III, V, 3). Quamobrem Episcopus in eis conferendis se immiscere non potest, sed sub fundatoris, heredumve dispositione continentur (Garz., 102, 105): et (si perpetuae fuerint) conferri possunt ordinandis, non in *titulum*, sed in patrimonium (*Ib.*, 112): et controversiae quae super eis oriuntur ad magistratum civilem pertinent (Berar., *l. c.*, v. *Laicae;* Barb., n. 6). Verum ut *collativae* dici possint, necesse est, ut auctoritate Episcopi erectae, et in titulos creatae fuerint (Barb., *l. c.*, n. 2).

(9) Garz., III, II, 95, *Communissima.*

(10) Gonzal., *Ad Reg. Canc.* 8; Reiff., 43. – *Dici;* non enim *sunt.* Nec est audiendus Garzias qui, contra communem omnium sententiam, vera beneficia esse putat (Barbo., *I. E. U.*, III, V, 15).

(11) Vasq. et Schmalz., *ll. cc.;* Cf. Reiff., III, V, 16, 44. Et erectio in titulum, si ab Ordinario postea sit facta, nihil mutat (Corrad., II, 16, 145; Piton., *De Contr. Patr.*, 33, 87); et solum *pro acceptatione* habetur (S. C. C., 7 iul. 1860; *Acta*, II, 327). Et, ex diverso, si manifeste appareat ipsum capellaniam laicalem fundare voluisse, haec laicalis erit, licet verbis *erigendi, repraesentandi*, usus sit (S. C. C., 3 febr., 1753; 23 nov. 1765; *Acta*, II, 326).

(12) Reiff., III, V, 18, 71.

lutionibus sunt obnoxiae (13); et si iuris patronatus sint, quandocumque ad eas praesentari potest (14): 2° conferri possunt, regulariter, vix infante maiori (15); et hi, quibus conferuntur, non indigent *institutione;* et, verius, ad horas canonicas non obligantur (16): demum 3° singulares non sunt, licet uniformes sub eodem tecto (17): nihilominus vacant desertione status clericalis; ut ecce si capellanus matrimonium contraxerit (18). Denique *mere laicales* ab uxoratis quoque, immo et ab infantibus et a foeminis retineri possunt. (19).

72. Quoties cura animarum est penes unum (seu collegium, seu individuum, utputa capitulum, dignitatem) habitualiter tantum, actualiter vero penes alium, huius ministerium *vicaria* proprio nomine dici solet (20). Quae definiri potest: *Officium gerendi curam*

(13) Gonz., *l. c.;* Garc., V, I, 510; Reiff., III. 394; Berar., *l. c.*, v. *Singularia.*

(14) Berar., *l. c.*; *Acta,* I, 634. Nihilominus si patronus differat capellanum nominare, fas erit Episcopo administratorem interim deputare (S. C. Epp., 10 apr. 1854; Lucidi, II, p. 402, n. 45).

(15) Ex C. 9, ibiq. Gl., v. *Aetatem, De Rescr.* in 6°.

(16) V. Croix, IV, 236.

(17) S. C. C., 19 maii 1708; 6 dec. 1721; Garc., XI, 5, 208; Pax Iord., X, 28, 75; Riganti, *Ad Reg.* I, § VIII, 81.

(18) Ex S. C. C., 24 aug. 1867; *Acta.* III, 370. Porro, etsi manuales capellaniae sint, capellanus sine ulla prorsus causa removeri non potest, nisi forte sint *ad nutum amovibiles* (Reiff., III, V, 45), aut laicales (De Luca, *De Benef.,* Disc, 80, 17; Leon., *De Offic. Capellan.,* Quaest. V. Sect. XVI, 251): hae ad beneplacitum revocari possunt, modo collator patronus non promiserit haud revocaturum (Berar., v. *Perraro*).

(19) S. C. C., 12 iun. 1712; 1 mart. 1776; 13 dec. 1787 (*Acta,* I, 637, 638).

Quid si non satis appareat, utrum quis ecclesiasticam, an laicalem; laicalem simpliciter, an mere laicalem capellaniam instituerit? In priori casu, si tabulae fundationis exciderint, ex praecedenti (et non tantum ex ultimo) statu aestimabitur (S. C. Epp., 19 ian. 1866; *Acta,* I, 618; Berar., *l. c.,* v. *Laicae,* circa med.): si extent, sed mens fundatoris in ambiguo sit, tenendum est ecclesiasticam excitare voluisse, quippe id per se ipsum capellaniae vocabulum satis demonstrat (Ex L. 67, *De Legat.,* I; Berar., *l. c.* – *Communis*). In posteriori, si appareat fundatorem magis ecclesiae consulere voluisse, laicalis simpliciter, sin magis heredibus, vel patronis, mere laicalis habebitur (In S. C. C., 15 dec. 1787; V. *Acta,* I, 637, v. *In Auximana*): et si neutrum appareat, id accipiendum erit, quod a proprietate verborum, quibus usus est, minus recedit (Ex cit. L. 67; V. Amost., *De Caus. Piis,* III, 13, 4; Piton., *De Contr. Patron.,* Alleg. 34, 20, 87. 3; *Acta,* I, App. XXIII, p. 734). Ad ultimum si capellania (vel quid aliud) fundata fuerit sub conditione resolutiva, puta ut, si lege aliqua suppressa fuerit, bona ad heredes abeant, ea existente, nedum capellania etc., sed et pia onera ei adnexa, quippe in substitutione non repetita, evanescunt (Ex L. 99, *De V. O.;* S. C. C., 27 ian. 1877; *Acta,* X, 89).

(29) Cf. Berar., To. II, Diss. III, Cap. III, v. *Unio.*

animarum, penes alium habitualiter residentem (21). Qui vicariam habet, dicitur *vicarius in divinis* (22). In vicaria tria dispicere oportet, officium, bona, ius (23): *officium* est cura animarum, quod ab Episcopo erectione in titulum oportet constitui (24): *bona* sunt ea pars fructuum, quae in eo officio constituendo separantur ab ecclesia, arbitrio Episcopi, et vicariae dotem constituunt (25): *ius* est quod vicario competit exercendi curam animarum. Officium et bona (seu dos) ex seipsis perpetua sunt; ius vel perpetuum, vel revocabile: inde vicariae vel *perpetuae*, vel *amovibiles*. Illae sunt vera beneficia parochialia (26): hae non item (27). Utrorumque nominatio illorum est *in quorum ecclesiis ponuntur* (28). Instituti,

(21) Ex CC. 2, 3, 6, *De O. V.;* Trid. VII, *R.*, 7; XXV, 16.

(22) Ex C. 6, *De Cler. non resid.;* V. Ferr., v. *Pensio*, n. 3.

(23) Cf. Christ. Lup., *Schol. in Conc.*, V; Greg. VII; Can. 9.

(24) S. C. C., ap. Fagn., in C, *Ad audientiam*, n. 2, *De Rescr.;* Barb., in Trid., VII, *R.*, 7, n. 7; Berar., *l. c.*

(25) Trid., *ll. cc.* Arbitrium huiusmodi temperavit S. Pius V, C. *Ad exequendum*, restituit Ben. XIV, C. *Cum semper*. Et si fructus postea decreverint, supplendi erunt ab *ecclesia:* at non contra (Berar., *l. c.*, v. *In cospectu*).

(26) Ex C. 27, *De Rescr.;* Clem., un., *De O. V.* Et horum iure per omnia censentur (Ferrar., v. *Vicarius Parochialis*, a n. 21). Ideo *his*, et in primis quoad institutionem ac remotionem, aptanda sunt quae de beneficiis curatis in iure canonico cauta sunt (Ex cit. Clem.). Ceterum erectae post Conc. Trident. non subsunt reservationi ex reg. mensium (Ex Const. 46 S. Pii V, Garz., IX, II, a. n. 304): antea erectae utrum subsint, incertum est (V. Garz. IX, II, 302; Riganti, *Ad Reg.* IX, § II, 86).

(27) De Luca, *De Benef.*, Disc. 80, 16. Ideo *singulares* non sunt: et aliquis potest esse in una ecclesia vicarius, in alia canonicus (S. C. C., 24 sept. 1864. *Acta*, IV, 420). Porro vicarios amovibiles potest Ordinarius, si id expedierit, perpetuos facere (Trid., VII, *R.*, 7): nisi forte cura animarum competat capitulo ex primaeva institutione (Ex Triden., XXV, 16; S. C. C., 12, 26 ian. 1726; 29 aug. 1857, et 5 aug. 1876; Lucidi, *De Visit.*, To. III, n. 24; *Acta*, XI, 609, 613), vel ex privilegio, vel ex pacto et concordia a S. S. approbata (Reiff., I, 28, 28; V. Ferrar., v. *Vic. Parochi*, a n. 8). Ubi autem cura animarum exercetur a canonicis *per turnum*, Ordinarii a S. C. C., hortari solent, ut ex eis, vel extra (ut expedit magis), vicarios constituant (De Luca, *Ad Trid.*, Disc. 9, n. 3).

(28) S. Pius V, C. *Ad exequendum*, 1 nov. 1566. Quamvis autem hoc ius *nominandi* aliud sit a iure patronatus (Rigant., *Ad Reg.* IX, § III, 359; Berar., v. *Ad praecavendas*), nihilominus iis quibus competit, dantur sex menses ad nominandum, sive perpetuus sit vicarius, sive amovibilis (S. C. C., 24 sept. 1864, *Acta*, IV, 421); oeconomo interim ab *Episcopo* constituto (Trid., XXIV, *Ref.*, 18; S. C. C., 24 feb. 1868. *Acta, ib.*, 428). At institutio authorizabilis (§ 42, n. 18) ad solum Episcopum spectat (Ex Trid., XXV, *De Reg.* II; C. 12. *De Praeb.;* C. 1, *De Capell. Monach.*) *praevio examine* (S. Pius V, *l. c.*, § 3. Sed V. Garz., IX, II, 298).

sive *illi*, sive *hi* exercent curam animarum quasi suam; atque ideo privative quoad eum, penes quem est cura habitualis (29); nisi *huic* aliquod ab initio aut ius reservatum fuerit, aut onus relictum (30). Vicarii perpetui removeri non possunt, nisi aliquid admiserint depositione dignum (31); amovibiles possunt, ex iusta causa (32): et hodie nedum ab eo qui illos nominavit, sed et ab Episcopo qui eos instituit: et si in ecclesiis regularium existant, removeri possunt *tam ab Episcopo, quam a Superiori Regulari aequo iure, nec requisito alterius consensu, quin alter de hac re alteri rationem reddere debeat* (33).

73. Pensio est: *Ius percipiendi certam partem redituum ex beneficio alieno ad tempus detractam* (34). Et in laicalem et clericalem diducitur. Est *laicalis* quae datur seu laico seu clerico ob ministerium aliquod temporale, vel ob temporalem aliquam causam (35). Haec est aliquid prorsus temporale (36), ideo eam praetereo. *Clericalis* quae conceditur clerico *uti clerico*; v. c., pauperi, ut alatur; vel parocho seni et effoeto. Haec quoque est aliquid temporale natura sua, quippe omni ecclesiastico ministerio vacat (37): nihilominus in favoralibus, regulariter, pene instar beneficiorum habetur (38). Pensiones concedit R. P. Possunt et Episcopi transactionis causa (39); sed his tantum, queis beneficia, excepta aetate,

(29) Barb. *I. E. U.*, III, 6, 21; Reiff., I, 28, 42; Ferr., n. 30. Secus ac vicarius parochi (v. c., aegroti, vel absentis), qui, non sua, sed parochi iurisdictione utitur. Et Regulares, qua vicarii, subsunt immediate *iurisdictioni, visitationi, et correctioni* Ordinarii in cuius dioecesi vicaria sita est (C. 9. *De Priv.* in 6°; Trid., XXV, *De Reg.* 11, Ben. XIV, C. *In firmandis; Bull.*, To. I, n. 109).

(30) *Ius*, puta administrandi Baptismum, Viaticum, Extr. Unct., etc. (Ex S. C. C., 15 iunii 1878, *Acta*, XI, 248). *Onus*, v. c., applicandi missam pro populo (S. C. C., 16 dec. 1820, *Acta*, XI, 334. 335).

(31) C. 3, *De O. V.*

(32) Bouix, *De Paroch.*, App. I, Cap. 1; Pirh., I, 23, Sect. 1, § 2. - *Iusta*, inquam, iudicio Episcopi (ex C. 1, *De Capell.*).

(33) Ben. XIV, *l. c.*

(34) Gigas, *De Pensionib.*; Tolet., *Summa*, V, 82; Schmalz., III, 12, 2; V. Garz., I, 1; V, 262. *Ad tempus*; nam si perpetuo separati fuerint, instar beneficii est (Ex C. 4, *De Praeb.* in 6°),

(35) Reiff., III, V, 85.

(36) Garzias, I, IV, 8; Laym., XVIII, 2.

(37) Ex C. 4, *De Praeb.* in 6°; Trid., XXI, *R.*, 2; Schmalz, III, 12, 4. Et Conc. Trid. pensiones a beneficiis perpetuo secernit (*l. c.*; et XXIII, *R.*, 18; XXV, *R.*, 15). Ideo conferri possunt vix infante maiori (S. C. C., in *Nullius*, 24 mar. 1627; Fagnan., in C. *Cum in cunctis*, n. 102, *De Lection.*).

(38) Ex Declarat. Greg. XIII, 19, dec. 1576, et 8 aug. 1577; Fagn., in C. *Ad Audientiam*, n. 117, *De Rescrip.* Ubi fusissime (Reiff., III, 6, 92). *Regulariter*, nam in pluribus fallit.

(39) Ex C. 5. *De Transact.*; S. Alph. 79.

conferre licet (40): extra hunc casum utrum eas imponere possint, incertum est (41). Debentur ex die concessionis, licet beneficiatus nondum coeperit possessionem beneficii (42). Et quia *sunt pars redituum*, pensionatus agnoscere debet onera et vectigalia imposita beneficio, quaeque in dies imponuntur (43). Nihilominus, si in certa pecuniae summa (ceu nunc obtinet ad evitanda ultro citroque incommoda, tricas, etc.) constitutae fuerint, auctis vel imminutis quoquo modo reditibus beneficii, neque augmentum neque deminutionem recipiunt (44). Onera pensionati haec sunt: recitare officium

(40) Ex C. S. Pii V, *Sacrosanctum;* Garzias, I, V; 121. Ideoque cle icis tantum idoneis et dignis (Schmalz., III, 12, 21) in habitu et tonsura incedentibus (Xyst. V, C. *Cum sacrosanctum*), infante maioribus.

(41) V. Garz. I, V, 3; Reiff., III, 12, 89. At certe possunt in collatione beneficiorum *constituere ut ipsi proventus* (beneficii) *retineantur ad tempus pro causa iusta et necessaria* (C. un., circa fin., *Ut eccl. benef. sine dimin.*); v. c., pro ecclesia reparanda (V. S. Alph., III, 74).

(42) Azor., Lib. VIII, Cap. IX. 9, 2. Quem vide, quia longa quaestio est, et implicita. Sed ante expeditas Liter. Apostolicas exigi nequeunt (Gigas., *De Pension.*, IX, 40).

(43) Gigas., q. 38; Garz., I, 5, 171; Piton., *Disc. Eccl.*, 56, 17. Licet extraordinaria (S. C. Epp., 17 sept. 1869. *Acta,* V, 177). *Non obstante clausola exemptionis ab omni onere, quia haec exceptio sublata fuit* per *Const.* Gregorii XIII, *ut in Toletana,* (Rot. Rom., *in Ausculana* 17 feb. 1586, ap. Gig., q. 59, *Acta,* V, 175). Quid si non supersint beneficiato necessaria ad vitam alendam? Et si pensio constituta fuerit pactis conventis, v. c., in resignatione beneficii, vix aut ne vix quidem reducitur (In S. C. Epp., 14 mart. 1873. *Acta,* VII, III). Alias, si pensionatus ea fruatur *titulo lucrativo,* aequum est eam moderari, aut deleri (Ex S. C. C., 26 febr. 1825, *Acta, l. c.;* Fagn., in C. *Nisi, De Praeb.*, n. 27; Lotter., *De Re Benef.*, I, 42, 60): sin oneroso, velut parocho, *utroque* egente, potior esse videtur causa beneficiati, tum *voluntate* eius qui beneficium fundavit, tum *aequitate,* tum denique *iure* ipso. Scilicet pensio, quasi usufructus, quotidie constituitur et acquiritur (Par. II, § 358, n. 34); sive, uti aiunt Canonistae, *est onus successivum* (Cf. Lotter., I, 42, 60); ergo devenit ad eum casum, in quo initium habere non potuisset.

(44) Leuren., *De Pension.*, Disc. 91, 4; Azor., Lib. VIII, Cap. XIII, q. 3; Ferrar., v. *Locatio,* a n. 37. Nihilominus si imminuti fuerint ultra dimidiam eorum partem, aequum est etiam pensionem minuere pro rata (V. Garz.. I, V, 400. *Acta,* XII, 76). Penes nos hodie, imminutis vel amissis ex publicis direptionibus beneficiorum reditibus, cautum est, *ut amissio vel deminutio redituum beneficiorum in communi beneficiarios et pensionarios afficiat pro rata;* ita tamen, ut Episcopis et Parochis *integra et incolumis servari debeat Congrua Tridentina* (Decr. *Cum Nuperrimi,* 20 ian. 1871; S. C. Epp., 21 iun. 1871); idest scutatorum 1000 pro Episcopis, 100 pro Parochis. Tria vero animadvertenda sunt: 1° heic agi non de novis impositis *vectigalibus*, verum de *reditibus* imminutis, vel extinctis; II° illa 1000-100-intelligi *scutata* ex Libellis 5, 37; III°, *ratam* vero instituendam esse *deductis mille, aut centum, super residuo redituum* (S. Congr. Epp., 30 maii 1883); et si nihil residui sit, nihil debebitur.

parvum B. M. V., nisi ex alio capite ad horas canonicas teneatur (45): et si pensio, vel pensiones simul sumptae excedant annuos duc. 60 de camera (libell. 322), in habitu et tonsura incedere debet (46). Pensio extinguitur iis fere modis quibus beneficium amittitur (47): et praeterea pensione ipsa a beneficiato licite redempta (48), vel (si id concessum fuerit) in alium translata (49).

(45) S. Pius V, Const. *In proximo*. Alias non facit fructus suos pro rata temporis et officii (Suar., *De Religione*, To. II, Lib. IV, Cap. XXX, 22). Verum haec Bulla non ubique recepta fuit.

(46) Xyst. V, C. *Pastoralis:* alias ipso iure pensionem amittit (Cit. C., § 2); nempe si ad statum laicalem rediisse videatur (Schmalz., III, 12, 28). Quaestionis est, utrum teneatur superfluum erogare in pias causas, quia sunt fructus beneficii: an minus, quia ipsamet pensione addicti sunt in pios usus, quos proinde non oportet in alios pios usus deinceps invertere? Illud mihi verius; hoc longe communius, et satis probabile (S. Alph., III, 491).

(47) Cf. Garz., I, V, 103 etc. Ut puta morte, solemni professione religiosa (Schmalz., III, 12, 43), matrimonio (Tondut., Cap. 75), promotione ad Episcopatum (Garz. 108, 112), vel si pensionatus militiae nomen dederit, (Barb., *I. E. U.*, III, II, 50): sed ex hoc capite non ipso iure; quid enim si brevi ad militiam clericalem revertatur? (Lugo, *Resp Moral.*, V. 22, 5). Quaestio elegans est, quis, mortuo beneficiato, insolutas ab eo forte pensiones solvere debeat; heresne eius, an successor in beneficio? (V. Garz., I, V, 191). Sententia longe communior *hunc* onerat, prout in vectigalibus (Ex L. 7, *De Vectigalib.*, 1). Quod alii negant; et rectius, quia pensio est pars fructuum, quos beneficiatus quasi socius (Gig., q. 38; Tondut., VI, 5; Piton., *Disc. Eccl.*, 56, 17), suo et pensionati nomine administravit (De Luca, *De Pension.*, 19, 8). Nec obstat cit. L. 7, quia illic *praedia* ipsa, hic *fructus* conveniuntur; nempe quia fiscus tacitam in bonis hypothecam habet (L. 1, C. *In quib. caus. pign.*).

(48) Gigas., Quae. 87, 99. *Licite;* nam alias venditio (quia hoc est quasi titulum vendere) *labem simoniacam redolet.* (Ben. XIV, C. *In sublimi*). Et ita vetus lis finita est. Et si reservata fuerit in resignatione beneficii eo pacto, ut redimi posset, eam redimendo, alter pensionem, alter beneficium amittit; pactum autem praesumitur, praesumptione iuris et de iure, si ante sex menses redempta fuerit (Ben. XIV, *l. c.*, § 3). Quin S. C. Epp., 12 Mart. 1840, censuit, nec reditus vendi posse repraesentata (*anticipata*) solutione (V. § 79, n. 18).

(49) Puteus, Lib. II, Decis. 342. Nempe, quia est nova pensio, in clericum alias idoneum (V. Garz., I, V, 239 etc.); sed non ultra dimidiam eius partem (Innoc. XI, B. *Circumspecta*). Et transferri possunt vel in ipso mortis articulo (Leuren., III, 616, 622; Croix, IV, 1170, ibiq. Garc., Corrad., Lott.; Ferr., n. 76).

Hactenus de pensionibus realibus; sunt et personales, nempe quae non ex reditibus beneficii detrahuntur, sed beneficiato qua tali imponuntur, atque ideo duraturae quamdiu beneficiatus retinuerit beneficium (Devoti, II, XIV, Sect. IV, § 32). Has Episcopos imponere posse, translatitium est: sed, 1° ex iustissima causa; et in permutationibus beneficiorum si eorum reditus sint inaequales (C. 26, *De Praeben.;* Caccialupo, *De Pensionibus*, Quaes. XIII, 4): 2° cum consensu beneficiati (Caccial., Q. V; Gigas, q. XV; Leuren., III, 457), saltem tacito (Schmalz., III, 12, 14):

ART. II. *De Legatorum Oneribus moderandis, vel adimendis.*

74. Legata moderari est, ea deminuere aliquid ex eis detrahendo, vel resecando: heic de legatis, nedum beneficiis aut capellaniis adnexis, sed utcumque in perpetuum relictis. Haec moderari immo et prorsus adimere licet, 1° *iusta* eorum, qui ea reliquerint, voluntatis commutatione; vel 2° interpretatione; vel 3° iustitia id exigente.

75. Ex primo capite (1) id licet, verius, Ordinariis, tamquam Sedis Apostolicae delegatis (2). Ex altero hodie eis vetitum est reducere *onera ulla missarum aut per concilium* (Tridentinum) *imposita, aut in limine fundationis; nisi in ipsa beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat Episcopo iniunctum onus reducere* (3). Ex tertio nisi fundator iusserit tot, v. c., missas celebrari quot ex redi-

et, 3° sic, ut *is* non egeat deducto (Ex C. 30, *De Praeb.*: Fagn., in C. *Nisi*, n. 26, *De Praeb.*). Exceptis beneficiis parochialibus, quibus eas imponere non possunt, ne resignationis quidem, aut permutationis causa (Ben. XIII, C. *Quanta*, § 3); ne favore quidem alterius parochiae reditibus destitutae (S. C. Epp., 27 Apr. 1866. *Acta*, II, 226).

Pensionibus accedunt *praestimonia*. Est autem praestimonium, *stipendium quod ex reditibus ecclesiasticis datur clerico in vitae subsidium, praesertim ubi addiscendis scientiis, aut literis, vacat* (Reiff., III, 5, 80). Praestimonia, seu portiones praestimoniales, nullum servitium in ecclesia habere solent (Reiffenst., n. 81). Dantur autem vel in perpetuum, vel ad tempus. Quae in perpetuum dantur, si in titulum fuerint erecta, vera sunt beneficia (Ex C. 8, *De Conces. Praeb.*); sin minus, pensionibus accedunt. At, quae ad tempus conferuntur, non sunt nisi mera stipendia (Laym., Azor., Reiffenst., n. 82).

(1) V. Crispin., *Visit. Past.*, Par. II, § 18, n. 6. Praedium *taxative* relictum accipimus, quod testator SOLUM; *demonstrative*, quod, *prae ceteris*, legatis praestandis obligavit (V. § 70, n. 3).

(2) V. Par. II., § 365, n. 5. Verum in Italia, et ubi viget Tribunal Fabr. S. Petri, Episcopi hoc iure uti non solent (De Luca, *Ad Trid.*, Disc. 21, n. 2).

(3) Urb. VII, et Innoc. XII, Decr. *Nuper*, 21 iun. 1625; 23 dec. 1697; V. Croix, VI, II, 63 etc. In *limine*, etsi adeo tenue legatum sit, ut nemo velit hoc onus subire (Cit. Decr. *Nuper*, ad I; Ben. XIV, *De Syn.*, V, X, 2). Verum hoc decretum, quia derogat et legi praeexistenti (C. 12, *De Constit.*), et iuribus Episcoporum, ad reductiones missarum easque perpetuas coercendum est: ideoque adhuc integrum est Episcopis cetera legata moderari, utputa eleemosynarum, dotium etc. (Pasqualig.; et S. Alph., VI, 331, d. 3), et legata missarum ad breve tempus (Sylv.; Croix, IV, 855). At vero *onera missarum* accipere debemus omnia, quia Decretum non distinguit; atque ideo etiam anniversaria (S. C. C., 26 novem. 1583; Fagn., in C. *Ex parte*, 12, *De Constit.*, n. 30).

tibus celebrari poterunt, nullo neque earum numero, neque stipendio (4) definito, reductioni locus esse potest quoties reditus praediorum non amplius sufficiunt oneribus satisfaciendis; nempe quia vel reditus ipsi imminuti sunt, vel aucta stipendia. Et *reditibus imminutis*, quidam putant reductionem solius R. P. auctoritate fieri posse (5); quidam, contra, vel propria; nam qui cogor, aiunt, sine iusta, vel nulla mercede eas celebrare (6)? alii, multi quidem et graves, docent rem expediri posse, et oportere interventu Ordinarii, saltem quasi arbitrio boni viri (7); et rectius. *Aucto stipendio*, quidam adhuc putant opus esse auctoritate Apostolica; quidam nulla prorsus (8): verum, aut ego fallor, aut res in casum superiorem recidit: scilicet, tunc augentur pretia, stipendia, cum valor pecuniae decrevit (Par. II., § 107, n. 30): aut igitur redituum quoque pretium crevit, et non de legatis minuendis, verum de augendo stipendio agendum erit; aut non crevit, et hoc ipso imminuti videntur. Dixi *imminutis*, *aucto*, etc., quia si impares reditus, vel impar stipendium acceptatum fuerit, nefas est obstrictam, vel tacite, pio benefactori fidem fallere (9).

76. Quoties autem moderationi legatorum locus est, sic moderari debent, ut minimum, quod fieri potest, detrimentum exinde capiat is qui ea reliquit. Quocirca primum delenda sunt reliqua pia opera, integro relicto missarum numero (10); nisi aut mens testatoris aliud suadeat, aut haec onera aliis praediis cohaereant (11). Quando autem omnino necesse est coercere missarum numerum, si aliae sine cantu

(4) V. S. Alph., VI, 331, d. 2. Si enim nullum stipendium taxavit, consuetum pro tempore ac loco voluisse intelligitur.

(5) Salm., 15, 7, 152; ibique Mart. e Prado, Gavant., Peliz., Philip., Lezan., etc. Nempe quoad relicta in ipso limine fundationis, vel ante Concil. Trid. relicta.

(6) Francisc. De Lugo, Lib. 5 *De Sacram.*, Cap. 12, Quaest. 9, n. 97; Amost., *De Caus. Piis*, Lib. II, Cap. 12, n. 41; Pasqual., qu. 1076, n. 4. Sane, aiunt, si toto praedio interempto, *omnis* obligatio cessat ipso iure; ex parte interempto, quidni cesset *ex parte?* (L. 72, pr., *De Legat.*, II; L. 43, *De Condit. et dem.*).

(7) Azor., P. II, Lib. VI, Cap. 24, q. 6; V. Croix, IV, 855, ibique Pirhin., Laym. et Azor.; Pal., Tr. XIII, D. I, p. 6, n. 23; Navarr., *Manual.*, 25, 138; Moneta, *De Comm. ultimar. volunt.*, V, 372; Wienst; Schmalz., III, 41, 149.

(8) V. Salm., 15, 7, 152.

(9) Fagn., in C. *Ex parte, De Constit.*, n. 24; Ben. XIV, *De Syn.*, XIII, 25, 26. Et ita a S. C. perpetuo responsum fuisse tradit. Sed licet coram Episcopo, quasi iudice ordinario, laesionis agere, ceteris paribus (S. C. C., 22 maii 1784; Lucidi, *De Visit.*, p. 432, n. 101).

(10) S. C. C., ap. Fagn., *l. c.*, n. 34.

(11) Ben. XIV, *De Syn.*, XIII, 25, 23.

celebrandae sint, aliae cum cantu, ab his incipiendum erit (12). Demum reductio computari debet ad eleemosynam missae manualis, iuxta taxam dioecesanam (13). *Quod si reditus subinde augeantur, augeri* (idest redintegrari, servata proportione) *quoque debet missarum numerus* (14).

ART. III. *De Rebus Ecclesiae alienandis, vel non.*

77. Bona ecclesiastica sunt quae a personis moralibus (Prol., § 43) ecclesiasticis, atque ideo auctoritate ecclesiastica erectis, possidentur (1). Bonorum huiusmodi proprietas est penes ipsas personas morales; administratio penes eorum rectores, oeconomos, syndicos; cura et quasi tutela penes locorum Ordinarios (2). Quamobrem ea quae servando servari possunt, alienare nefas est nisi ex iusta causa (3), et de consensu Ordinarii (4). Iusta causa est ecclesiae *necessitas*, vel *utilitas*, *pietas* (5). Nec quaelibet, nam immobilia et mo-

(12) S. C. C., ap. Ben. XIV, n. 34.

(13) S. C. C., 3 Febr. 1725.

(14) Instruct. S. C. C., ap. Bened. XIV, *l. c.* Quamvis reductio perpetua fuerit (Scav., III, 305), quippe *causam* habet *successivam* (Proleg., § 235, n. 41).

Utrum onera missarum praescriptione, non quidem immemorabili, quae loco tituli pene est (V. Croix, IV, 852), verum saltem quadragenaria deleri vel minui (et contra induci, vel augeri) possint (ut ecce si, quum applicandae essent missae 100, beneficiatus applicaverit 50, vel contra), inter TT. et canonistas non satis convenit. Mihi negantium sententia verior est (Par. II., § 141, n. 11; Ferrari, v. *Usucapio*, § I, 30).

Adhuc de legatis moderandis, quod *futurum* tempus respicit. Quod si praeterito tempore non fuerint impleta, sive ex toto sive ex parte, compositio ac proinde *absolutio* a R. P. (per S. Poenitent. vel R. Fabric, S. Petri, vel per S. C. C.) impetranda est: *dummodo malitiose ea non omiserint animo habendi compositionem* (Inn. XII, ap. Ben. XIV, *De Syn.*, 13, 25, 15).

(1) Petra, in Extr. *Ambitiosae* To. V, Sect. 3, n. 26; De Luca *De Alienat.*, To. VII, Disc. I, n. 12; Pikl., III, 13, 3; Pirhin., III, 13, 4; Pal., P. 14, n. 11; Croix, IV, 1368 in fi.

(2) V. Sarmien., *De Redit. Eccl.*, Par. I, Cap. I. – *Quasi:* scilicet potestas Episcopi tutoria potestate latius patet (Engel, III, 13, 6; Pikl., n. 6; Laym.; Pirhin., n. 43). Sane tutores non possunt alienare immobilia sine decreto Iudicis (L. 22, C. *De Admin. Tutor.*); nec donationes, praeter *solemnes*, facere possunt (L. 3, § *Cum, De Adm. Tut.*). Episcopi possunt iure suo et illa interdum alienare; et has, moderatas, facere (C. 3, *De Donat.*).

(3) C. 6, *h. t.* (*De Bon. Eccl. non alien.*); Bonac., *h. t.*, To. 1 in fi., P. 2, n. 8.

(4) C. 1. *h. t.* in 6°; Reiff., III, 13, 17. Ordinarium vere accipere debemus Episcopos et Abbates *vere nullius;* non item Praelatos regulares (S. C. C., 17 Nov. 1703, apud Petra, *l. c.*).

(5) Reiff., n. 18. Ut puta, si urgeant creditores (Ex C. 1, *De Pignor.;* Engel, *l. c.*), si quid melius comparari velit (C. 8, *h. t.*), si pauperes alendi sint (C. 70, Cau. 12, 2).

bilia pretiosa, ex iure novo, sine beneplacito Sedis Apostolicae alienari prohibentur (6).

78. Bonorum autem et alienationis vocabula *hoc iure* latius accepta sunt. Etenim *bona* (immobilia) accipere debemus 1° et ea quae fundo tenentur, ceu fodinae, et arbores frugiferae, vel praedio necessariae (7); 2° iura realia, uti census (8), reditus ex versuris publicis (9), et pecunia praediis (vel mobilibus pretiosis) acquirendis destinata (10) ab his qui eam contulerint, donaverint, reliquerint (11). *Alienationem* vero omnes contractus quibus dominium transfertur, utputa vendere, permutare, in emphyteusim concedere (12), locationes ultra triennium (13), ac demum omnem actum per quem ius aliquod reale ab ecclesia decedit, vel reale onus imponitur rebus ecclesiae, velut census (14), servitus, hypotheca (15).

79. Dixi *regulariter:* nam, 1° quoad *locationes*, haec prohibitio non pertinet ad beneficiatos ubi locatio, resoluto iure locatoris, etiamnum cessat; vel si hoc pacto inita sit, ut cesset eo resoluto (16).

(6) Extrav. *Ambitiosae, De Rebus Eccl. non alienan.* (inter Comm.). Quae strictam interpretationem recipere debet; primo quia veteris iuris derogatoria est; deinde quia detrahit potestati ordinariorum; demum quia excommunicatione alienantes coercet, quae poena est omnium gravissima. Porro mobilia pretiosa accipimus vasa aurea vel argentea, gemmas, etc. (L. 22, *De Adm. tut.*): et quae vel antiquitate praestant, vel artificio (Reiff., III. 13, 12); dummodo valeant saltem aureis 25 de Camera (V. Tromb., *Praxeos*, etc. Cap. X., n. 1); idest libellas 235; copiosas bibliothecas (Ferrar,. v. *Alienatio*; S. Alph., IV, 187). Porro privilegia, Regularibus hac super re concessa, omnia in Europa revocata fuerunt ab Urbano VIII per Decret. S. C. C., 7 sept. 1624.

(7) Petra, Sect. 2, n. 12, ex S. C. C., 14 ian. 1679; De Luca, Disc. I, n. 26; Ferr., I, 10 (V. Par. II., § 110, n. 6). *Tenentur;* nam si *ruta* (eruta) *coesa* fuerint, fundi esse desinunt (Voet, I, 8, 13).

(8) Clem., *Exivi,* § *Cumque, De V. S.*

(9) V. Ferr., v. *Alienatio,* IV, 25. Prout olim *Loca Montium* (Petra, *l. c.*, n. 7).

(10) Ex L. 3, § *Quid ergo, De Contr. tutel.;* Quaranta, V. *Alienat. Rei Ecclesiae,* n. 25.

(11) Pikl., III, 13, 13; Schmalz., III, 13, 51. Secus si deposita fuerit ab oeconomis, quippe nec sibi nec suis successoribus legem dicere possunt.

(12) Clem., 1, *De V. S.*

(13) Extr. *Ambitiosae, h. t.* Nempe frugiferum (Fagnan., in C. *Nulli, h. t.*, n. 43. *Communissima*). Haec prohibitio, quae fere nullibi recepta fuerat, restituta videtur per C. *Apost. Sedis* (Prol., § 393, III).

(14) L. 7, C. *De Reb. alien. non alien.*

(15) C. 5, *h. t.* - *Servitus;* velut usufructus, census vitalitius, etc. (Torric., *De Reb. Eccl. non alien.*, Cap. VIII, n. 40). Hypoteca, sed specialis tantum (Ex cit. C. 5; Fagn., in C. *Nulli,* n. 30, *h. t.*).

(16) Par. II., § 309; L. 9, § 1. *Locati*; Laym.; S. Alph., IV. 187 in fi. At eis vetitum est praedia elocare repraesentata mercede (Trid., XXV, *R.*, 11): scilicet, ne successoribus noceant. Et ne sibi noceat, vetatur eo-

2° Quoad *mobilia pretiosa*, Praelati non prohibentur veterem supellectilem distrahere ad novam comparandam aeque pretiosam; quod consuetudine est introductum (17). Quoad *immobilia*, 3° adhuc possunt alienare citra beneplacitum Sedis Apostolicae praedia exigui valoris (18); et ea quorum alienatio vel *necessaria* est (19), seu iure, ut empta cum pacto revenditionis (20); seu facto quod moram non patitur (21): vel est *perutilis*, quia res plus incommodi quam commodi afferunt (22), ut domus ruinosae, vel propter occasionem quae alias transiret (23): vel demum si *permissa* fuerit ab eo qui donavit, legavit (24). Ad haec bona in emphyteusim dari solita, adhuc in emphyteusim (25), sed non perpetuam (26), concedere possunt. Illud non immerito dubitatur, utrum vetitae sint Episcopis alienationes inter ecclesias ipsas et loca pia: quod plures negant, tum ex veteri iure (27), tum ex ipsa Extr. *Ambitiosae,* quae *divini cultus detrimento* prospexit (28).

rum *reditus vel proventus vendere ad vitam, vel in longum tempus recepta per unam, vel plures solutiones mercede earum, aut pensionibus* (Ben. XIV, C. *Universalis Ecclesiae,* § 2).

(17) Pikler., III, XIII, 5, 14; Engel, III, XIII, 5.

(18) C. *Terrulas,* 53, 12, 2. Etiam suae mensae, quae iuravit non alienare (C. 8, § 1, *h. t.*). Eiusmodi vero sunt quae non valent plus 25 aureis de camera (S. C. C., 29 novemb. 1616; Giral., *Exp. Iur. Pont., h. t.,* Sect. 444); nisi plus ferat consuetudo Dioecesis (S. C. C., 21 iul. 1827; Lucidi, *De Visit. Sacr.,* To. II, pag. 504, § 276). Praedia, et non pars exigui valoris alicuius praedii (Clem. VIII, ap. Ferrar., v. *Alienatio,* IV, 19). Etiam Monasteriorum (S. C. Ep.. 11 ian. 1692); non enim id amplius possunt eorum Praelati, uti Provinciales, Generales, etc. (S. C. C., 7 sept. 1624, iussu Urb. VIII; V. Ferrar., v. *Alienatio,* IV, 30, 34, 49). At enim Vic. Capit. non potest *bona mensae Episcopalis, ac vacantium ecclesiarum, et beneficiorum alienare* (S. C. Ep., 14 iun. 1788; Tromb., V. 11). Et iure prorsus (Ex C. 1, § 2, *Ne Sed. vacant.*).

(19) Petra, *l. c.*, Sect. I, n. 5.

(20) Petra, n. 19; Schmalz., III, 13, 61; Croix, IV, 1364. Aut relicta monasteriis quae ea possidere non possunt (Reiff., III, 13, 39; V. Par. II., § 341, n. 6).

(21) Pikl., *l. c.;* Schmalz., n. 62; Pirhin., III, 13, 58; Petra; Croix, IV, 1367, 6; S. Alph., IV, 187; VI, 6.

(22) Ex CC. 7, 8, *h. t.;* Pirhin., 19; Schmalz., 39.

(23) Quaran., Croix, et S. Alph., *ll. cc.*

(24) De Luca, *De Alien.,* Disc. 1, 28; Croix, 1364; S. Alph., *l. c.*

(25) Extr. *Ambitiosae.* Idest quae ab ann. iam 40 data saltem bis fuerint in emphiteusim (Fagn., in C. *Nulli,* n. 30, *h. t.*), ex beneplacito Sed. Apost. (Torric., XV, 44).

(26) S. C. Epp., 15 iul. 1816. probante Sanctissimo; Tromb., V, 9. Et penes nos, hodie, nec temporaneam, nam recidit in venditionem cum ab emphiteuta quandocumque redimi possit (Par. II., § 509, n. 23).

(27) Ex C. 1, *h. t.;* C. 2, *Eod. tit.* in 6°; V. Reiff., III, 13, 49.

(28) Cit. Extr. *Ambitiosae,* pr.

80. Ad haec, quia is *qui conditione acquirendi non utitur, non intelligitur alienare* (29), Episcopus potest iure suo oblata ecclesiae vel relicta, nondum acceptata, repudiare; utputa donationem (30), legatum (31); non parere conditioni, sub qua aliquid ecclesiae relictum est, vel promissum (32); non uti exceptione, qua ius aliquod ecclesiae acquireretur, vel redintegraretur (33); transigere in re dubia, non quidem diminuendo, sed non acquirendo (34). Nec alienatio est pecuniam mutuam accipere (35), nec depositam collocare; hoc enim vel ipsis administratoribus licet (36), nisi Ordinarius vetuerit (37).

(29) L. 28, *De V. S.*

(30) L. 6, § 2, *Quae in fraud. credit.;* De Luca, *De Donat.*, 23, 16, *Communissima.* IURE SUO: quae heic dicturi sumus, eo pertinent, ut sciamus quatenus haec rata sint, non quatenus licita.

(31) L. 5, § *Simili modo, De Donat. int. vir. et ux.;* Cit. L. 6, § *Sed et illud;* V. Reiff., III, 10, 35, etc., et Engel, III, 13, 9. - *Renunciare*, nempe, simpliciter, et non in favorem alterius, hoc enim vendere, aut donare est (Sanch., *M.*, VI, 4, 17). Episcopus, inquam, et non rector ecclesiae (Pirhin., III, 13, 42).

(32) L. 6, § 1, *Quae in fraud.* Sed ipse detrimentum praestat (L 21, C. *De adm. Tut.;* Zoes., III, 13, 7; Sanch., n. 15).

(33) Laym.; Croix, IV, 1364. V. c., remittere caducitatem emphyteusis (Quaran., n. 44; Bonac., *h. t.*, P. 2, n. 21); quod is nedum ratum, sed et licitum putat (To. III, Disp. II, Qu. IV, P. 10, 7).

(34) L. 47, § ult., *De Admin. tut.;* Pirhin., III, 13, 10. Idest non dando (ultra aureos 40), sed non accipiendo.

(35) Ex L. 3, C. *Quan. ex fact. tut.;* C. 5, *h. t.*

(36) Monac., *Formul.*, Tit. XIV, Form. VI, n. 1, etc.

(37) S. C. C., 21 ian. 1786; 15 maii 1790; Lucidi, Vol. II, p. 512, § 294. Et quando de hac re incidit sermo, videamus quomodo collocanda *(investienda)* ea sit. Non loquimur de reditibus ecclesiae superfluis, hos enim quisque pro suo arbitrio collocat. Itaque pecunia redacta ex alienationibus earum rerum, quae servando servari possunt, collocanda erit prout caverit is qui alienationem permisit; sive R. P., sive Ordinarius. Si is nihil cavit, vel pecunia obvenerit aliunde, collocanda erit more boni patris familias. Ideo praedia idonea ex eis emere necesse est (L. 24, C. *De Administr. tut.*): et rustica cum primis emere expedit; tum reditus ex censibus (Rosa, *De Exequut. Lit. Apost.*, Par. I, Cap. IV, 353), non tamen ex versuris publicis (S. C. C., 8 iul. 1854). Nec licet ex eis praedia meliorare; v. c., ex prato olivetum facere, aut oliveta deiecta restaurare, quia meliorationes accessiones sunt, et facile depereunt (Garc., *De impens. et melior.*, Cap. I, n. 8; cl. Trombetta, VII, 4). At nihilominus licet nova aedificia extruere, vel in proprio solo; quod vel ipsa S. C. Epp. 26 septemb. 1684 (Tromb., n. 8) aequum censuit; immo antiqua reponere, vel reparare (L. 22, v. *Ergo*, C. *De Administr. tutor.*); census redimere, si tamen alias neque modo, neque postea redimi possint (V. Ferrar., IV, 44); non item, regulariter, aes alienum dimittere (Ex S. C. Ep., 1 mart. 1840; Lucidi, Vol. II, p. 195, § 194). At ea pecunia quae destinata est adimplendis missarum legatis, *in bonis immobilibus fructiferis* omnino investienda est (Urban. VIII; V. § 75, n. 9). Dotes quoque monia-

81. Nunc videamus quemadmodum alienationes, et locationes quae alienationum instar sunt, fieri debeant. Et profecto sub auctione faciendae sunt, et ei solum qui meliorem conditionem obtulerit (38). Itaque edicta primum, nec iniussu Sanctae Sedis (39), proponere oportet, proscripta atque edita optionis die (40). Qui liceri volunt, necesse habent oblationes, schedis obsignatis (41), exhibere suo loco, suo tempore (42). Oblationes vero fieri debent sine ulla conditione *quae ab eventu pendeat:* et certam pecuniae summam (43), atque in locationibus certam (non, uti aiunt, *nominandam*) conductoris personam continere debet (44). Porro si edictis continetur *promissio* vendendi (locandi), oblationibus quoque emendi (conducendi) promissio tacite contineri intelligitur (45): inde neutri licet a contractu ineundo discedere, altero invito (46). Porro ecclesiae conceditur, quasi *minori*, novam licitationem admittere novis edictis propositis (47): sed interim nec ecclesiae quaesitum priori oblatori

lium choristarum in emptione praediorum collocandas esse S. C. Ep. censuit (Cf. Lucidi, p. 194, § 193): *conversarum* dotes expendi possunt in necessitatibus monasterii (V. Ferrar., v. *Alienatio*, IV, 39).

(38) Non ex Auth. *Hoc ius*, C. *De SS. Eccl.* (Brunem., *ibi.*, n. 14; Bohem., III, 13, 46); sed ex M. P. Ben. XIV, 23 nov. 1742, *pro locationibus cameralibus:* quod in alienandis, locandisque *rebus ecclesiasticis* servari iussit S. C. Episc., Decreto 18 mart. 1835 (Cf. Aloy. Trombetta, *Praxeos* etc. Romae 1865; opus de hac re plane absolutissimum). Porro melior conditio, nedum ex pretio, vel ex mercede oblata, sed (maxime in locationibus) ex persona quoque offerentis (vel fideiussoris), et in primis ex opibus, et bona eius fide aestimari convenit (S. C. C., 18 sept. 1790; Tromb., III, 2).

(39) S. C. C., 1 ian. 1861; S. C. Epp., 2 apr. 1862; Tromb., Cap. II, § 2.

(40) Ben. XIV, *l. c.*, § 1; - *Optionis*, vulgo *delibera, aggiudicazione.*

(41) Cit. *M. P.*, § 1; S. C. Epp., 1817. Et non per accensionem candelae (Ead. S. C., 1860; Tromb., II, 4).

(42) Tromb., III, 3. - *Loco*, idest penes eum qui auctioni praeest, non alio; v. c., penes *ipsam sacram Congregationem. Tempore*, medio scilicet; non antea, nec postea. Nihilominus serius exhibitae mittendae sunt ad S. C., vel ad Exequutorem Beneplaciti Apostolici, si forte ei facultas adiudicandi tributa fuerit (Cit. Decr., Art. 4). Huic autem eas reiiciendi, aut nova Edicta denuo proponendi ius est. (Cit. Decr., Art. 4; S. C. C., 16 sept. 1854; Tromb., § 5).

(43) Cit. Decr. 18 mart. 1835, Art. 2. Itaque si quis ita scripserit - *offero plus eo qui magis obtulerit, aureos decem*, - vel - *offero aureos centum, et praeterea desuper aureos decem plus eo*, etc., *illa* oblatio nullatenus, *haec* 110 aureis computabitur (Cit. Decr., Art. 2; et 10 iul. 1840; Tromb., II, 8).

(44) Tromb., III, 10. Nihilominus haud reiicitur, sed protinus nominari iubetur (S. C. C., 19 aug. 1776; S. C. Epp., 17 apr. 1750; Tromb., § 1).

(45) Pothier, *Vente*, Par. VI, Capp. 1, 2.

(46) Postius, Decis. 30 ap. Tromb., III, 18; S. C. C., 12 mart. 1786; Tromb., § 21.

(47) L. 8, § 1, *De Minor.;* Cit. *M. P.*, Art. 2; Cit. Decr., AA. 4, 5.

ius praelationis intervertere (48), nec oblatori recedere (49) fas est, sed utrique sua iura salva permanent.

82. Itaque definita die (non antea), resignatis schedis (50), *optio* facienda est; alias, si proscriptor moram fecerit, oblatores a se, non se ab oblatoribus liberat (51). Verum si oblationes S. C. displicuerint, poterit denuo proscribere (52). Optione per S. C. EE. facta, res ei qui meliorem conditionem obtulit ab Exequutore Decreti Apostolici subinde adiudicatur (53). Sed nondum contractus plane perfectus est. Scilicet inest ei ipso iure, 1° quasi *addictio in diem* (Par. II., § 468, n. 8), et quaedam quasi 2° *in integrum restitutio. Addictio in diem* id praestat, ut emptio (locatio) *firma fiat,* nisi alius emptor (alius conductor) intra certum tempus meliorem conditionem obtulerit (54). Scilicet post rem priori oblatori per Exequutorem Decreti Apostolici adiudicatam (non antea), cuivis, intra 20 dies proximos, adhuc liceri fas est, dum ne pretium (mercedem) augeat minus vicesima, eique (vicesimarium vocant) nova fiet adiudicatio: et tunc demum conficitur instrumentum et contractus perficitur (55). At vero post perfectum quoque contractum, si alius sector in trimestri ab hac nova (et, si nulla vicesima subiit, a priori) adiudicatione obtulerit saltem sextam praesentis praetii (mercedis) partem, contractus rescinditur (et haec est *integrum restitutio*) et cum *sextario*, quem vocant, initur (56).

(48) S. C. C., 25 iun. 1803; Tromb., III, 4. Nempe quamdiu is non patitur in novis auctionibus ab alio vinci.

(49) S. C. Epp., 9 ian. 1865; Tromb., III, 24, 25, 26. Ubi prope innumera huius S. Congr. super hac re documenta recenset. Et, si recedat, contractus stipulabitur *ex officio* (S. C. Epp., 1748; Tromb., § 27; Pothier, *Vente,* P. VI, § 3).

(50) S. C. Epp., an. 1795; Tromb., III, 1.

(51) Ex L. 12, C. *De Contr. Stipul.;* Ex L. 14, § *Sed etsi, Pro socio.* Scilicet id iustitia exigit, ut aequa sit utriusque contrahentis conditio, si aliud in iure, unius favore, cautum non sit *nominatim.*

(52) S. C. C., 13 ian. 1731.

(53) S. C. Epp., an. 1801; Tromb., IV, 3. Et si in decreto S. C. Epp. dictum sit: *Expediatur per Bullas,* vel *per Breve* (V. Tromb., V, 14), decretum huiusmodi perperam executioni mandatur, nisi literae Apostolicae prorsus expeditae, atque Exequutori exhibitae fuerint (De Rosa, *De Exequut. Liter. Apostol.* Par. I, Cap. 1).

(54) Cit. *M. P.*, AA. 3, 6; Cit. Decr.

(55) S. C. Epp., 2 apr. 1802; Tromb., n. 3.

(56) Cit. *M. P.*, Art. 6; Cit. Decret., a. 8. Et hoc 20 dierum, vel trium mensium, spatium neque prorogare (Cit. Dec., pr., ad 2), neque coercere (S. C. Epp., 8 apr. 1859) exequutori fas est (V. Tromb., IV, 6). At vero utrumque ipso iure decurrit, nec opus est ea indicere novis edictis (Cit. Decr., Art. 10). Oblatas autem auctiones exequutor necesse habet, post eos 20 dies vel tres menses elapsos, alteram primo *de-*

Sed utrobique praefertur prior licitator, si tantumdem obtulerit (57).

83. Restat ut videamus quid iuris sit, si alienationes huiusmodi (§ 78) factae fuerint sine iusta causa, vel omissis iuris solemniis. Et si absque iusta causa sint factae, letali non carent, et omnes pro infectis habentur in utroque foro (58). Sin ex iusta, sed solemnitatibus praetermissis, valent in foro conscientiae (59); in externo claudicant, prout contractus qui cum minoribus ineuntur (60). At si et iusta causa et solemnia iuris abfuerint, excommunicatione (nulli reservata) coercetur alienatio; non omnis quidem, sed ea quae vetita est per Extrav. *Ambitiosae* (V. Prol., § 393, III). Hac autem *non omnium rerum* alienatio prohibetur, sed immobilium mobiliumque pretiosarum dumtaxat: et *ea dumtaxat* qua dominium transfertur; hypothecae et locationes ultra triennium (61). Amplius, omnes alienantes hac excommunicatione coercentur (62); non item omnes qui eas res recipiunt, sed recipere *praesumentes* (63): nec consentientes, consulentes, faventes (64); nec hi qui quaesita subinde alienant aliis, non enim administratores sunt. Et tunc demum eam incurrunt, cum alienatio perfecta fuerit ultro citroque (65).

liberatario (quem vocant), alteram *vicesimario* denunciare (S. C. Epp., 22 maii 1855; Tromb., IV, 10); etiam extraiudicialiter (Rot. Rom., *Reatina* etc., 13 dec. 1850; Tromb., n. 9); hi autem necesse habent intra decem dies proximos tantundem, si velint, offerre (S. C. Epp., 2 apr. 1802; Tromb., IV, 5, 8). Et si nullus sextarius adfuerit, prior venditio (aut locatio) *firma manet*.

(57) Cit. Decr., Art. 7; Cit. *M. P.*, Art. 6.

(58) Eng., III, 13, 19.

(59) Schim., III. 13, 108; Zoes., III, 13, 17; Pirhin., III, 13, 36; Reiff., III, 13, 53; Schmalz., III, 13, 133, ibique, ex Nostris, Sylv., Azor., Regin.; Laym., *De Legib.*, XVI, 9. Et alii plurimi (Pikler., III, 13. 26). Ideoque et licitam esse verius est (Bonac., *De Censur.*, Quae. IV, P. 10. n. 7).

(60) Ex C. 42, Cau. 12, 2; Fagn., in C. *Nulli*, n. 46, *h. t.;* Pikl., n. 25; Pirhin., n. 29; Reiff., n. 55, V. Par. II., § 409, n. 11. Alii irritam plane (V. Schmalz., n. 130). Verum si non appareat, utrum solemnitates huiusmodi revera fuerint praetermissae, post elapsos ann. 30, non defuisse tenendum est (Par. II., § 314, n. 10).

(61) V. § 78. Ea igitur non tenentur qui, v. c., eades destruunt, arbores grandiores caedunt; qui aliquid furantur, diripiunt (Ex S. Univ. Inquis., 9 martii 1870; Bonac., P. I, n. 7).

(62) V. Comment. nostrum, edit. IV, § 177, n. 53.

(63) Cit. *Extr.*, et C. *Apostol. Sedis*.

(64) *Ex cit. Extrav.* Et hodie ex cit. C. *Ap. Sedis* indubitati iuris est (V. Prol., § 310, 393, III). Ideoque nec Delegatus Apostolicus qui decretum, vel auctoritatem interponit in detrimentum Ecclesiae (Contra Decret. Pauli II, *Cum omnibus*).

(65) Prol., § 311, n. 32. Ideoque si alienatio facta fuerit sub conditione suspensiva, ea pendente excommunicatio cessat (Ex § 4, *De V. O.*). Dices: atqui S. C. Epp. perpetuo te-

84. Ad ultimum videamus quid iuris sit quoad bona quae pertinent ad capellanias laicales simpliciter (66); utrum nempe alienari possint sine beneplacito Apostolico (67); an non possint, quia ea alienare, est voluntatem *commutare* eius, qui illa reliquit, ceu putant alii? Mihi prior sententia probabilis est: nec voluntatem testatoris vel donantis heic commutat is qui id, *quod* illi fieri voluerunt, alia via, alia ope facit: alias nec praedia exigui valoris alienari poterunt. Utcumque elocari posse ultra triennium (68), manifesti, ni fallor, iuris est. Excommunicationem vero alienantes et recipientes et usurpantes effugere, sive quae in Extrav. (69), sive quae in C. *Apost. Sedis* (70) continetur, nemo dubitat. At ea, quae a Tridentino lata est, incurritur, si vel usurpatio a potentioribus facta fuerit, vel bona usurpata ab his ad ipsos *quamodocumque pervenerint* (Prol., § 390, XI).

Art. IV. *De Peculio Clericorum.*

85. Quidquid clerici, non qua cives, sed qua clerici sibi acquirunt, clericale peculium dicitur (1). Et in ecclesiasticum, parsimoniale, et industriale (2) diducitur. Primum et alterum conflatur ex *fructibus beneficii;* nempe ecclesiasticum ex superfluis; parsimoniale ex his, quae beneficiatus parcius, et quasi unciatim vivendo, sibi resecat ex necessariis sibi debitis: quidquid alias acquirit, quam *ex fructibus beneficii*, industriale peculium est (3). *Beneficii:* ac proinde non quod provenit ex pensione clericali (4), ex capellania manuali (5); immo ex perpetua et collativa, si vel instituta fuerit cum onere missarum per menses, vel per hebdomadas (6); vel eius re-

nuit alienantes reservato beneplacito Sedis Apostolicae, si rei possessionem tradiderint, censuras nunquam effugere. Ita porro in foro externo, quia haec protestatio est contra factum (Fulgin., *De Contr. Emph.*, Quae. XVI, 1), secus inventa erit fraudandae legis ratio.

(66) V. § 71. *Simpliciter;* nam de *mere* laicalibus nec dubitandum puto.

(67) Petra, in Extr. *Ambitiosae*, To. V, Sect. III, 26. Neque abnuit Rot. Rom., 26 mart. 1831, 18 dec. 1847, 3 iunii 1859 (V. *Acta*, VII, 476).

(68) Croix, IV, 1368, in fi.

(69) Barb., *De Episc.*, III, 75, 31; De Luca, To. VII, *De Alien.*. Disc. 1, 12, 603.

(70) Avanzini, in cit. Const., p. 83.

(1) V. Decretal., Lib. III, Tit. 25, *De Peculio Clericorum.*

(2) Reiff., III, 25, 4.

(3) Schmalz., III, 25, 2.

(4) Gigas, *De Pension.*, q. 52; Roman., *De Pension.*, q. VIII, Caccialup., *De Pension.*, quaes. XXV; S. Alph., III, 490, 491, VI.

(5) Azor., To. II, lib. VII, Cap. IX, q. 10; Filiuc.; Bonac.; Lugo, *De Iust.*, IV. 28.

(6) Dried.; Navar.; ot., X, 4, 3

ditus non multum exsuperent haec stipendia; vel fundata sit in commodum alicuius familiae (7). *Fructibus:* ideoque ad industriale peculium pertinent quae alicui obveniunt intuitu beneficii; utputa (parochis) in benedictione nuptiarum, in iustis funerum, etc. (8); et verius, canonicis ex distributionibus quotidianis (9), quippe quae successerunt in locum emolumentorum quae olim praesentes lucrabantur pleno iure (10); quamvis omnes reditus praebendae constent ex distributionibus huiusmodi, quia partis et totius eadem prorsus et origo, et natura, et destinatio est (11).

86. Clericos de peculio industriali, perinde quasi de suis bonis disponere posse (12), de ecclesiastico non posse, cum necesse habeant illud erogare in pias causas (§ 63, n. 10), utrumque certi iuris est. Quid igitur si aliis erogaverint, largiendo, donando, legando, an sit restitutioni obnoxius et qui dat, et qui accipit? Quaestio insignis, perdifficilis (13): et in eo posita est, utrum clerici redituum beneficiorum suorum domini revera sint (14). Qui tenent (Canonistae antiquiores fere omnes), eos administratores esse (15), affirmant, ideo putant eos iustitiam laedere (16); qui contra tenent (TT. et Canonistae recentiores prope omnes), negant, quia dant quod suum est (17); et rectius (cit. § 63, n. 7). At proculdubio peccat clericus

(7) Sanch., *Consil.*, Lib. II, C. II, D. 45, n. 6; Lugo, n. 29.

(8) Navarr., *De Redit. Eccles.*, q. I Monit. 19; n. 2; Zoes., III, 25, 2; Engel, III, 25, 4; Reiff., III, 25, 7. Aliud iuris est in decimis, quippe quae inter fructus beneficii computantur (Ex CC. 29, 30, *De Decim.*).

(9) Covarr.; Pirhin., III, 25, 2; Gonzal.; et Schmalz., III, 25, 7, *indubitatum* esse ait, ex C. Un., *De Cleric. non resid.* in 6°.

(10) Ben. XIV, *De Syn.*, XIII, 12, 22; S. Alph., III, 491. Sane stipendia quae aedituis, ostiariis, cantoribus, etc. pendimus, detrahuntur ex reditibus beneficiorum, prout distributiones quotidianae; si de illis licet pro lubitu disponere, de his cur non liceat? (Lugo, IV, 25).

(11) Glos.; Innoc.; Abb.; et, ex Nostris, Bonac.; Filiucc.; Lugo, *De Iust.*, IV, 27; Salm., 12, 2, 140.

(12) S. Alph., III, 491, 1.

(13) *In qua tanta est opinionum varietas, et argumentorum conflictus, ut explicari vix possit absque ingenti volumine* (Fagn., in C. *Si quis*, n. 1, *De Pecul. Cler.*). Qui, rigidissimus licet, heic favorabiliores clericis sententias tuetur.

(14) Cf. Reiff., III, 25, 22, etc., Ben. XIV, *De Syn.*, VIII, 2.

(15) Ex C. 2, *De Donat.*

(16) Alvar. Pelag., *De Planct. Eccles.*, Par. II, Cap. 28; S. Antonin.; Navarr.; Laym.; S. Alph., III, 492.

(17) D. Th., 1, 2, 181, 2, Quodlib. 6, Art. 12; Fagn., *l. c.;* Molin., *De Iust.*, III, 143; Less., *De Iust.*, II, IV, a n. 35. Et *certum* prorsus est Benedicto XIV (*l. c.*). Contrarii urgent veteres canones, et PP. Verum tunc temporis bona Ecclesiastica, quae destinata erant divino cultui obeundo, alendis ministris, et pauperibus, in communi administrabantur. At posteaquam ea divisit (quod perperam negant plu-

qui haec aliis gratis dat (18): et is peccat qui ab eo accipit; nempe (ut reor) non solum quia cooperatur danti, sed in primis quia attrectat intercipit ea quae piis causis sunt destinata (19), nisi forte bona fides eum excuset (20). Sed nec de parsimoniali satis convenit, utrum de eo disponere *licite* possint, aliis negantibus, quia cum profluat ex beneficio ecclesiastico, ecclesiasticum peculium est (21); aliis affirmantibus, quippe quasi stipendium et merces est, quae debetur ex iustitia et naturali iure (22): quae sententia vera est.

Porro in rebus sacris dandis vel accipiendis haud raro obrepit simoniae labes: sit igitur hic.

res ex contrariae sententiae patronis) Simplicius PP., anno circiter 468, et singulis, nempe Fabricae Ecclesiae, Episcopo, clericis, ac pauperibus *suum* tribuit (V. C, 28, Cau. 12, 2), eamque divisionem confirmarunt Gelasius (CC. 26, 27, 28, *Eod.*), et Gregorius M. (CC. 29, 30, 31, *Eod.*), vetus disciplina mutata est.

(18) Ex Trid., XXV, *R.*, 1. Vel in suos usus consumit. Et si *multum* elargitur, peccat mortaliter (D. Th., Quodl. VI, 12). Multum vero quantum sit, varie ex reditibus beneficii aestimari debet (Salm., 12, 2, 142; Schmalz., III, 25, 22): quidam putant esse vicesimam circiter partem, quod et S. Alph. probat (III, 491, IV); et amplius, si ampliores reditus sint (Lugo, *De Iust.*, IV, 42).

(19) Sane superflua huiusmodi sunt usibus piis destinata: *si ob id* ea dare, ergo et accipere vetitum est, et per se malum; eo fere modo, quo vetitum est vendere, et emere venena mala, arma, improbatae lectionis libros, rem Deo voto promissam, etc.; alias dicendum erit, nec legatarium peccare ea capiendo, si testamento relicta fuerint. Sed Nostri docent accipientem quasi cooperatorem, atque ideo contra caritatem peccare. Proinde si is haec superflua petat a clerico, omnes eum damnant; si sponte oblatum acceptet, dissentiunt; et dissentio in eo est, utrum is cooperetur danti. Affirmant Sanch., (*Consil.*, Lib. II, Cap. II, d. 38, n. 14), Mazzo., aliique: negant Molin. (II, 318), Less. (II, 20, 168), Lugo (*De Iust.*, XVIII, 50), Salm. (12, 2, 143), prout is qui accipit ab eo qui, sibi dando, fit creditoribus suis non solvendo. S. Alph., in eo qui accipit mala fide illis, in eo qui bona, his adhaeret (III, 492, 8). Ceterum secunda sententia extrinsece probabilissima est.

(20) S. Alph., III, 492, VIII. Et bona fides est, si ignoraverit beneficiatum de his superfluis disponere non posse, aut haec superflua beneficii esse, aut putaverit dantem posse de suo tantumdem restituere.

(21) Abbas, Petrocorens., Lorca, Sarmien.; Espen, *I. E. U.*, Lib. II, P. III, Tit. 18.

(22) D. Th., 2, 2, 185, 7; S. Alphon., III, 491.

TRACTATUS III.

DE SIMONIA

PRAENOTANDA

87. Duo sunt genera rerum sacrarum, unum earum quae suapte natura talia sunt: alterum earum quae, quadam quasi accessione, talia fiunt: illa *spiritualia*, haec *adnexa spiritualibus* dici solent. Harum violatio sacrilegium est (V. § 16); species violationis est, earum aliquod commercium esse, quod vel ipsi ethnici norunt (1): haec species sacrilegii, proprio nomine, simonia appellata est. Est igitur simonia rerum id genus cum rebus temporalibus permutatio. Verum, quo eius tum natura, tum pravitas melius appareant, vulgo emptionis et venditionis nomine significatur: *natura,* ut sciamus, simoniam ex duobus constare, re et pretio; *pravitas,* quae in eo consistit, quod res sanctas, quasi profanas, *venales* habeat, vel habere videatur (2). In eo autem distat a ceteris haec emptio et venditio, quod in ceteris haec duo (emptio *et* venditio) necessario cohaerent; heic separari possunt. Scilicet simonia, prout cetera peccata, vel sola voluntate fit; ideo, quod ad intentionem, et venditio sine emptione (V. IV *Reg.*, V, 22) et emptio sine venditione (V. *Actor.*, VIII, 18) potest consistere. Quocirca definitur: *Studiosa* (deliberata) *voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali adnexum* (3).

88. At vero, licet simonia vel sola voluntate, seu potius intentione, admitti possit, qua est seu permutatio seu emptio et vendi-

(1) L. 1, *De Divis. rerum.*

(2) Laym., *h. t.*. Lib. IV, Tr. X, Cap. VIII, ult., n. 3. Seu vendendo, seu emendo, sed in primis vendendo (Cf. Less., II, 35, 40); *et quis non vile putat esse quod venditur?* (S. Horsm., PP. *ad Episc. Hisp.*). Inde est distincta sacrilegii species (Suar., *De Relig.,* To. 1, Lib. IV, *De Simonia,* Cap. I, n. 1; Salm., Tract. 19, Cap. 1, n. 1). Et simonia a D. Greg. M. appellata est (L. VII, Epp. 110, 113, 114), nomine a Simone Mago (V. *Actor.*, VIII, 18) detorto. Sed est antiquior.

(3) D. Th., 2, 2, 100, 1; Suar., 3, 13; Laym., Lib. IV, Tr. X, Cap. VIII, n. 1.

tio, sola intentione non fit: quamdiu igitur sola intentione continetur, simonia dici non solet, sed hoc nomen subit ex quo iniri coepta fuit facto aliquo externo (4). *Ex hoc* autem in mentalem, conventionalem, et realem diducitur: scilicet factum huiusmodi aut 1° nuda rei (seu spiritualis seu temporalis) datio est (vel acceptio) cum occulta intentione simoniaca; aut 2° pactum (vel tacitum) dandi aliquid temporale pro spirituali, seu spirituali adnexo (vel contra): si primum tantum intervenerit, simonia *mentalis*, sin alterum tantum, *conventionalis;* sin demum utrumque, *realis* nuncupatur.

89. Simonia, lata significatione, diducitur in eam *quae iuris divini* (naturalis), et in eam quae *iuris humani* (canonici) dici solet. Illa versatur circa spiritualia; haec circa temporalia spiritualibus adnexa versatur (5). Illa continetur ea datione, vel acceptione, quibus spiritualia veneunt; haec ea datione, vel acceptione, continetur, quae ideo ius canonicum vetuit, quia cuiusdam venditionis, vel emptionis rerum spiritualium aut speciem praeferunt, aut periculum continent (6). Atque ideo illa mala est natura (7); haec lege: illa stricta et propria significatione simonia est; haec minus stricta et minus propria (8). Ad haec simoniae vocabulum in iure canonico adhuc latius patet, et interdum accipitur significationibus prorsus impropriis, de quibus serius.

(4) Suar., 41, 3; Less., II, 35, 35. Ex C. ult., *h. t.;* V. Pirhin., V, 3, 7; Croix, III, I, 58, 59.

(5) Sed V. Laym., cit. Cap. VIII, 61.

(6) Ex C. 41, *h. t.; (De Simonia);* V. Suar., 7, 9.

(7) *Actor.*, VIII, 20. Ideoque semper mala est; et nedum ex parte solius venditoris, ceu ratus est Sotus, sed etiam ex parte emptoris (Chrysost., Hom. 13, *in Marc.*). In iure appellatur *haeresis simoniaca, ad cuius comparationem omnia crimina pro nihilo reputantur* (C. 31, *h. t.*),

(8) Schmalz., V, III, 25. Sed non verbo tenus, ceu existimavit Durandus (Suar., VII, 4, 5). De simonia Veteres ex professo, Recentiores obiter, nos media via; nam difficilia sunt haec, neque insueta. Et quia ad similitudinem simoniae iuris divini composita est simonia iuris humani, in illa paullo diutius immorabimur; ex qua licebit sumere multa ex his, quae ad istam pertinent. Porro apud Nostros reg. obtinuit: *quod usura est in temporalibus, id fere in spiritualibus et simonia* (Soto, IX, VII. 3, pr.). Nihilominus ab usuris ad simoniam caute argumentandum est ex diversa utriusque natura: etenim praeterquam quod datio spiritualium purior esse debet (Suar., 37, 18), is, qui usuras sibi stipulatur, dat quod suum est; et qui illas promittit, licite, regulariter, eas promittit (Suar., 12, 7; S. Alph., III, 53), atque ideo licite solvit: alias; usurae plerumque licite fieri possunt, simonia numquam omnino (Suar., I, 38, 8; Salm., 1, 19, 35).

CAPUT I.

DE SIMONIA IURIS DIVINI.

ART. I. *Ex quibus consistat simonia iuris divini.*

90. Simonia iuris divini, seu potius contra ius divinum naturale, potest definiri: *Voluntas emendi aut vendendi rem spiritualem pro re temporali.* VOLUNTAS, nempe quoad conscientiam; nam quoad forum externum V. § 87, n. 4. Res spiritualis quasi *merces* esse intelligitur, res temporalis quasi *pretium:* de utraque hac re ante omnia videndum est.

Principio igitur spiritualia accipimus quae ad animum pertinent: et vel naturalia sunt, vel supernaturalia. Naturalia quae sunt a Deo, qua naturae; spiritualia, qua est gratiae auctor: illa ad intellectum, ac proinde ad nostram institutionem, et eruditionem; haec ad voluntatem, atque ideo ad nostram sanctificationem pretinent (1). Haec, non illa, sunt dona S. S.; ideo haec, non illa, sancta sunt. Quando igitur simoniae pravitas in eo posita est, quod res sanctas et dona S. S. venalia habet (§ 87, n. 2), in naturalibus simonia ne intelligi quidem potest (2), licet sacrum, aut religiosum aliquid doceam, aut docear; utputa theologiam, aut fidei rudimenta; nam omnis doctrina, vel revelata, qua doctrina, est aliquid naturale; quippe quae naturaliter comparatur, et traditur; et ad nostram eruditionem, quae est naturale bonum, cum primis pertinet (3). Sola igitur supernaturalia et sancta esse possunt obiectum simoniae iuris divini; idest ea sola quae ex supernaturali institutione aut potestate procedunt, et ad spiritualem finem proxime ordinantur, sive morale, sive physicum aliquid sint (4). Haec igitur, in simonia, *mercedis* loco sunt.

(1) Suar., 88, 8, 18. Qui belle docet., ad haec duo omnia reduci, quae excogitari possunt (n. 4); Cf. Laym., a n. 30.

(2) Less., II, 35, 74, etc.; Suar., 8, 8.

(3) Less., II, 35, 7; Suar., 18, 9. Quocirca etsi super casibus conscientiae consultus respondeas mercede accepta, simonia cessat (Suar., 8, 22; 18, 19). Inter illa et haec tenent preces, exhortationes, consilia, quibus *aliquem* vel ad bonum revocare nitimur, vel deducere a malo; nam et ad intellectum et ad voluntatem pertinent. Haec ex fine quem spectant aestimari debent: itaque si civilem aut moralem honestatem spectent, simonia exsulat; sin enimae sanctificationem, Deique gloriam, non item (Suar., 8, 23). Utputa si quis nobilem oephebum a furto quasi ab ignominioso et turpi facto, vel quasi a peccato deterreat (V. S. Alph., III, 94).

(4) Suar., 14, 3. Omnium autem Nostris triplex genus est; sunt enim sancta vel formaliter, vel causaliter,

91. Temporalia, quae *pretii* vicem obtinent, sunt omnia quaecumque pecunia aestimari possunt (5): et praeterea quidquid afferre potest aliquid lucri vel utilitatis temporalis, licet pecunia aestimari non possit; ut fama, libertas, valetudo (6); et in primis omne ius quod venditori, aut onus sive obligatio (vel ex sola fidelitate; V. Par. II., § 416, n. 6) quae emptori, contingere potest (7). Pretium huiusmodi, usu iuris canonici, dicitur *munus:* et triplex est: munus a manu, munus ab obsequio, munus a lingua. *Munus a manu* pecunia est (8), pecunia vero quidquid in patrimonio nostro esse potest (9); et, hic praeterea, omne commodum vel incommodum quod potest pecunia aestimari (10). *Munus ab obsequio* est officium temporale, seu praestandum, seu iam praestitum (11). *Munus a lingua* est favor (12), idest quodvis officium quod praestari alteri potest seu voce, seu scriptis; seu directe, v. c., intercedendo, defendendo, laudando (13); seu indirecte, v. c., aemulis suis detrahendo.

92. Uti ex dictis apparet, *malitia* huius simoniae et pravitas in eo est posita, quia res sanctas vilipendit, quasi pecunia aestimari possint (14); atque ideo in mutua earum comparatione, et commutatione, vel commutandi intentione, posita est. Ideo est species

vel effective. *Formaliter,* quae sancta ipsa sunt, ut ecce gratiae gratis datae; huc pertinent Reliquiae SS. (Suar., 14, 24). *Causaliter,* quae vi sua, vel ex institutione Christi, aut Ecclesiae, sanctitatem pariunt (Suar., 73), ut gratia gratum faciens, sacramenta et sacramentalia (CC. 9, 29, 42, *h. t.*), orationes et preces (D. Th., 2, 2, 100, 3), etiam laicorum (Laym., Cap. ult., n. 38), beneficia ecclesiastica quoad officium (Suarez, 24, 4). *Effective,* quae sunt effectus et usus sacrae potestatis, idest omnis actus ordinis, vel iurisdictionis (Suar., 7, 30): ut ecce consecrare ecclesiam, calicem, exorcizare, censuras irrogare vel absolvere, conferre beneficia, dispensare in legibus ecclesiae (v. c. in matrimoniis contrahendis), in votis; delegare facultatem excipiendi confessiones (Less., II, 35, 12; Laym., 40; Salm., 19, 2, 31), etc.

(5) V. D. Th., 2, 2, 100, 2; V. Par. II., § 439.

(6) Suar., 38, 8; Laym., n. 25.

(7) C. 114, Cau. 1, q. 1; D. Th., *l. c.*, a. 5; V. Suar., Cap. 37.

(8) C. 114, Cau. 1, q. 1.

(9) L. 223, *De V. S.;* CC. 18,34, *h. t.*

(10) C. 45, *h. t.;* Ex D. Th., 2, 2, 78, 2; S. Alph., III, 56.

(11) Cit. C. 114; C. 12, *h. t.* Ut puta famulari, docere, etc. (S. Alphon., III, 61).

(12) Cit. C. 114. Recidit in munus ab obsequio, sed quia est nobilius illo (et magnos quoque viros non dedecet); ideo separatim recensetur (Suar., 40, 15).

(13) D. Th., 2, 2, 100, 5. ad 3; Suar., 40, 1. Veluti si tibi dederim aliquid spirituale, ut pro me intercedas, vel me commendes, laudes (Suar., XL, 13, 14; Salm., 19, 1, 53). Huc recidit is, qui non vult dare aliquid spirituale, v. c., absolutionem a censuris, beneficium etc., nisi Caius eum roget (S. Alph., III, 63); si modo intendat Caium sibi obligare, ut is vicissim pro se intercedat (Suarez, 40, 13), vel ut quid aliud praestet.

(14) *Actor.*, VIII, 18; V. § 87, n. 2.

sacrilegii tum ex parte dantis, tum ex parte accipientis; cuius pravitas, cum intrinseca sit, nulla consuetudine, vel dispensatione R. P. tolli potest; et praeterea nullam materiae parvitatem recipit (15). Amplius: ex parte dantis est praeterea quaedam species *infidelitatis*, quia Christus ministris suis iussit ea dari gratis (16). Utrum sit et species iniustitiae, quia sibi vendunt quod suum non est (idest accipiunt pretium rei alienae), non satis convenit (V. § 119).

ART. II. *Quemadmodum contrahatur simonia iuris divini.*

93. Age nunc, ad hanc simoniam contrahendam opus est, 1° ut ex uno latere aliquid spirituale, ex altero temporale aliquid veniat. 2° Ut utrumque detur (vel promittatur) ultro citroque. 3° Ut alterum detur (vel promittatur) pro altero.

Principio igitur, nisi ex uno latere veniat aliquid spirituale, ex altero aliquid temporale, simonia (quae permutatio quaedam est) ne intelligi quidem potest. Ideoque cessat, 1° quoties alterum ex his datur ex uno latere tantum: idest quando das aliquid spirituale nihil temporale accepturus, vel contra (1); ut puta si conferas beneficium ecclesiasticum amico, vel consanguineo (2), vel commendatione viri potentis (3), vel ad huius gratiam ineundam (4): vel, contra, si is qui accepit beneficium ei a quo accepit sponte aliquod officium praestet, vel eum laudet, commendet (5). 2° Quoties vel sola spiritualia, vel sola temporalia dantur ultro citroque, puta si duo suorum beneficiorum *officia*, vel *reditus* inter se permutaverint (6).

(15) Suar., 3, 3, 5; Croix III, 1, 198. *Nullam*, neque ex parte rei spiritualis, cuius, licet minimae, infinita aestimatio est (C. *Placet*, Cau. 1, 1); neque ex parte rei temporalis: immo, quo minori pretio illa datur, eo vilior haberi videtur (Suar., 52, 12).

(16) *Matth.*, X, 32.

(1) Ex D. Th., 2, 2, 100; 5 ad 2.

(2) Ex D. Th., *l. c.*; Suar., 37, 5. Licet indigni (S. Alph., III, 52).

(3) Suar., XL, 9, 11. Nec obstat C. 14 *h. t.*

(4) Sot., VII, IX, AA. 2, 3; Suarez, 37, 12; 45, 6. Vel ad odium extinguendum (Less., II, 35, 9). Sane in mutuo abest heinc usura (D. Th., 2, 2, 78, 2).

(5) Suar., 40, 3.

(6) C. 6, *De Rer permut.*; Clem., un., *Eod tit.*; V. Less., II, 35, 22. Nec est simoniacum permutare beneficium dignius cum pinguiori minus digno, quia utrinque spiritualia, utrinque temporalia veniunt; dummodo recta intentione fiat (Salm., 19, 3, 33); quae in dubio praesumenda est (Suar., 36, 10). Et si temporalia in eleemosynam dantur, instar spiritualium habentur: hinc licet, v. c., stipem pauperi dare ut pro me oret (Salm., n. 18); et ad beneficium obtinendum stipem promittere, pauperibus vel Pio Loco elargiendam (Salm., n. 34; Croix, III, I, 100; S. Alph., III, 66).

94. Sed licet ex uno latere versetur aliquid spirituale, ex altero temporale aliquid versetur, si haec non dantur ultro citroque, sed utrumque in alterius dumtaxat lucrum et commodum cedit, permutatio, atque ideo simonia, cessat. Hoc autem fit quoties aliquid temporale datur alicui (vel promittitur), ut is aliquid spirituale sibimet praestet, libertate secus faciendi ei relicta; seu hoc sit bonum aliquod faciendum, seu malum fugiendum sit (7); vel contra (ut puto, quia *contrariorum eadem est ratio*), cum ei datur vel promittitur aliquid spirituale, ut sibi ipsi praestet aliquid temporale; v. c., adolescentulo Sancti alicuius *reliquiam*, si studio diligentius incumbat: nam et ille gratis dat, et hic gratis accipit; ideo ille nihil vendit, hic emit nihil; sed est donatio sub modo (Par. II., § 310) in commodum accipientis (8). Dummodo, aiunt, nulli studeatur utilitati dantis, vel tertii (9).

95. Denique etsi haec dentur ultro citroque, si unum non *pro alio* detur, sed *propter aliud*, simonia cessat (10). Verum hoc oppido difficile est et salebrosum. Pro alio *stricto iure* dari dicitur, quod datur (aut promittitur) quasi alterius *pretium;* at enim humanae actiones moraliter aestimari debent, et non ex apicibus iuris; maxime in his quae nobis lucrosa sunt, in quibus saepius decipimur specie recti: atqui moraliter, pro alio dari intelligitur et id quod nullo quidem pacto interposito etsi sponte prorsus, verum non gratis, datur (aut promittitur): sed ob aliquam causam, seu praeteritam,

(7) Suar., 16, 3, etc., 22, 8; Sanch., *M.*, I, 39, 4. Ut ecce si servum manumittas ea *conditione,* ut monachus fiat (C. 2, *De Condit. appositis*); infidelem ducas ea lege, ut baptizetur (C. 16, Cau. 28, 1); munusculum puero promittas, si devote missae interfuerit (S. Alph., III, 59). *Libertate,* etc.; nam si huius rei praestandae ei imponitur *obligatio,* quidam simoniacum esse putant, 1° ex C. *Quam pio,* 1, 2; 2° quia contractus onerosus est. Sed non bene; etenim in C. *Quam pio,* agitur de Abbate, qui, ut in alio coenobio susciperet munus Abbatis, pecuniam extorsit: nec contractus onerosus est, quia inita obligatio in ipsius accipientis favorem redundat (Less., II, 35, 66; V. Sanchez, *l. c.*). Et profluit ex cit. C. 16, Cau. 28, 1.

(8) Salm., 19, 1, 40. Et cum pro re spirituali datur aliquid temporale, alia ratio subest, nam is qui spiritualia praestat, quodammodo suam *libertatem* vendit, quam alter emit (Suar., 22, 8), atque ideo *heic* sola temporalia utrinque versantur.

(9) Suar., 17, 18; Laym., n. 11; Salm., 19, 1, 41. Ut ecce, aiunt, si sorori offeras dotem qua religiosum aliquod institutum profiteri possit, ut tu vel frater eius parentibus heres fiat ex asse; quod et S. Alph. (*l. c.*) probare videtur. Sed perdifficile est, nam temporale pro temporali datur; quod autem quis heres fiat ex asse, est per accidens, et nemo hoc sibi scrupulum iniicit.

(10) V. Suar., 36, 1, 44, 4; Laym., n. 26; Salm., 19, 1, 37; Croix, III, I, 161.

cum datur gratuitae *compensationis* nomine (11); seu futuram (*motivum* vocant), cum *retributionis* gratuitae spedatur (12). Uti igitur quod propter causam datur non pro alio, sed revera propter aliud (atque ideo citra simoniam) dari videatur, necesse est, ut principaliter ob gratitudinem detur. Et ita demum (idest solius cum primis grati animi ergo) licet et mihi, pro officiis in me tuis, conferre tibi, v. c., beneficium ecclesiasticum (13); et tibi mihi officium praestare, spe alicuius beneficii ecclesiastici a me, solius grati animi causa, obtinendi (14). Illud non obest, quod sine his officiis ego tibi nihil, sine ea spe tu nihil mihi praestiturus fuisses (15); alias utrumque simoniacum foret, quia nemo sine ulla prorsus causa liberalis est. Nihilominus ante officium praestitum, haec te stipulari, aut me promittere, etiam solius grati animi ergo, simoniacum est, quia ex stipulatione seu promissione huiusmodi nova, saltem fidelitatis, enascitur obligatio (16).

96. At quando spirituale pro temporali datur (vel promittitur) ultro citroque, simonia fit. Nec refert 1° quodnam sit huiusmodi spirituale: utrum nempe per se, an accessorium (§ 87); et si per se

(11) Innoc. XI, 45. Scilicet, si *ut debitum* datur (Viva, in cit. Prop. n. 3); id enim importat *compensatio*.

(12) Cit. Prop. 45. Prout fecisse videtur Simon Magus (*Actor.*, VIII, 18; Cf. Viva, *l. c.*, a n. 5). Etenim retribuere est retro (idest mutua vice) tribuere. Ut ecce si Episcopo aliquod donum offeras, eo *solo fine* et intentione, ut tibi beneficium conferat; tametsi non intendas dare quasi pretium (nisi forte sit modicum aliquid); vel Episcopus ob officium sibi praestitum, quasi gratiam referens, tibi beneficium conferat. Et ut generaliter dixerim, quando temporale datur *principaliter* pro spirituali, vel contra, simonia vix abest, aut ne vix quidem (V. S. Alph., 53, 62).

(13) Suar., 45, 6; Salm., 19, 1, 32.

(14) Salm., n. 55. *Et est trita omnium sententia* (Suar., n. 4, 6).

(15) Ex C. 1, 8, *h. t.*; Salm., 19, 1, 55; Soto, IX, VIII; S. Alph., III, 51. Et Suaresio (43, 2) *certissimum* est: ideoque ego licite illud accepto, etsi animadvertam, te hac spe motum dare (Suar., VI, 14). Et quia ea quae tacite insunt, si fuerint expressa, nihil mutant, non est illicitum verbis significare spem huiusmodi (Suar., 43, 4; S. Alph., *l. c.*).

(16) Viva, in Innocen. XI, 45, n. II; S. Alph., III, 53. Eoque minus licet haec petere, stipulari, promittere *remunerationis* (V. IV *Reg.*, V. 22), vel mutuae benevolentiae, vel (quod ridiculum praeterea et absurdum foret) *mutuae donationis* nomine (Suar., 45, 11). Hoc enim quaesito colore verus *contractus innominatus* agitur; *dabo ut facias, faciam ut des* (V. Salm., 19, 1, 55, 65, etc.). Dixi *ante officium*, nam, his iam praestitis, neutrum videtur illicitum; quia tu petitione tua nullam mihi obligationem imponis, et ego promitto tibi sponte et liberaliter prorsus. Sane ei, qui nullum mihi servitium, officium nullum praestitit, haec a me petere, et mihi ei promittere, citra simoniam licet; atqui, haec praestando et accipiendo, nos conditionem nostram deteriorem facere, videtur absurdum.

utrum formaliter, an causaliter, an effective (§ 90, n. 4). Nihilominus cum venditur aliquid sanctum effective, si agitur de aliqua re spirituali non facienda seu omittenda, cum omissio nihil sit, magis *libertas* seu *arbitrium faciendi* emi vendique videtur. Porro hoc est aliquid temporale; quisquis igitur, ne huiusmodi quid faciat, aliquid accipit, si hoc sit aliquid spirituale, reus est simoniae; sin temporale, non item (17); nisi forte omissio recidat in actum positivum (18), aut directe viam paret ad obtinenda spiritualia (19).

97. Nec 2° refert quodnam sit temporale quod datur (vel promittitur), utrum nempe *munus a manu*, an *ab obsequio*, an *a lingua* (20); nec utrum lucrum aut commodum, quod venditor rei spiritualis exinde reportat, sibi cedat, an alii (21); nec utrum forte utrumque ex alio capite debitum sit; nam alter, si detur, ex datione; sin promittatur, ex promissione (quae novam fidelitatis obligationem parit) commodum reportat.

(17) Less., II, 35, 84; Laym., VIII, 43; Salm., 16, 2, 27. V. c., ne sacerdos officium recitet, ne missam celebret, ne denunciet peccatorem, ne reconciliet poenitentem (Suar., XXII, 11, 14). Nec obstant C. 121, Cau. 1, I, et C. 14, *h. t.*, quae sola ex toto iure canonico huc pertinent (V. Suar., XXII, 6, 14). Nec ad rem attinet, quod is teneatur illa praestare ex officio; hoc enim ad iustitiam pertinet (Suar., n. 12; Croix, III, 1, 177). Dixi *ne faciat;* nam si accipiat temporale, ut faciat aliquid spirituale, v. c., ut in Sempronium censuris animadvertat, simoniam admitti palam est (Less., II, 35, 59).

(18) Pirhin., V, 3, 54; Palaus; Less., *l. c.;* Suar., nn. 13, etc.; Salm., 28; S. Alph. III, 97. Sive, ut ait Laym., (*l. c.*), *si eam non exercere sit moraliter hominem auctoritative ligare, aut detinere*: v. c., ne quem dispenset a censuris, vel rite confessum a peccatis absolvat.

(19) Croix, III, 1, 176. Ut puta Seio pecuniam dare, ne concurrat ad beneficium (S. Alph., III, 103). Quid si inter Seium et Titium convenerit, ne ille concurrat in praesenti electione cum isto, et iste non concurrat in futura cum illo? Etenim uterque videtur parare sibi viam ad beneficium obtinendum. Pasqualigus putat simoniacum non esse; *verum opinio singularis est, et contra communem,* ait Croix, 142. Sed forte *heic* non est improbabilis; utrinque enim ius quasi spirituale (V. Croix, 176), et propter spirituale renunciatur.

(20) Ex D. Th., 2, 2, 100, 5; Sot., IX, VII, 3, pr.; Suar., 38, 3, etc.; Laym., VIII, 25, arg. ex C. 8, q. 3, Cau. 1. Ut ecce si ei, qui rem spiritualem dat, aliquid accepto tuleris (C. 37, *h. t.;* C. 10, *De Testib.*), aut gratis credideris L. 2, *De Column.;* Suar., 38, 8), vel crediturum promiseris (S. Alph., III, 57); immo etsi foenori dederis aut promiseris, si debitor tibi citius soluturum, vel a te creditor tardius exacturum pollicitus fuerit (Ex § 33, *De Action.;* Suar., 38, 9).

(21) Ex L. 7, *De Serv. export.;* L. 3, *De Calumniat.* – Veluti si Caium instituas in beneficio *ea lege*, ut ex reditibus tibi debitum solvat, vel ut fratris sui creditores dimittat (Croix, III, I, 85; Pirhin., V, 3, 13). Secus si detur, *quo* eos dimittere possit (Suar., 37, nn. 17, 18).

98. Nec demum 3° refert utrum alterum pro altero detur ex pacto tacito (22), vel inito cum alio prorsus extraneo (23); immo etsi omne absit pactum, si detur (vel promittatur) sola intentione alterius cum altero permutandi, in foro coscientiae non deerit simonia. Et quando haec moraliter (§ 95), et in primis ex timoratorum hominum sensu et opinione, aestimari debent, quoties spirituale datur *pro* re temporali non excusatur quis, quod per temporale huiusmodi intendat ad aliud spirituale pervenire (24). Et cum datur aliquid temporale intercessori immediato, licet temporale *pro* temporali detur (quia intercessio est aliquid temporale), nihilominus simonia vix aberit, aut ne vix quidem, quia ope intercessionis huiusmodi ad spirituale directa via pervenitur (25).

ART. III. *Quaenam excusent a simonia iuris divini.*

99. Simonia cessat quoties sola temporalia dantur ultro citroque (§ 93): ex hoc capite plerumque cessat cum aliquid datur vel ad redimendam vexationem, vel quasi merces operis datur. Verum haec, quia implexa et salebrosa sunt, iuverit seorsim paucis explanare.

100. Vexare est, alicui infensum esse (sive faciendo sive omittendo), ne aliquid retinere vel obtinere possit, seu spirituale seu temporale, huic infenso aliquid dare, praestare, promittere, ut infensus esse desinat, vexationem redimere est. Vexatio est aliquid temporale (1), ideo permultum interest, utrum ad eam redimendam detur aliquid spirituale, an temporale aliquid detur. Si detur aliquid spirituale, et eo pacto, ut ille *deinceps* vexare desinat, simonia non deerit ultro citroque (2); non item si detur ea spe, vel

(22) V. Suar., 39, 7; Laym., n. 27, v. *Verum.*

(23) C. 59, *De Election.;* CC. 17, 40, *h. t.* Ut ecce, si ut me in beneficio institueres, ego dederim pecuniam intercessori, inscio te; vel tu, inscio me, acceperis a patre meo.

(24) Schmalz., V, 3, 114. Ut puta si pretiosam *reliquiam* des Caio, ut te commendet apud Episcopum, sperans ea commendatione beneficium vacans ab illo consecuturum.

(25) V. D. Th., 2, 2, 100, 2, ad 5. - *Directa,* idest per consequens, et quasi necessario (Suar., 50, 25; Salm., 19, 3, 23). Secus si dederis famulo, ut ad Episcopum aditum praestet (S. Alph., III, 64). Ex hoc capite non deerit simonia, si dem pecuniam competitori meo, ne mecum ad parochiam concurrat; vel patrono, ne aemulo meo suffragium ferat, ne is maiora aut paria suffragia referat. Sed sunt et aliae simoniae latebrae, a quibus cavendum est: ut ecce si quis cum collatore beneficii certet, v. c., centum aureis, quod non sit ei collaturus beneficium quod vacat (V. Croix, III, I, 80, 82).

(1) Suar., I, 3, 15; Salm., 19, 3, 6; S. Alph., III, 101. Et si sit iniusta, nihil aliud est, quam iniuria.

(2) C. 7, Cau. 2, 3; Suar., 50, 14; Salm., 19, 3, 6. Ut puta si reus offe-

prece adiecta (3). Quaestionis est, si detur ea lege, ut in *praesens* a vexatione desistat, nulla ei obligatione quoad *futurum* imposita: et, verius, videtur simoniam abesse, quia donatio intelligitur, etsi metu facta (4).

101. At, ex diverso, si pro vexatione, circa rem spiritualem, redimenda, datur aliquid temporale, quia temporale pro temporali datur, simonia cessat ex utroque latere; nempe ex parte eius qui vexat, si ipse nihil det rei spiritualis (5), ex parte eius qui vexatur, si vexatio fuerit iniusta (6). Est autem iniusta, quae eius, qui vexatur, ius circa eam rem laedit (7). Porro ius quod circa spiritualia nobis (idoneis et dignis) competere potest hoc est: 1° ut ea sibi habere; et, si non habeat, 2° ut quaerere, petere, comparare liceat. Primum competit his qui spiritualia haec iam legitime possident, ut ecce beneficium ecclesiasticum; vel ad ea habent ius, sive *in re,* ut puta institutus (nondum in possessionem missus); sive *ad rem*, ceu praesentatus ad beneficium: alterum OMNIBUS competit (V. Par. II., § 198). Quisquis igitur obstat *illud* prosequenti, is iniustus vexator est semper: qui *hoc* prosequenti obstat, siquidem impediendo, adhuc est vexator iniustus; sin alii studendo, favendo, ipse quidem vexator iniustus non est, sed aut caritatem laedit, si is cui studet sit indignus, vel minus dignus: aut ne caritatem quidem, si sit aeque dignus. Verum ei, cui aliquid adpetere licet, ius est, quae sibi obstant impedimenta, ope quavis licita, submovendi: atque ideo is hanc quoque etsi non iniustam vexationem redimere potest, dum-

rat Iudici beneficium ecclesiasticum, ne in ipsum (vel ut mitius) animadvertat (Suar., 33, 19): vel tu illud offeras calumniatori, ut a calumniando desistat (Croix, III, I, 149).

(30) Sot., IX, VII, 3; Less., II, 35, 121.

(4) Suar., 37, nn. 15, 17; Laym., cit. Lib. IV, Tr. X, Cap. ult., n. 28. V. c., latroni volenti me occidere, ut mihi parcat. Aliud putat Croix (III, I, 149), quia *est pactio de spirituali dando pro commodo temporali; et alias etiam liceret pacisci de pecunia debita in praesenti danda.* Ita porro in creditore qui aliquid recipit, etsi suum: at ego quid *recipio?* Nec interest utrum ipsi vexanti, an intercessori detur.

(5) Suar., 22, 8; Croix, III, I, 178.

(6) Suar., 58, 3; S. Alph., III, 98. Nam si vexatio iusta fuerit, eam redimendo, directe sibi viam parat ad rem spiritualem obtinendam, quod aut simoniacum est (D. Th., 2, 2, 100, 2 ad 5), aut praesentissimum simoniae periculum continet. Veluti si des aliquid Seio, ne te, concurrentem ad parochiam, indignum prodat (Suar., 50, 18).

(7) Ex D. Th., *l. c.;* Salm., 19, 3, 8. – *Ius*, quodvis inquam (V. Par. II., § 198). Et merito Pontius (*M.*, V. 18, 39) miratur TT. quaerere utrum is qui vexatur ius circa eam rem habeat quaesitum iam an nondum quaesitum, et laudat Sotum, Valentiam et Lessium.

modo nihil lucri vel commodi spiritualis ex hac redemptione sibi accedat (8).

102. Ex his autem consequens est dicere, vexationem redimere licitum esse: 1° ei qui habet *ius in re* (9); 2° ei qui solum *ius ad rem* habet (10); 3° et ei qui nec ius aliquod ad rem habet, scilicet ne ab ea quaerenda, petenda, obtinenda (citra omnem alterius iniuriam, et omnem ambitum) impediatur (11). Verum duo sedulo cavenda sunt: primo, ex parte redimentis, ut ius suum sit indubitatum, ac firmum prorsus; nam alias, quod dubium vel infirmum in eo iure est, aut eius conservatio emi, magis quam vexatio redimi videretur (12): deinde, ex parte *vexantis,* ne is, regulariter, postquam obesse desierit, incipiat prodesse (13). Nec ad rem pertinet quis te, aut quomodo vexet, quia haec non mutant ius tuum (14). Ideo licite redimis, 1° nedum ab eo qui (tibi obsistendo) iustitiam,

(8) Ex C. 4, 1, 3; C. 28, *h. t.;* Suar., 37, 17; Salm., n. 13, S. Alphon., III, 101.

(9) C. *Quaesitum,* 1, Cau, 3, v. *Redemptione;* C. 28, *h. t.;* D. Th., 2; 2, 100, 2 ad 5; Suar., 12, 22, 50, 20; Ut ecce ei, qui in beneficio canonice institutus fuit, si ab eius possessione capienda per iniuriam prohibeatur (S. Alph., III, 99). Et de hoc nulli unquam dubium fuit.

(10) Cf. Sot., IX, VI, 1, ad 5; Suar., L. IV, 18, nn. 20, 22. Hinc licet, e. c., vexationem redimere ab eo, qui prohibet me, rite praesentatum ad beneficium, in eo institui (Less., II, 35, 108). Nec obstat C. *Matthaeus,* 23, *h. t.,* quia non apparet vexationem qua de agit fuisse iniustam (Suar., 50, 4, etc.).

(11) Suar., nn. 24, 25; Laym., VIII, 22, in fin.; Salm., 19, 3, 11. Ut puta si quis me detineat, ne ad parochiam concurram (Laym., *l. c.*); vel patronos avertere studeat, ne mihi suffragium praestent (Sot., IX, VI, 1; Less., II, 35, 103; Salm., n. 13; S. Alph., III, 101, etc.). Sane recepta sententia est, licitum esse dare pecuniam electori volenti indignum ad parochiam eligere, ne illum, vel ut digniorem (generatim) eligat, quia Ecclesia ius habet, ut digniores eligantur (S. Alph., III, 103); tametsi unus tantum (Suar., 50, 39), vel ipse qui redimit (sed hoc neque specie, neque periculo simoniae vacat) sit dignior (Croix, III, I, 146).

(12) Less., II, 35, 107; Suar., 50, 10; Salm., 19, 3, 4, *Communissima.* Alias enim emeres *firmitatem infirmi iuris* (Suar., n. 10), *ius firmum* (Croix, III, I. 139). Proinde si tibi et Seio collatum fuerit idem beneficium, nec appareat utri competat, neutri licebit (nec ei qui in possessione eius est) quidvis dare, aut *alteri,* ut recedat (Pirhin., V, 3); aut *Episcopo,* ne se criminosum a beneficio removeat; aut *testi,* ne contra se testimonium ferat (Salm., n. 4). Ceterum si quis te non impetit ex eo capite, quod ius tuum dubium facit; sed ex alio quod non facit, vexatio redimi potest (Suar., nn. 20, 23): ut ecce si tibi maiori ann. 14 (§ 37, n. 16) Episcopus simplex beneficium contulerit R. P. reservatum, et controversia tibi moveatur ob aetatis defectum.

(13) V. S. Alph., III, 100.

(14) Cf. Suar., 50, 11. – V. c., superior, an privatus aliquis; propria ne auctoritate, an iudiciali. Eoque minus refert, utrum facile possis redimere vexationem implorato iudicis officio (Suar, nn. 6, 7, 13, 32); hoc enim non ad ius, sed ad rationem prosequendi iuris, attinet.

sed et ab eo qui solam caritatem laedit (15); immo et ab eo qui ne caritatem quidem (16). Et 2° nedum ab eo qui solum obesse potest, sed et ab eo qui potest etiam prodesse, quia hoc per accidens fit, dummodo redimas ab eo *qua* obest (17). Plus; 3° si tu ad eam rem ius quaesitum habeas, licet vexationem iniustam redimere etiam ab eo, qui non potest desinere obesse quin incipiat prodesse, ideoque et qua prodesse potest; dando tibi scilicet eam rem, v. c., baptismum, eucharistiam, etc. (18); verum quia in hoc casu simonia a vexante contrahitur, res aestimanda est ex regulis caritatis quoad cooperatores (V. Par. II., § 93); et ita demum licet vexationem redimere, si vexans alias rem spiritualem praestare nolit; et tu ea carere non possis, nec ab alio eam petere absque incommodo gravi (19).

103. Nunc videamus de eo, quod quasi merces operis datur. *Mercedem* hic accipio, lata significatione, et ea quae vulgo dicimus obventiones, emolumenta, *incertos* (v. c., stolae) reditus, stipendia (20). Itaque merces dari potest vel propter laborem, quo quis defungitur; vel propter opem, quam alteri praestat. LABOREM accipimus quodvis incommodum, quo quis afficitur in re spirituali praestanda, vel obeunda: diducitur in *intrinsecum*, quo constat materialiter res ipsa, vel opus quod obitur; et *extrinsecum*, qui circa rem ipsam accedit, quique proinde et inesse et abesse potest (21). OPEM, quodvis officium, quod praestatur citra incommodum: et haec quoque vel *proxima* est, quae immediate ad aliquid spirituale obtinendum valet, ut intercessio; vel *remota*, quae alio indiget ad illud obtinendum, ut ecce aditum praestare ad eum, a quo spirituale speratur (22).

104. Principio igitur quod datur propter laborem vel opem hu-

(15) Less., II, 35, 109. Ut puta ab eo qui, mihi infensus, suadeat Patronis, ne me praesentent (S. Alph., 101, 102).

(16) Croix, III, I, 144, 147. - V. g., ab eo qui, me ad vacuum beneficium concurrente, studet aemulo meo, amico suo, aeque digno.

(17) Suar., 50, n. 23, 27. Ideoque, e. c., in presentatione ad beneficium, et ab homine tibi infenso, et a compatrono, *ille* ne patronos (Less., II, 35, 108), *hic* ne compatronos (Salm., 19, 3, 11; Croix, III, I, 144) avertat; sed hoc ultimum opus est aleae plenum (Suar., nn. 28. 29).

(18) Suar., 12, 83; Pont., *M.*, V. 18, 34. Hodie *communissima*.

(19) Suar., 50, 13; S. Alph., III, 103, q. 5. Contra TT. antiquiores.

(20) V. Less., II, 35, 47: Suar., Cap. 46.

(21) V. Suar., 21, 15; Salm., 19, 1, 20. - V. c., in sacro faciendo, *intrinsecus* est ipsa missae celebratio; *extrinsecus* cantus, tempus, locus celebrationis, etc.

(22) V. S. Alph., III, 64.

iusmodi, non rei spiritualis pretium, sed *operis merces* est (23); quando igitur merces datur, temporale aliquid ex utroque latere datur. Porro, si in ceteris omnibus, laboris, officii (V. Par. II., § 439), muneris merces est, quidni et in his dari, peti, immo et (remoto scandalo) pacisci (24) possit? Quin dari debet ex iustitia (25): et, re quidem vera, pro labore exigi posse, sive extrinseco (quod semper omnibus constitit), sive intrinseco (26), hodie merito recepta sententia est. Sed et pro ope; remota, inquam (27): nam etsi pro immediata quoque, seu proxima, citra simoniam dari posse videatur ex apicibus iuris, in re praesenti haec vix (quae humana aut nequitia, aut fragilitas est) aberit, aut nullo modo (28). Illud ad rem non pertinet, quod quis sine ea mercede temporali opus illud temporale minime praestaturus fuisset: nec, verius (quod in hoc recidit), quod illud principaliter praestet propter mercedem (29): nisi forte haec pluris ab ipso aestimetur, quam res spiritualis (30).

105. Verum merces aestimari debet ex labore, vel ope (prout in quovis alio negocio profano), non ex re spirituali quae praestatur (31), quae *simonia;* nec ex persona cui praestatur, quae *iniustitia* foret. Nihilominus aequum est ea insuper aestimare, prout alias, varie ex loco, ex tempore, et interdum etiam ex personis,

(23) Laym., n. 13; Salm., 19, 20, 20.

(24) Suar., 46, 2. etc.

(25) Laym., n. 15; V. *Numer.*, XVIII. – *Dignus est operarius mercede sua* (*Luc.*, X, 7): *Quis militat suis stipendiis* (I *Corinth.*, IX, 7); et parochos licite permittere aliis quae officii sui sunt (v. c., celebrationem matrimonii, iusta funebria), *iuribus* quae vocant (emolumentis), sibi reservatis, nemini unquam dubium fuit (Croix, III, I, 173).

(26) S. Alph., III, 55; V. Less., II, 35, 52. Et sane labor intrinsecus, qua labor est, in quo differt ab extrinseco? Alias, apage missarum stipendia (V. Less., 53).

(27) Croix, III, I, 93; S. Alph., III, 64.

(28) Cf. Navarr., Cons. 58, 4; Sanch., *Consil.*, To. I, Lib. II, Cap. 3, d. 26, n. 9. Et interdum nec in remota, simoniae aut species, aut periculum deerit. Veluti, si cui quid dederis, ut optima tua merita renunciet Episcopo beneficium collaturo; quia verendum est, ne, expleto officio renunciantis, assumat officium intercedentis. *Communis.*

(29) Sot., IX, VI, 1; Sanch., *Dec.*, II, 43, 2; Victor.; Pal,; Laym., n. 12. Ut ecce si chorum adeat propter distributiones (Less., II, 35, 10; Laym., n. 12; ibique Caiet., Sanch., Navarr.); aut missam celebret principaliter ob stipendium; alias qui dat eleemosynam pro missa, eodem crimine teneretur (Croix, IV, I, 62; S. Alphon., III, 55, v. *Secunda;* V. Par. II., § 13, n. 9.

(30) Inn. XI, 46.

(31) V. Sot., IX, VII, 3; Less., n. 46. Nihilominus quae dantur quasi stipendia, non immerito interdum aestimantur ex re quoque spirituali quae datur, ut in bullis beneficiorum, in iustis funerum; scilicet aequum est, ut in substentationem ministrorum plus conferant qui plus lucri vel dignitatis habent: et ita obtinet.

quae haec praestant (32): et si hae aliquod exinde detrimentum capiant, huius quoque ratio habenda est (33). Demum si quis plus iusto dederit vel extorserit, in dubio, utrum hoc quasi pretium rei spiritualis, an magis quasi pretium laboris, opis, vel quasi stipendium dederit extorserit, quaestio voluntatis erit (34); et quando in dubiis benigniorem interpretationem, et in odiosis quod minimum est sequi oportet, magis est ut *illic* donum, *hic* furtum intelligatur (35).

CAPUT II.

DE SIMONIA IURIS HUMANI.

106. Simonia iuris humani, *lata* et minus propria significatione, admittitur emptione, aut venditione rerum temporalium, quae spiritualibus sunt adnexae. Sed in iure canonico hoc vocabulum latius patet, ut dixi § 89 in fi. Nam *latiore* significatione simonia dicitur quae fit pactis conventis circa beneficia vel officia ecclesiastica iure canonico reprobatis: ac demum *latissima*, quae fit exactione vel acceptione cuiusvis muneris vel mercedis in administratione rerum sacrarum, quoties id in iure vetitum est nominatim. Haec igitur vetita sunt, et simoniaca, non naturali (quia, cum heic omnis absit *permutatio*, spiritualibus non faciunt iniuriam), sed Ecclesiae lege (1); quia simoniae iuris divini aut speciem, aut periculum continent. Sunt igitur mala quia vetita; ideoque et materiae parvitatem admittunt (2), et contraria Ecclesiae lege, vel consuetudine, vel dispensatione R. P. evanescunt. De singulis obiter.

ART. I. *De Temporalibus spiritualibus adnexis.*

107. Principio igitur simonia iuris humani fit emptione, aut venditione rerum temporalium, quae spiritualibus sunt adnexae. Verum adnexas accipere debemus, non utcumque, velut theca Sanctorum reliquiis, aut fructus praediis beneficiorum (1); sed si res spiritualis

(32) Laym., n. 42, v. *Sint vero.* - At quia debetur ex iustitia, non inspicitur, si is qui haec praestat, forte sit dives ex aliis ecclesiae reditibus (D. Th., Quodl. VII, 10; Suar., 46, 7; S. Alph., 55).

(33) Caiet., in 2, 2, 100, 3; Less., 45.

(34) V. Croix. III, 1, 91.

(35) Sot., IX, VI, 1; Less., II, 35, 51; Salm., 19, 2, 23. Contra Lugo, *Resp. Moral.*, VI, 4, 4. Sed in eo qui extorquet, simoniae praesumptio, aut species non deerit (Schmalz., V, 3, 95), maxime si extorqueat negando spiritualia (Suar., 47, 6).

(1) S. Alph., III., 50.

(2) S. Alph., *l. c.* Ut ecce si examinatores aliquid a novo parocho accipiant, *post emensum concursum* oblatum (V. Croix, III, 1, 77).

(1) Ex C. 6, § 1, *De Permut.*

sine re temporali, cui adnexa est, consistere nequeat. Harum autem triplex genus distinguitur; nam sunt adnexae vel antecedenter, vel concomitanter, vel consequenter. *Antecedenter* adnexa ea dicuntur, quibus spiritualia accedunt, ut calix consecratus: *consequenter* (ex diverso), quae accedunt spiritualibus, ceu ius patronatus: eorum vero quae accedunt *concomitanter,* unum genus est, labor quo defungimur in rebus sacris seu spiritualibus obeundis (2): sed de hoc iam satis dictum est.

108. In adnexis antecedenter vel consequenter, praevalet semper quod principale est (seu spirituale, seu temporale), idest, id cui alterum accedit (3). Quamobrem temporalia adnexa antecedenter venire possunt, nisi lex vetet nominatim (4); prout sacrae supellectiles, statuae, imagines, etsi benedictae; locus sacer in ecclesia ad cappellam extruendam (5), scamnum, seu locus in ea sedendi (6); templa quoque ipsa (V. Par. II., § 104, n. 10); dum ne propter consecrationem (et non propter impensas consecrationis) pluris veneant (7). Excipienda sunt ex expressa canonum dispositione, opobalsamum, quo Episcopus usus est ad conficiendum chrisma (8); et terra in ecclesia, vel coemeterio, mortuis condendis (9). Dixi *terra,* nam locum ad sepulcrum eo extruendum (10), vel extructum ibi sepulcrum (11), emere quanti locus, aut opus valet, nullo iure vetitum est.

109. Ex diverso quae adnexa sunt consequenter, sine labe simoniae emi, vendi nequeunt (12); ut ius sepulturae in ecclesia vel

(2) V. D. Th., 2, 2, 100, 4; Suar., Disp. 23.

(3) Ex C. 24, *De R. I.* in 6°; Pirhin., V, 3, 72; Croix, III, 1, 152. Nec obstat C. 5, *De Rer. perm.*

(4) D. Th., 2, 2, 100, 1; Suar., 14, 17; 23, 8; Caietan., v. *Simonia,* Reg. 3.

(5) V. C. *Aurum,* 14, 9, 6; Bonac., *h. t.,* Q. IV, § 7, n. 7.

(6) Suar., 28, 23; Laym., VIII, 37; Bonac., n. 3.

(7) Pirhin., V, 3, 72; Engel, V, 3, 17; Croix, III, 1, 154. Quod autem de harum rerum venditione, idem et de earum locatione dicendum est (V, Suar., 14, 24).

(8) C. *Dudum est,* 1, q. 6. Verum haec prohibitio ad Episcopos pertinet (C. *Placuit,* 102, q. 1); ideo si alius chrisma vendiderit quanti oleum et balsamum valent, simonia cessat (Bonac., *l. c.,* n. 4).

(9) C. 13, *De Sepult.* Sed alii *oppositum non improbabiliter dicunt,* inquiunt Salm., 18, 2, 181. Nihilominus aequum est, aliquid exigere ad conservationem fabricae et cultus divini; nam et sepultis prosunt (Salm., *l. c.*).

(10) V. Salm., 18, 2, 181.

(11) Suar., 14. 8; Laym., *l. c.* His nonnulli addunt *Agnos Dei* (Bonac., Q. IV, P. 3, n. 6) forte ex Const. *Omni certo studio* Greg. XIII, qui sub poena excommunicationis vetuit illos venales proponere. Sed non bene: ea enim Const. pertinet ad *Agnos Dei* depictos, miniatos, coloratos, etc. (Suar., 14, 10).

(12) C. 7, Cau., 1, 3; D. Th., 2, 2, 100, 4; S. Alph., III, 72. Scilicet quia, ex principali, sancta quodammodo et ipsa aestimantur (Less., II, 35, 27; Suar., 32, 2).

coemeterio (13), ius percipiendi fructus ex beneficio ecclesiastico (14), ius patronatus (15), etc. Quaestionis est, an licitum sit emere honores, dignitates, quae rei vel loco sacro adiuncta sunt; ut puta locus honoratior in templo, sepulcrum in loco digniori: negat Suar. quippe adnexa spiritualibus (16); affirmant alii, quia mere temporalia sunt (17): et S. Alphonso utrumque est probabile (18). At haec *inter se* permutare nullo profecto iure vetitum est (19).

110. Species alienationis est transactio: itaque videamus, an liceat quaestiones super aliqua re spirituali adnexa (v. c., super iure patronatus, beneficio, oratorio, templo) vera ac propria transactione (V. Par. II., § 557) finire (20). Et si ex una parte datur aliquid spirituale, et ex altera temporale aliquid datur, non licet (21), et planum est; contra licet, si utrinque detur aliquid spirituale vel spirituali adnexum (22). Verum in beneficiis ecclesiasticis opus est auctoritate Ordinarii (23). Is autem permittitur uni beneficium adiu-

(13) Suar., 14, 21; Pirhin., III, 28, 36.

(14) V. Suar., Cap. 26; et Salm., Tr. 19, Cap. 3, Pun. 8. - *Ius*, nam *officium* (§ 18, n. 2) vendere, verius, est simonia iuris divini (Suar., 24, 4): quid enim eo, nisi *sacrum ministerium* (*ib.*, n. 5), venditur?

(15) C. 16, *De Iurepatr.;* V. § 24, n. 7; et Salm., 19, 2, 75, etc. Nempe quoad ius praesentandi, non quoad cetera (Ex C. 9, *De Transact.;* Suar., 28, 3, 5; S. Alph., III, 71). Immo nec quoad ius praesentandi, si hoc permutetur cum alia re spirituali (Croix, III, 1, 132). Haec pertinere ad simoniam iuris divini (V. Suar., 6, 5; 24, 16), plurium Veterum sententia fuit.

(16) Suar., Cap. 22.

(17) Salm., 18, 2, 181, ibiq. Sanch., Diana, etc.; Croix, III, I, 185.

(18) S. Alph., III, 71.

(19) Suar., 31, 21. *Inter se;* idest temporalia adnexa consequenter cum temporalibus consequenter adnexis, utputa duo sepulcra: non item temporalia adnexa antecedenter cum temporalibus consequenter adnexis, utputa calicem cum iure patronatus (Salm., 19. 3, 20).

(20) Cf. Laym., VIII a n. 55.

(21) CC. 9, 10, *De Transact.* Ut ecce si ecclesia cedat iure patronatus, acceptis praediis (Cit. C. 9); aut ab alterius ecclesiae subiectione redimat se, annua praestatione promissa (cit. C. 10).

(22) Ex C. 6, *De Permut.;* CC. 2, 3, *De Transact.* Nam haec citra simoniam permutare licet. Ut ecce, si controversia mota fuerit inter duos patronos, vel duos Episcopos, super iure praesentandi, vel conferendi beneficium aliquod, vel super territoriis; stipulari possunt, ut alternis praesentent, instituant, visitent (Suar., 51, 8; Salm., 18, 3, 42). Et propria quoque auctoritate fieri potest (Ex C. 3, *De Decim.;* Suar., 52, 8; S. Alph., III, 77); utputa si duo parochi super iure decimarum transactionem fecerint: quae tamen successores non tenet (C. 5, *De Transact.*). Et si quando opus est auctoritate Ordinarii ut valeat, ea deficiente, actus nullitate quidem laborat, sed non est simoniacus (Suar., 51, 11).

(23) CC. 4, 7, *Eod.;* Laym., 57, 58. Vel ut arbitri sint clerici (Ex C. 2, *De Arbitr.;* Abb.; Suar., 51 in fi.; Laym., n. 58). Dum ne (quia arbitri beneficia conferre non possunt) beneficio abiudicent eum, qui in canonica possessione eius est (Suar., n. 24; Laym., *ib.*).

dicare, alteri pensionem, vel quid aliud; non quasi pretium dubii iuris, sed, 1° pro bono pacis (24), vel 2° quia alter futurae litis damnum redimit, vel 3° aequitatis causa, quasi pro lucro temporali, quod cessat ei qui a beneficio recedit (25).

ART. II. *De Pactis non adiiciendis.*

111. Regula est iuris canonici: in rebus spiritualibus, vel spiritualibus adnexis, dandis vel accipiendis, omnis pactio absit, omnis conventio cesset (1). Verum etsi haec regula generalis esse videatur, nihilominus in solis beneficiis, et vix in officiis ecclesiasticis obtinet: ad alia non pertinet, vel obsolevit (2): quare de illis tantum.

112. Quod ad beneficia pertinet, simonia est *(latiori significatione)* de eis quidvis pacisci (3): et fit maxime tribus modis. I° Quoties aliquod beneficium in manu collatoris inferioris renunciatur (§ 57, n. 20): vel confertur impure (§ 42, n. 16). II° Si duo permutaverint sua beneficia iniussu Episcopi (4). III° Si quis alteri procura-

(24) C. 21, §§ 1, 2, *De Praebend.*

(25) Suar., *l. c.*, nn. 22, 24; Laym., n. 59; Salm., 18, 3, 44; S. Alph., III, 78.

(1) C. *Quam pio*, Cau. 1, q. 2; C. ult., *De Pact.;* C. 15, *De Rer. perm.* At vero pacta, conventiones, heic accipere debemus quae onus, seu obligationem imponunt quae non inest iure, aut fundationum tabulis (Suar., XXXIX, 9, 16; V. § 43, n. 19); et planum est (V. Par. II., § 307, n. 6): vel alias iure canonico reprobata (V. Garz., *De Benef.*, VIII, 2, 3; Vivian., *De I. P.*, VI, 8, 24: De Luca, *De Iurepatr.*, Disc. 64, 27). Illud non interest, utrum onus, obligatio, quae imponitur, temporale aliquid sit, an spirituale (Suar., n. 12); et in cuius, privatamne an publicam, utilitatem cedat (Ex C. *Ex multis*, Cau. 1, 3).

(2) Sot., IX, VI, I; Less., II, 35, 49; S. Alph., III, 55.

(3) C. 24, *h. t.;* S. Alph., III, 60. - *De eis*, idest in nominatione, praesentatione, institutione, electione, possessione, renunciatione (Cf. Pirhin., V, 3, 79), etc. V. c., si beneficium renunciaveris ea lege, ut successor impensas bullarum, vel litis, quas pro tuendis beneficii iuribus erogasti (non item repraesentata – *anticipate* – vectigalia, Laym., VIII, 53), iniuss Ordinarii (V. S. Alph., III, 18, 3), tibi refundat (Suar., XXXV, 25, 27).

(4) C. 5, *De Rer. perm.;* V. Croix, n. 111; Bonac., *h. t.*, To. I, Disp. I, q. IV, § 13, 3. Sed utrum liceat compensare auctoritate Episcopi *fructuum* (non dignitatis) inaequalitatem pecunia, vel pensione ex pinguiori beneficio detracta? Negant quidam (Less., II, 35, 104; Laym., n. 54): et multi ex Nostris simoniam iuris divini esse putant (Salm., 19, 3, 34; S. Alph., III, 76). At Canonistae communius affirmant fieri posse, quia res temporales cum temporalibus permutantur; nec R. P. auctoritate opus esse (Gonzal., *Ad Decret.*, III, 19, in C. 6. Et, in eo Tit., Zoes., n. 2; Pirhin., n. 11; Eng., n. 4; Schmalz., n. 37). Et, ni fallor, iure prorsus (C. 6, *De Rer. permut.*).

verit beneficium (5) nominando, vel eligendo, vel resignando (6), eo pacto expresso, vel tacito, ut post certum tempus, vel in certae conditionis eventum, detur sibi, vel alii ad idem beneficium *accessus* vel *ingressus*, vel *regressus* (7); vel ut fructus ex eo praestentur *alii* (8). Haec simonia proprio nomine *confidentialis*, seu *fiduciaria*, dici solet; et simoniae conventionalis species est: verum quia haec coercetur gravius ceteris, *heic* strictius interpretamur. Quamobrem *beneficia* hoc loco accipere debemus propria ac stricta significatione (9). Et nec in his beneficiis intelligitur, 1° si quis haec reservaverit super alio beneficio, vel quid aliud super beneficio ipso (10): 2° si nullum pactum intervenerit, sed spes aut desiderium tantum vel intentio (11); vel si pactum fuerit irritum ex alio capite (12): demum, 3° si partes haec convenerint in permutationibus beneficiorum (13). Quaestionis est, num in hanc simoniam

(5) Pius IV, C. *Romanum Pontificem;* S. Pius V, C. *Intolerabilem:* quae ad Const. Pii IV in foro externo applicandam cum primis pertinet.

(6) Engel, V, 3, 32; Reiff., V, 3, 33; Schmalz., V, 3, 37. Vel *commendando* (Less., II, 35, 96; Suar., 43, 3), idest dando *in commendam* (Croix, III, I, 63). Et non si tantum gratia, aut intercessionibus procuraverit; nam B. Pii IV, § 3, in eos lata fuit, qui beneficium alii *velut* in *custodiam* dabant, a quibus postea suo tempore avocaretur.

(7) Pius IV, § 3. Porro *accessus* dari dicitur ei qui huius beneficii neque institutionem, neque possessionem; *ingressus*, ei qui institutionem tantum; *regressus*, ei qui utrumque fuerat adeptus (Salm., 19, 3, 64; Croix, III, I, 64).

(8) S. Pius V, *l. c.*, § 3, v. *Itidem.*

(9) Leuren., III, q. 153; Pirhin., V, 3, 113; Laym., n. 8; Pal.; Suar.; Less.; Croix, III, I, 67, 103, etc. Ideoque non pensiones, capellanias, vicarias amovibiles, immo verius (§ 19, n. 13) nec beneficia regularia (Croix, III, I, 103; ibiq. Azor., Sanch., Bonac., Barb.). Nihilominus pensionem redimere, permutare etc., iniussu R. P. (cum vetitum sit iure canonico), simoniae instar habetur (V. Croix, IV, 1185. Sed V. Suar., Cap. 26).

(10) Suar., 43, 5; Salm., 19, 3, 70; Croix, III, I, 68; S. Alph., III, 84.

(11) Suar., 43, 12; Schmalz., V, 3, 40. Tametsi desiderium, intentionem huiusmodi non reticuerit (Salm., 19, 3, 67; Palaus; Croix, III, I, 65). Et consensit ex parte S. Alph. (III, 87). Nec obstat Constit. S. Pii V, quippe quae magis ad forum externum pertinet.

(12) Prol., § 298, n. 28. Ut ecce si partes haec omnia proprio marte (V. § 57, n. 18) egerint, absolverint (S. Alph., III, 90).

(13) Pirhin., V, 3, 113; Reiff., V, 3, 39; Schmalz., V, 3, 43; Suar., 43, 11; Laym., VIII, 75. Contra putant Salm. (n. 7); *dicit enim* (aiunt) *Pius V, ac etiam decrevit omnes.... permutationes.... nullius momenti fore.* Sed haec verba desunt in Const. S. Pii V, *l'artes;* nam si Episcopus cum utroque, vel altero ex permutantibus pacisceret, de fructibus sibi vel alteri persolvendis, incideret in simoniam confidentialem (S. Pius V, Cit. C. *Intolerabilis,* § 3, v. *Itidem;* Wiesten., V, 3, 12, n. 40; Schmalz., V, 3, 44).

incidat qui fructus non alii, sed *sibi* reservat (14). Ad haec, simoniacum est in beneficiis ecclesiasticis vexationem, vel iniustam, redimere ab eo qui non potest desinere obesse, quin incipiat prodesse (15): nisi forte habenti ius *in eo* iam quaesitum; quia haec vexatio circa iuris exercitium, atque ideo circa merum factum versatur (16): vel nisi vexatio forte in Ecclesiam redundet (V. § 102, n. 11).

113. Officia ecclesiastica vel temporalia sunt, vel spiritualia, quod ex cuiusque *obiecto materiali*, quod vocant, aestimari debet. Itaque temporalia sunt quae pertinent ad administrationem rerum temporalium, velut officium syndici, defensoris, aeditui; spiritualia quae ad rerum spiritualium administrationem pertinent, prout officium legati, vicarii, coadiutoris, capellani, etc. (17). Itaque regula nostra *omnis pactio absit*, etc., hodie, verius, cessat quoad officia temporalia (18). Et quoad spiritualia probabiliter in his tantum obtinet, quae conferuntur a potestate ecclesiastica (19), et clericis non laicis (20); nec sunt amovibilia ad nutum (21). Amplius, licet in his omnis pactio vel conventio exulet, nihilominus officia ipsa et functiones *permutari* posse multi putant; operae autem eis adnexae, vulgo, sine ulla reprehensione, permutantur (22).

Art. III. *De Mercede et muneribus non accipiendis.*

114. Denique *(latissimo sensu)* simonia est, quidvis accipere mercedis nomine, vel sponte oblatum, cum id iure canonico vetitum est (1). Vetatur autem, 1° in sacra ordinatione; praeterquam no-

(14) Affirmant Garc. (II, 3, 149), Reiff. (V, 3, 37), Suar., Pal., Croix (III, I, 66). Negant Navarr., Ugolin., Menoch., Less. Verum si quoad fructus, seu pensionem, accesserit auctoritas Episcopi et iusta causa, simonia cessat (Reiff., n. 38. Adde Prol., § 186, n. 33).

(15) Ex CC. 23, 33, *h. t.* Et ex sensu Ecclesiae universae (Suar., 58, 28). Idest ab eo qui te, idoneum et digniorem prorsus praesentatum maioribus suffragiis, in beneficio instituere (C. 23, *h. t.*), vel parochiam concursu quaesitam, tibi conferre (Croix, III, I, 145), per iniuriam renuit.

(16) Suar., 50, 31. – V. c., ab eo qui te arcet a possessione beneficii tibi iure collati; vel in eam te mittere non vult (Less., II, 35, 110). Nisi forte quaestio quoad possessionem ius aliquod implicet (Salm., 19, 3, 8).

(17) C. 8, Cau. 1, 3; Less., II, 35, 26; Suar., 29, 8.

(18) V. Suar., 29, 3. Sed grave est ea vendere, quia hoc turpe lucrum redolet; nisi aliud consuetudine sit introductum.

(19) Suar., nn. 2, 13. Ideoque huc non pertinent, v. c., capellaniae mere laicales (V. Pal.; Schmalz., V, III, 225; S. Alph., III, 112 pr.).

(20) Pirhin., V, 31, 121. Quod tamen Suaresio, n. 9, non placet.

(21) S. Alph., *l. c., Omnes;* Croix, 107.

(22) Suar., 29, 13; Pirhin., V, III, 122.

(1) Cf. Schmalz., V. 3, 178 etc.

tariis seu cancellariis, quibus nullum stipendium constitutum est (2): nisi forte sponte oblatum postea (3). 2° In dispensationibus concedendis (4). 3° Demum vetatur examinatoribus in concursu ad parochias, occasione examinis, quidvis prorsus ante, vel post concursum accipere, vel eis dari (5). Sed utrum consuetudine introduci possit, ut pro re spirituali detur aliquid temporale? quaestio haec non ad solam simoniam humani iuris, sed et ad simoniam iuris divini aliquatenus pertinet. Principio igitur a simonia iuris humani consuetudinem excusare, recepta (6) sententia est. Quoad simoniam iuris divini, ut quis pro re spirituali possit aliquid exigere quasi *pretium*, nulla potest consuetudine introduci; ut quasi iustum *stipendium*, nulla consuetudine opus est (§ 104); verum si aliquid, nec quasi pretium nec quasi rigorosum stipendium, sed quasi subsidium dari coeperit, et longo tempore datum fuerit, consuetudo servanda est (7). Nam quod sic datur, recidit vel in stipendium, vel in eleemosynam: in stipendium, si praestatur ministris Ecclesiae, eisve inservientibus (8): in eleemosynam, si dependitur in causam piam (9). Sed his omnino opus est; ut et consuetudo ortum habuerit a mera liberalitate fidelium (quod ceteroquin praesumitur), non ex potestate cuiusquam, vel imperio (10); et Ordinarius (cuius est has consuetudines expendere et moderari) ea exigi non prohibuerit (11). Haec igitur nedum dari, sed et exigi possunt (12); at vero nefas est spiritualia denegare quoad illa solvantur (13).

(2) Trid., XXI, *R.*, Cap. 1; S. C. C., 21 ian. 1594, ap. Gallem., in cit. Cap. 1.

(3) C. 4, Cau. 1, 2.

(4) Trid., XXV, *R.*, 18.

(5) Trid., XXIV, *R.*, 18; V. Pirhin., V, 3, 133.

(6) Ex C. 42, *h. t.;* Eng., V, 3, 16; Schmalz., V, 3, 309; Laym., nn. 16, 40.

(7) Ex D. Th., 2, 2, 100, 2 ad 4; Suar., 48, 2. Nec obstat Trid., XXI, *R.*, I, quod contrarias consuetudines damnat, non enim futuras, sed praeteritas damnat (Croix, III, I, 67; S. Alph., III, 110): et forte immoderatas tantum (V. Trid., XXIV, *R.*, 14).

(8) Suar., n. 5. Velut parochis in nuptiis, in exequiis; aedituis, oeconomis in capienda beneficiorum possessione (Ex C. 43, *h. t.;* Trid., XXIV, *R.*, 13). Scilicet praestationes huiusmodi inter reditus beneficii, vel officii, computantur: ideo debentur quasi pactis tacitis constitutae

(9) Ex Trid., XXIV, *R.*, 14; Panormit., in C. *Cum maior, De Const.* – Ut puta in sumptus fabricae ecclesiae, vel sacristiae.

(10) Gonz., in C. 8, n. 8, *h. t.;* V. Suar., 48, 10; V. Prol., § 246, n. 16.

(11) Ex C. 30, *h. t.;* Trid., *l. c.*

(12) C. 42, *h. t.;* Ex Trid., XXV, *R.*, 13.

(13) Ex CC. 41, 42, *Eod.* – *Hoc enim haberet quamdam venditionis speciem* (D. Th., 2, 2, 100, 3).

CAPUT III.

QUIBUS SIMONIACI TENEANTUR.

115. Tria heic breviter dispicere oportet; de validitate eorum quae simoniace gesta sunt, de poenis, de restitutione. Primum expeditum est. Gesta simoniace valent, sive consistant ex ordinis potestate (quod planum est), sive ex potestate iurisdictionis, sive ex pactis conventis, quia nullo iure irrita fiunt (1); excepta venditione iuris patronatus (2), et collatione officiorum, et beneficiorum ecclesiasticorum, de quibus mox.

116. Quoad poenas, simonia realis in ingressu Religionis, et simonia seu realis, seu confidentialis in beneficiis quibuscumque coercetur excommunicatione R. P. r. (V. Prol., § 391, VIII, IX, X). At vero, quia versamur in odiosis, *beneficia* ecclesiastica, et *simoniam* realem heic accipere debemus stricta et propria significatione, ideoque *illinc* beneficia veri nominis tantum (3); *hinc*, verius, solam simoniam iuris divini (4); sive realem, sive confidentialem; et tunc demum quum perfecta fuerit ultro citroque (5). Ab haec, V. Prol., § 186, n. 33.

(1) Cf. Suar., Cap. 57. Ex potestate ordinis, ut ecce sacra ordinatio. Ex potestate iurisdictionis, ut absolutio a censuris, professio religiosa, etc.; item si Ordinarius vendiderit officium mere spirituale (§ 113, n. 17), velut oeconomi, vicarii generalis (Suar., 57, 44, etc.). Ex pactis conventis, velut si quis alicui vendiderit ius sepulturae, oratorium, SS. reliquias, etc. Dixi *gesta*, nam promissiones irritae sunt ipso iure (C. ult., *h. t.*), quippe rei turpis.

(2) Engel, III, 38, 23; Reiff., III, 28, 29; Schmalz., 3, 28, 157. Contra Suar., 57, 13.

(3) Suar., 57, 44; Salm., 19, 4, 16. – *Veri*, etc.: ideoque non simonia quae circa capellanias laicales, vicarias amovibiles, coadiutorias, etc. fuerit admissa (S. Alph., III, 112 pr.). In *beneficiis*, idest in eorum praesentatione, electione, institutione, confirmatione, collatione, etc. (Extr., 2, *h. t.*).

(4) Ex Extr. int. Comm., 2, § *Per electiones, h. t.;* S. Alph., III, 108.

(5) Suar., 55, 53; S. Alph., III, 106; Schmalz., V, 3, 249; Prol., § 311, n. 32. Ideoque neque mentalis poenis obnoxia est (C. ult., *h. t.*); neque conventionalis, excepta confidentiali (Suar., 55, 12; Laym., n. 68; Schmalz., 255), ne mixta quidem (Reiff., V, 3, 239, etc.). *Quum perfecta;* quamobrem si beneficium collatum fuerit pretio nondum soluto (Suar., 57, 63), vel (ut puto) eo restituto, collatio valet, et beneficiatus licite illud retinet, eoque fruitur (V. S. Alph., III, 106). Eo autem postea soluto, irritatio collationis in foro quidem externo retrotrahitur ipso iure (Navarr.; Reiff., V, 3, 245; Schmalz., V, 3, 250; Suar., 57, 53), sed ex Curiae stylo (Suar., 57, 53); atque ideo non item (verius) in foro conscientiae, ad quem stylus Curiae non pertinet: et eo medio tempore perinde est, ac si nulla poena tene-

117. Principio igitur excommunicationi subeunt rei simoniae realis ob ingressum in Religionem. Ingredientibus Religionem duo praestat Ordo: statum religiosum, et alimenta. Pro *alimentis* pecuniam dare, aut exigere a Novitiis nulla (6), a Professis humani iuris simonia est; quae tamen, quoad moniales ubique, quoad viros pluribus in locis antiquata fuit: et sicubi adhuc viget, nulli censurae, verius, obnoxia est (Ex cit. § 391). *Pro statu*, est simonia iuris divini; seu pro vestitione, quam vocant (7), seu professione quid exigatur; et coecertur excommunicatione R. P. reservata; scilicet postquam et professio, valida nempe (V. Prol., § 298, n. 22), edita fuerit, et temporale datum sit, vel dari coeperit (8).

118. Venio ad beneficia ecclesiastica veri nominis. Si simonia admissa fuerit ab eo qui beneficium petit, collatio irrita est; scilicet in poenam (9). Sin ab alio, siquidem contra prohibitionem tuam, et te poenitus ignorante, collatio valet (10); sin te inscio, rescissioni est obnoxia (11); sin denique te sciente, sed non vetante, irrita est ipso iure (12); et praeterea ob simoniam iuris divini, vel con-

retur (Henriq.; Covarr.; Less., II, 35, 155; Laym., n. 68). At vero perfecta intelligitur etsi modica tantum (Schmalz., n. 250), immo minima (Suar., 55, 17) pars pretii (§ 91, n. 15) soluta fuerit.

(6) V. Trid., XXV, *De Ref.*, 17.

(7) C. 19, *h. t.*; Cf. Suar., Cap. 17.

(8) Laym., n. 70; Reiff., V, 3, 255. Suspensione, de qua in Extrav. 1, § 2, *h. t.*, per hanc Const. sublata.

(9) Cit. Extr. 2, *h. t.*; Engel, V, 3, 36. Licet uni tantum ex pluribus (Ex C. 27, *h. t.*; Reiff., V, 3, 137) collegialiter, non uti singulis (Ex cit. C. 27; Schmalz., V, 3, 266) nominantibus, aliquid simoniace datum sit, aut promissum: scilicet illa *una* nominatio est, haec *multiplex*. Amplius, fit inhabilis ad id beneficium denuo ea vice obtinendum (C. 27, *h. t.*; C. 59, *De Elect.*; Schmalz., V, 3, 268). *Ea vice:* nec obstat C. S. Pii V *Cum primum*, § 8 (V. n. 13). Porro beneficia, quoad excommunicationem, hodie (V. C. *Apostolicae Sedis*, *l. c.*) non intelligimus *regularia*; secus quoad nullitatem collationis, ut olim (Cit. Extr. 2, *h. t.*; S. Alph., III, 112, q. 1), quia C. *Apostol. Sedis* ad eorum quae gesta sunt validitatem seu invaliditatem non pertinet.

(10) CC. 27, 33, *h. t.* Te *ignorante:* ergo si sciveris (nempe mature), etsi *contradixeris*, irrita est (Less., II, 35, 143; S. Alph., III, 111), nisi alter dolo fecerit, idest ea data opera, ut collatio irrita esset. Ceterum tueris regula DE TRIENNALI. – *Communis* (S. Alph., *l. c.*).

(11) Ex C. 59, *De Elect.* – Ibi: *Si contigerit reprobari* (Reiff., V, 3, 337; Schmalz., V, 3, 268. Contra Salm., 19, 4, 36). Et si collatio tantum fuerit simoniaca, non item praesentatio, aut electio, haec tenent (Laym., n. 73; Reiff., 265).

(12) Extr., 2, *h. t.*; V. § 116, n. 5. Quid si pretium ab alio promissum solutumque, te contradicente, tu ei qui solvit restitueris? Et si restitueris ne ille damnum sentiret, ne peccas quidem (Navarr., Lib. 5, Cons. 10, *De Simon.*): sin quasi ratum habens, quidam putant collationem eo ipso irritam fieri, quia *ratihabitio retrotrahitur*; alii contra putant, quia *factum legitime retra-*

fidentialem (si et haec inciderit), incurritur, ceu dixi, excommunic. R. P. reservata. Ad haec, quoad beneficia parochialia, examinatores, qui, occasione examinis, ante vel post, aliquid accipiunt, quique eis dant, amittunt ipso iure beneficia quae tunc possident, et ad alia deinceps obtinenda fiunt inhabiles (13).

119. Restat ut videamus de simoniace acceptis restituendis, nempe ante sententiam iudicis. Et, re spirituali promissa sed nondum praestita, restitui debet temporale, quasi acceptum ex turpi causa quae impleri non potest (14): non item post eam praestitam nempe quasi ob causam datum, causa sequuta (15); nisi acceptio fuerit etiam iniusta. Est autem acceptum iniuste quod quis extorsit

ctari non debet, etiamsi postea is casus inciderit, a quo initium habere non potuisset. Et merito valde probabile est Lessio (n. 144; V. Prol., § 304).

(13) Trid., XXIV, *R.*, 18. Nihilominus non amittunt ipso iure beneficia quae obtinent (V. S. Alph., III, 112), quia haec poena cum tanto rigore non est recepta (Thesaur., *De Poen.*, v. *Simonia,* IV, 1). Porro iisdem poenis animadvertunt in simoniacos fiduciarios Constitutiones S. Pii: sed eas praeterii, quia hae Constitutiones vel pertinent ad forum externum (Suar., 58, 16; Pirhin., V, 3, 170; Reiff., V, 3, 267), vel probabiliter non sunt usu receptae (S. Alph., 112): et ideo non tenent ante sententiam (Navarr., *l. c.,* Cons. 92; Reiff., V, 39, 629; Laym., n. 74). Porro inter has poenas, invaliditatem collationi, et inhabilitatem ad beneficium, plurimum distat; illa cum primis *nullitas,* haec *poena* cum primis est (V. Prol., § 307): ideoque ab *illa* incurrenda nulla ignorantia excusat (Prol., § 216, n. 17). Nihilominus si *inscio te* simonia fuerit admissa, beneficio post sententiam dimisso, poterit Ordinarius tibi illud, vel *ea vice* conferre denuo; dummodo simplex beneficium sit (C. 59, *De Election.*), *etiam canonicatum aut dignitatem, cui non insit cura animarum* (S. Alph., III, 118). Ab *hac* excusat ignorantia legis, immo et solius poenae, prout in irregularitatibus ex delicto (Prol., § 409, n. 9); quae S. Alph., (III, 112, q. 2) probabilis, nec immerito, sententia est. Et quamdiu fuerit occulta, poterit ab ea dispensare Ordinarius (Ex Trid., XXIV, *R.*, 6; S. Alph., 117); licet forte simoniae correus (Ex C. 27, *h. t.;* S. Alph., 119), quia iura non distinguunt,et peccata iurisdictionem non adimunt. Dubium magnum est, ait S. Alph. (n. 118), utrum possit et eum dispensare qui simoniae vel reus est, vel conscius fuit; ipse et Salm. (19, 4, 38) negantium opinionem sequuntur ex C. 59. *De Election.*, et ex D. Thoma. Sed neutrum obstat, quia loquuntur generatim, et Tridentino anteriora sunt. Praeterea C. 59 huc non pertinet.

(14) V. Par. II., § 301, n. 20. *Temporale,* nam rei spiritualis nulla est restitutio, neque naturali iure, quia non fuit dantis; neque canonico, quod non extat (Salm., 19, 4, 23); quamobrem si haec est spirituale aliquod *effective,* e. c., potestas absolvendi, dispensandi, praedicandi, etc., licite ea uteris, ceteris paribus (V. Less., II, 35, 166). Sed si forte sit ex his rebus, quae velut in patrimonio nostro esse intelliguntur, ut ius patronatus, Reliquiae SS., etc.; haec restituenda sunt (Laym., n. 85).

(15) V. LL. 1, 2, *De Condict. cau. dat.* Et nullo certo iure est imposita haec restitutio (Sot., IX, VIII, 1; Laym., n. 83; S. Alph., III, 115).

ob rem spiritualem; aut indebitum prorsus; vel ultra pretium summum pro re temporali, quae, citra simoniam iuris divini, vendi, emi potest (16). Quaestionis est, utrum aliquid extorquere pro ipsa re spirituali (v. c., absolutione a censuris, dispensatione in votis) sit iniustum, quia res quae venditur non est dantis (17); an minus, quia non est accipientis (18)? Et si danti exinde decedit aliquid commodi temporalis (19), immo et spiritualis (20), recepta sententia est, eum rem facere sacrilegam quidem, sed non iniustam: sin minus, lis est adhuc sub iudice: ideo in dubio melior est conditio possidentis. Ex quo consequens est dicere, in beneficiis ecclesiasticis quorum collatio vitiosa est, restitutionem faciendam esse post beneficium denique ademptum; et dummodo is qui dedit ignoraverit collationem simoniacam vitiosam esse, nam si scivit, donasse praesumitur (21). Et a solo collatore, vel patronis esse faciendam, non item ab intercessore, vel ab eo qui beneficium renunciavit, quippe ille magis officii sui, hic lucri cessantis magis, quam rei spiritualis, pretium accepisse intelligitur (22): nisi forte extorserint aliquid immodicum. Restitutionem quae ex iustitia competit, ei soli faciendam esse qui laesus fuit, idest ei qui dedit, palam est (23).

(16) Suar., 59, 17. – V. c., ad sacramentum conferendum; seu pro labore in illo conferendo. *Indebitum*, si oportebat haec praestare ex officio (Suar., n. 11): *ultra pretium summum*, si ex officio non tenebatur.

(17) Adrian., Quodl. IX, 3; Sot., IX, 8, 1.

(18) Caiet., v. *Simonia*, Cap. 3; Navarr., 23, 103.

(19) Pirhin., V, 3, 177; Reiff., V, 3, 289; Schmalz., V, 3, 286; Sot., IX, 2, 1. Veluti si alteri suum beneficium renunciaverit, ius patronatus vendiderit, etc. (Laym., 82).

(20) Less., II, 35, 158. Utputa SS. reliquias, Rosarium a R. P. benedictum, etc.

(21) V. Sot., IX, VIII, 1, v. *Attamen;* Laym., n. 79; Suar., Cap. 59, ubi late; V. Prol., § 301, n. 21.

(22) Suar., 59, 40.

(23) Suar., 53, 23; Laym., n. 81; Sot., *l. c.;* Arg. ex C. 2, Cau. 1, 3; Less., II, 35, 170, ibiq. Caiet., et Victoria. Et vix non manifeste cavetur in C. 19, *h. t.* Quaestionis est, utrum accepta in collatione beneficiorum restituenda sint adhuc ei qui dedit, ceu Sot. (IX, 8, 1), Laym. (n. 84), Palaus (*h. t.*, Pun. 26, n. 5), Pirhin. (V, 3, 182), Reiff. (V, 3, 296), Schmalz. (V, 3, 303), nempe ignoranti (V. n. 21), an Ecclesiae, vel pauperibus restitui debeat, ceu Less. (n. 121), Suar. (60, 8), S. Alph. (III, 115), ex cap. 11, *h. t. Utraque* sententia Nostris probabilis est: sed haec posterior displicet. Nam ex cit. C. 11, *h. t.* unum intelligere licet, nempe, acceptam pecuniam *sine gravis salutis periculo retineri non posse* (Schmalz., 304). Ibi insuper iubentur patroni, ea quae acceperunt, ecclesiae *sine diminutione restituere:* ex quibus verbis suspicatur Laym. (*l. c.*), detracta ea fuisse ex bonis ecclesiae; nec immerito, id enim verbum *restituere* significat propria ac vulgari appellatione.

LIBER II.

DE OBLIGATIONIBUS

QUAE OMNIUM CHRISTIANORUM COMMUNES SUNT ET SINGULORUM PROPRIAE

TRACTATUS I.

DE OBLIGATIONIBUS

QUAE OMNIUM CHRISTIANORUM COMMUNES SUNT

TITULUS I.

De Festorum observantia.

CAPUT I.

EX QUIBUS FESTORUM OBSERVANTIA CONSISTAT.

120. Dies festi, qui dicantur, quique sint, neminem praeterit (1). In his iubemur cessare a servilibus ac forensibus (servilia *operae*, forensia *negocia* sunt), et adesse sacro. Utrumque, verius, ex Ec-

(1) V. Urb. VIII, C. *Universa* (13 sept. 1642), qua dies festi in universa Ecclesia colendi, nonnullis abrogatis, recensentur. Ex his autem festa quaedam minus solemnia (velut Apostolorum) serius deminuta (sublata nempe prohibitione servilium), demum alicubi prorsus *abrogata* fuerunt. Quaedam vero, vel ex solemnioribus (ut ecce Epiphaniae Domini, SS. Corporis Christi, etc.), in proximam Dominicam diem alicubi *translata* sunt. Utrum vero translata fuerint quoad missam et officium tantum, an quoad solemnitatem tantum, an quoad utrumque, ex Literis Apostolicis petendum est. Si id non appareat manifeste, tenendum est *nihil omnino* innovatum esse quoad officium et missam, quoad ecclesiasticas functiones et chorum (S. R. C., 23 maii 1835). Verum indulgentiarum, quae translatis (vel in posterum transferendis) concessae

clesiae praecepto, etiam quoad dies dominicos (2); sed utrumque sub gravi (3).

121. Principio igitur servilia vetantur. Servilia, ut dixi, operae sunt: age nunc, harum triplex genus constitui potest, servilia, liberalia, communia: *servilia* quae corporis, *liberalia* quae animi cum primis viribus perficiuntur: illa pertinent ad corporis necessitatem vel utilitatem, haec ad animum erudiendum vel recreandum pertinent natura sua: quae utrorumque habent aliquid, *communia* dicuntur (4). Itaque *servilia* vetantur, *liberalia* licent; quamvis illa levia sint, haec laboriosa; illa animi recreandi gratia fiant, haec lucri faciendi causa (5): et si non satis appareat, utrum opus aliquod liberale sit, an servile, licite obitur (6). *Communia* accensentur his quibus propius accedunt, seu servilibus seu liberalibus (7). Itaque

fuerant, nulla translatio intelligitur si officium tantum et missa, nisi et solemnitas quoque, licet sola, translata fuerit (S. R. C., *Urbis et Orbis*, 9 aug. 1852). Translata, in perpetuum, inquam; nam si translatio fiat aliquando propter aliquod impedimentum (v. c., festi S. Ioseph, aut Virginis ab Angelo salutatae) officium dumtaxat, non festi observantia transfertur. Porro festis quae Ecclesia celebrat, fas est adiungere festum *Patroni* (non Titularis), vel unius ex praecipuis Patronis, 1° regni vel dioecesis; et, 2° loci, ubi eos haberi, aut venerari contigerit (Urb. VIII, B. *Universa*, 13 sept. 1642; Pius VI, B. *Ex quo divina*, 7 iun. 1780). Et ubi utrumque festum est introductum, utrumque servari debet (S. R. C., 25 mart. 1817). Porro Episcopis adhuc licet festos dies in honorem *Sanctorum* (non item *Beatorum*) instituere, adhibito aliquorum clericorum consilio (Bonac., To. II, Disp. 5, Quaest. un., P. 1, a n. 3), *sed studeant abstinere* (Urb. VIII, *l. c.*, § 3). *Patronos* vero nisi de consensu populi, et cleri et Episcopi eligere (*Sanctos* videlicet) hodie non licet (S. R. C., 23 mart. 1630; Ferrar., v. *Festa*, a n. 2; S. Alph., III, 266).

(2) D. Th., 2, 2, 122, 4 ad 1; S. Alph., III, 265, 293. - *Etiam*, etc., nam alias Ecclesias ab eis dispensare nequiret. Nec obstat tertium praeceptum decalogi: nam quod *ad diem* caeremoniale fuit. Ceterum aliquot dierum per annum sanctificatio pars est cultus externi, et ideo obligat naturali iure.

(3) Innoc. XI, 52.

(4) D. Th., 2, 2, 122, 4; Croix, III, I, 574; Salm., 23, 1, 222; S. Alphons., III, 272, etc. Servilia, ex. gr., sunt arare, putare, nere, suere, barbam tondere, etc.; liberalia, docere, legere, psallere, scribere, excribere. Communia venari, pingere (maxime acu), delineare, ludere, etc. His quidam accensent iter facere pedibus, equo, curru, navi: verum hoc nec operam dixerim.

(5) Salm., 23, 1, 239; S. Alph., III, 278, 280. Scilicet intentio non mutat opus.

(6) S. Alph., III, 280, v. *His*.

(7) V. S. Alph., a n. 276. - *Propius*, quod ex longe maiori aut minori seu corporis seu animi labore aestimandum erit. Itaque licet, v. c., venari, piscari, aucupari, si haec fieri possint sine magno labore: delineare, pingere acu, quin et pennicillo, si fiat sine magno apparatu, ideoque et photographiam exercere (Scavi., II, 93), immo et sculpendo ultimam operi manum admovere (Laym.; S. Alph., III, 280, 281, 283).

operari servilibus grave est, nisi excuset parvitas materiae. *Haec* autem, verius, habetur, si quis eis vacet minus duabus horis, et horae dimidio; immo et plus, si ex aliquali necessitate (8), vel in opere leviusculo (9). Ex hoc capite regulariter a letali excusantur, qui obeunt servilia magis ope animantium, vel machinarum, quam sua (10).

122. Ad haec, a forensibus abstinendum est. Forum est negotiationum, vel litium exercendarum locus (V. Prol., § 25, n. 11), proinde forensia accipimus *negocia*, sive civilia, sive iudicialia (11). CIVILIA; et in primis contractus inire, nundinas singulares (*mercati*) agere, merces emere et vendere: sed primum et alterum penitus (12); tertium magna ex parte obsolevit. Scilicet mercium *venditionem* Ecclesia *in publicis officinis prohibuit ratione scandali* (13): quamobrem non est illicitum ea vendere domi; immo si quae necessitas sit, et scandalum absit, nec in officinis; sed ianuis clausis, posticis tantum reseratis (14): uti autem esculenta quaevis, et poculenta emi palam vendique possint, iam fere ubique receptum est: nec illicitum habetur ea vendere quae certum ac definitum pretium habent, uti calceos, candelas, etc. (15). IUDICIALIA, nempe, quae vel pertinent ad iurisdictionem contentiosam, vel sine strepitu iudiciali exerceri nequeunt (16): idest, 1° causas agere, et ea obire quae ad earum, 2° praeparationem, vel, 3° consummationem pertinent, ut puta libellos edere, pignora capere, vel distrahere. Et *illa* quidem gravia esse puto ex genere suo; nisi aut litigantium necessitas cogat (17), aut ipsorum ius dicentium, vel Procurato-

(8) V. Salm., 23, 1, 320; S. Alph., 306; *H. A.*, VI, 25. – *Plus*, sed non ultra tres horas (V. S. Alph., *l. c.*).

(9) Croix, III, I, 578; ut legere flores (S. Alph., III, 282).

(10) S. Alph., IV, 282. Ut ecce qui iumenta, vel currus onustos agunt, vehunt, si his onerandis, exonerandisque egeant modico tempore; seu iter prosequi, seu aggredi velint (Salm., 250; S. Alph., 276); qui molunt, dummodo mola non bestiis, sed aqua agatur, aut vento; immo etsi bestiis, si modica egeat molitoris opera (S. Alph., III, 277). Nihilominus, quia occupati circa has res servilibus studere videntur, vulgo creduntur peccare graviter; ideo his in locis, quibus nondum usus invaluit, ab eis, saltem propter scandalum, abstinendum est.

(11) CC. 1, 5, *De Feriis*.

(12) S. Alph., III, 286. – *Singulares*, nam universales (*fiere*) ipso iure canonico permissae sunt (Cit. C. 1).

(13) S. Alph., III, 286.

(14) Sanch., *l. c.*; Gouss., I, 566; Scavini, II, 239.

(15) S. Alph., III, 286. Nempe si vendendi labor minimus sit, ut opinor.

(16) Ex L. 3, *De Feriis*; C. ult., *Eod. tit.*; Reiff., II, 9, 29.

(17) C. ult., *De Fer.*; Clem., 2, *De V. S.* Nec satis intelligo quomodo a letali excusentur Procuratores, qui in causa sunt, ut haec in dies festos differantur. *Nisi*, etc.; ut

rum, etc., damnum grave (18). *Ista* et *haec*, regulariter, levia (19); et ne levia quidem, si, propter utilitatem eorum quorum interest, fieri solent in his diebus, ut ecce venditiones sub hasta.

123. Deinde sacro interesse necesse est. Porro qui sacro intersunt, sacrificium offerunt cum celebrante; proinde, ut quis dicatur sacro interesse, opus est, ut celebranti sic praesens sit, ut videatur una cum ipso sacrificium offerre (20): hac re oportet ei adesse corpore, et animo simul (21). CORPORE: ex hoc capite, haud quidem necesse est celebrantem videre, vel audire, nam et caeci, et surdi audiunt missam; sed ut ea, quae ille peragit, tu percipere possis, sive oculis, sive auribus, sive ex adstantibus (22); dummodo, si constitutus es extra ecclesiam, non distes ab ipso ultra vicesimum circiter passum (23). Ceterum in magna populi frequentia, adesse celebranti intelligitur, qui, cohaerens adstantibus, veluti unum corpus cum eis facit, quocumque loco consistat (24).

124. Dein ANIMO. Scilicet missam audire est actus humanus, et religionis actus. Qua actus humanus, necesse est, ut quis adsit *sciens volens*. Ideo non videtur adesse temulentus, nec qui dormit, licet invitus (25); caecus qui ecclesiam oraturus ingreditur, si nesciat se adesse sacro (26); qui aliud agit (27); quique demum coactus,

ecce si res tempore peritura sit, vel dilatio actionem peremptura (L. 1, § *Sed*, *De Feriis*).

(18) Ex cit. C. ult. - V. c., si Magistratus, etc., alias abdicare se officio deberet.

(19) V. Schmalz. (II, 9, 28) qui multa ex his ne levia quidem putat: ibiq. Azor., Filiucc., Pirhin., etc.

(20) Suar., in Par. 3 D. Th., L. 3, Disp. 88, Sect. 3; Lugo, *De Euchar.*; XXII, 6.

(21) Croix, III, I, 639.

(22) Lugo, *De Euchar.*, XXII, 19, etc.; Salm., 5, 6, 17. - *Possis;* ut ecce, dum surgunt, genuflectunt, etc.

(23) S. Alph., III, 312. Lugo (*l. c.*, n. 21) ait ultra tricesimum; quod S. Alph. non placet (*H. A.*, VII, 35). *Extra*, etc.; nam qui intra ecclesiam consistit, etiamsi remotissimus a celebrante, si eum aspiciat, ei moraliter adstare intelligitur (S. Alph., III, 312).

(24) Lugo, *De Euchar.*, XXII, 20; Salm., n. 23; S. Alph., III, 312.

(25) Lugo, n. 19. Ceterum si vexatus a somno, nihilominus animadvertit quae sacerdos facit, dicit, implet praeceptum (S. Alph., III, 317, 4).

(26) Croix, III, I, 637.

(27) Croix, 653. Ut ecce qui confabulantur (S. Alph., III, 314), qui *nugatur, ludit, ridet, si prorsus impediatur a re divina audienda* (Azor., P. I, Lib. VII, Cap. 5): qui *res alias fixe aspiciunt et considerant* (Croix, III, I, 653), velut altaris ornatus, signa, picturas (Lugo, n. 22; S. Alph., 314). Licet hoc quod agit sit bonum aliquod, nam *aliud* est (*Vindic. Ligor.*, p. 282): ut ecce qui patrem spiritualem consulit, inservit aegroto (Lugo, *l. c.*), vel (ut puto) apud aliud altare interim orat, aut *viam*, uti vocant, *Crucis* prosequitur. Ex his autem prono alveo fluere videtur (et multi docent) missam non audire nec sacerdotem con-

et omnino reluctans, adest (28). Qua actus religionis, ut adsit *devote*. Devotio heic quoque in externam, et internam diducitur: externa eius est, qui adest reverenter secundum externum corporis habitum, sic ut videatur una cum sacerdote sacrificium offerre (29): interna eius qui mentem applicat ad ea, quae sacerdos dicit, facit, vel ad ea quae his dictis factisque significantur, vel ad Deum ipsum (30): illa necessaria est, de hac non convenit (31). At profecto non est opus orare (32): ideoque satisfacit, qui conscientiam excutit ut confiteatur; qui sacram Scripturam, aut concionem perlegit, dum ne legendo aliud agere videatur; ut ecce si legat ut stylum ediscat, vel ut ea quae legit memoriae tradat (33). Illud non interest, ceteris paribus, qua intentione veneris ad missam audiendam (34): nec si forte tecum constitueris, nolle missam audire (Prol., § 166, n. 31).

125. Praeterea Missa audienda est tota (35): nec satisfacit praecepto, qui partem eius non modicam (36) omittit (sive absit, sive aliud agat); v. c., eam canonis partem, quae media est inter praefationem et consecrationem, vel inter consecrationem et *Pater:* qui abest, et dum sacerdos consecrat, et dum sumit (37). Secus si partem non gravem omiserit, utputa omnia ante Epistolam, vel omnia post sumptionem; immo (quod probabile est) utraque (38);

fessionem audientem, nec eum qui sacramentaliter confitetur; et nihilominus et illum audire communior (Croix, III, I, 656), et istum plurium (S. Alph., n. 314) sententia est.

(28) Lugo, n. 23; Salm., n. 25.

(29) Salm., n. 38; Lugo, n. 25; Ronca., Tr. IX, Q. I, Cap. II, q. 6.

(30) Salm., 23, 1, 207.

(31) V. Lugo, *De Euchar.*, XXII, 26, etc.; Salm. 5, 6, 39. – *Sat igitur dubia videtur Ecclesiae lex* (S. Alph., 313, v. *Ceterum*).

(32) V. S. Alph., *l. c.;* Gury, 344.

(33) Croix, III, I, 665, 4; S. Alphons., *l. c.;* q. 2, in fi.

(34) Croix, 666. Quippe tua intentio nihil mutat.

(35) C. 64, *De Consecr.*, Dist. 1.

(36) Salm., V, VI, 18. Ceterum moraliter adesse intelligitur qui ab altari recedunt aliquid mox allaturi quod ad sacrificium pertinet, utputa thus, librum, vinum (Salm., n. 21); dummodo ecclesiam, aut nullatenus, aut saltem non per multum temporis egrediantur (S. Alph., *H. A.*, VI, 29); quique probabiliter eam circumeunt, ut stipem colligant, modo ad missam attendant (S. Alph., III, 309, 317; *H. A.*, VI, 32). Verum quae modica pars sit, quae non modica, una regula definiri non potest, non enim materialiter tantum aestimari debet, sed et formaliter, idest ex maiori aut minori dignitate ac sanctitate eius partis. Porro digniora ac sanctioria habentur quae ad consecrationem hinc inde propius accedunt.

(37) Salm., 5, 6, 4. Utrum, et is qui abest solum dum celebrans consecrat, vel solum dum sumit, non satis convenit (V. S. Alph., III, 318, v. *Quoad*).

(38) S. Alph., III, 310, q. 1.

vel omnia ante offertorium, quippe ab hoc missae Sacrificium initium capit (39): nec si abest dum chorus, vel musici canunt *kyrie*, *gloria*, *credo* (40); vel dum sacerdos haeret in *memento* nimis diu (41). Sed utrum is qui non potest totam missam audire, teneatur audire partem quam potest? Minime, si in ea neque consecratio, neque consummatio continetur (42); secus si *illa*, vel sola, quia pars principalior est (43); sin *haec* tantum quae pars est minus principalis, controvertitur (44); at satisfacit qui duas dimidiatas missas audit dummodo non una simul audiat, sed successive (45), et ex utriusque parte una *moraliter* missa et integrum sacrificium coalescat (46). Nec ad rem pertinet quinam sacerdos missam celebret (47); qua hora, quo loco (48), vel quo ex loco tu eam audias (49), quia haec nihil mutant.

CAPUT II.

QUAENAM EXCUSENT AB OBSERVANTIA FESTORUM.

126. Festis observandis tenentur omnes baptizati, maiores infante, suique compotes (Prol., §§ 33, n. 2; 204, n. 35); Regulares quoque indictis ab Episcopo in sua dioecesi (1). Scilicet nisi aliqua iusta causa excuset: videamus igitur de causis huiusmodi. Principio A SERVILIBUS excusant necessitas, damnum, pietas. 1° *Necessitas,* (2), nempe *privata,* si gravis ea sit, etsi non admodum gravis; sive propria, sive aliena; ut ecce rigare agros, viridaria (3); calceare

(39) Lugo, *De Euch.*, XXII, 3. Et est probabile (S. Alph., *l. c.*).

(40) Croix, III, I, 669.

(41) Salm., 5, 6, 6. Nostri aiunt, horam (Lugo, n. 5).

(42) Croix, III, I, 611.

(43) V. Ballerini, ad Gury, I, 343.

(44) S. Alph., *H. A.*, VI, 33.

(45) Ex Inn. XI, 53; S. Alph., III, 311. Licet eas audiat ordine praepostero, aiunt Salm. (5, 6, 7, 9), vel interiecto aliquo temporis intervallo, sed non ultra horam, ait Croix (*l. c.*, n. 668).

(46) Lugo, *De Euch.*, XXII, 8; S. Alph., III, 311. Nam si in una earum parte consecratio, in altera consummatio sit facta, non videris uni eidemque sacrificio, sed duobus dimidiatis adstitisse.

(47) Croix, III, I, 623. - E. c., vitandus.

(48) Croix, 624. Ut ecce, in litore, in castris, etc. (S. Alph., III, 319), exceptis Oratoriis privatis (§ 6, n. 37).

(49) Croix, III, I, 620. - V. c., post columnam, vel altare, si sacerdotem audire, vel quae agit ex aliis intelligere; immo ex fenestra domus, platea quoque, sed non plus aequo, interiecta, si eum aspicere possis (S. Alph., III, 312).

(1) Trid., XXV, *De Regul.*

(2) Nicol. V, ap. Rayn., ad an. 1447, n. 28.

(3) Salm., 23, 1, 348.

equos itinerantium (4): *publica*, etsi non omnino gravis, veluti si opus sit reficere pontem, aquaeductum, viam qua transitus frequens est, quamvis non penitus aqua deficiat, et alia via commeari possit (5): quod aestimare Ordinarii est, vel saltem parochi (6). 2° *Damnum* seu temporale, seu spirituale. Temporale; nempe grave (7): hoc nomine excusantur pauperes, qui suis operis diem carpunt; qui coeptum opus prosequitur quod per plures continenter dies protrahendum est, nec sine detrimento interrumperetur (8): nisi forte coeptum fuerit pridie quod commode differri potuisset (9). Spirituale, et hoc quoque grave esse oportet, et imminens: v. c., ut quis pudicitiae filiarum consulat: ex hoc capite excusatur qui vacat servilibus ad otium effugiendum, si otium ei praestet grave peccandi periculum, quod aliter vitari non potest (10). Demum, 3° *pietas* (11): heinc licet obire quae proxime ad divinum cultum pertinent, idest ea quae sunt quodammodo sacrorum praeparatoria; ut ecce ornare

(4) Croix, III, I, 590. Vel eorum qui summo mane iter acturi sunt, si alias gravi damno afficerentur; reficere vomeres eorum, qui aliter postridie laborare nequirent (S. Alphons., III, 300). Item parare quae pertinent ad victum quotidianum, seu necessaria ea sint, seu voluptuaria (S. Alph., III, 298): reficere, seu conficere vestes, sive quae ad tegendum corpus, sive quae ad honestum cultum sunt necessariae, si hoc pridie fieri non potuit; vel si aliqua inopinata et iusta causa supervenerit, ut ecce funus, nuptiae, superioris adventus (Salm., 23, 1, 354).

(5) Suar., *De Relig. h. t.*, C. 32, 14. Item si publicae laetitiae causa, utputa in adventu Principis, aliquid moliendum sit, quod antea fieri non potuit (Laym., II, 2; S. Alph., 304). Hac re permittitur in frequentibus civitatibus mactare pecus; non item in minoribus, vel in oppidis; nisi aut aestate, aut cum plures sint continui dies festi (Salm., 333); sed hodie consuetudo cuiusque loci spectanda est. At panem coquere, et ea quorum usus quotidianus est, licet ubique (Salm., 23, 1, 234, 335).

(6) Ben. XIV, Not. 65, 29.

(7) S. Alph., III, 301. Inde excusantur sutores, sarcitores, etc., si ea praestent quae sunt ad usum quotidianum necessaria, ne deserantur ab emptoribus; vel si alias gravem iacturam paterentur (V. Salm., 336, 348). Ex hoc capite excusantur, qui colligunt fructus, ne surripiantur, vel a pluvia corrumpantur (S. Alphons., 298, v. *Permittunt*); et Salm. excusant eos qui tempore messis, flantibus ventis, purgant triticum. Ad haec, V. Prol., § 178, n. 6, v. *Porro*.

(8) S. Alph., III, 300. Ut ecce coquere calcem, lateres, vitrum, etc.

(9) Ex D. Th., 2, 2, 147, 4 ad 3; et S. Alph., III; 1047; V. Prol., § 171, n. 60. Hinc, v. c., non excusatur qui pridie festi iter aggreditur ad visendum amicum. At excusantur vectores et itinerantes qui pridie festi iter aggrediuntur (S. Alphons., 301, in fi.), et, ut puto, hi qui foenum secant, postridie exsiccandum, quippe inconstantiam temporis cavent.

(19) S. Alph., III, 302. Qui ex damno excusatur debet clam servilibus vacare; et, si clam non possit, scandalum cavere debet.

(11) C. ult., *De Feriis;* Salm., 356.

altaria, templa, vias, etc.; non quae remote, utputa reficere supellectiles (nisi pia loca egestate laborent, et haec gratis fiant (12), et non frequenter) tametsi domi et clam fiant: scilicet ne paullatim servilibus assueti, quietem diei festi, et Ecclesiae praecepta contemnere incipiant (13).

127. A SACRO excusant damnum, incommodum, vel tantum probabile, dummodo utrumque sit vere graviterque probabile (14), caritas. Damnum mediocriter grave (15), sive corporis, sive aestimationis, sive rerum: ut ecce si labores infirmitate, sive ea gravis revera sit, sive timeas probabiliter, ne aliter gravis, aut convalescientia longior fiat (16); si puella (quae habetur pudica) ventrem gerat, et ob eam rem domi se celet (17); si domi remanseris propter metum furum (18), vel ne notabile lucrum amittas (19). Immo et solum *incommodum* (20), et vel tantum probabile, dummodo et dubium sit *positivum* (21) et incommodum *grave*. Demum *caritas:* ex hoc capite excusatur qui ministrat infirmo si is egeat eius opera, vel si aegre ferat ipsum discedere (22); materfamilias, quae domi se continet prospiciens filiarum pudicitiae, aut parvulis suis (23),

(12) V. S. Alph., III, 292, 293.

(13) Salm., 5, 6, 63; S. Alph., III, 293.

(14) S. Alph., IV, 154, v. *Sed quid si;* ibique Collet, Roncaglia, Salm., aliique.

(15) S. Alph., 323; V. Suar., in 3 Par., To. 3, Disp. 88, Sect. 6. Sive tuum sive alterius. Strictius agitur in servilibus, quia in his maxime observantia diei festi posita est.

(16) Salm., n. 58. Et si de hoc dubites, medicus; et si medicus desit, confessarius, aut alius vir prudens est consulendus; et si is quoque desit, non oportet domo excedere (Salmant., n. 59; Sotus, Navarr., Suarez, etc.; S. Alph., 325). Sed si gaudeas oratorio privato et sacerdos aliquis in eo celebret, teneris eam audire: immo, verius, et conducere, si possis absque incommodo gravi (Prol., § 171, n. 55; S. Alph., 324).

(17) Salm., 5, 6, 64. Item si mulier honesta careat veste decenti; nisi forte remotam a concursu populi ecclesiam summo mane adire possit (Suar., *l. c.*, Sect. 6; S. Alphons., III, 330): aut pater eam filio subtraxerit, corrigendi eius causa (Croix, III, I, 688).

(18) S. Alph., 326. Huc pertinent pastores qui custodiunt greges in agris positos (Salm., n. 68).

(19) S. Alph., 332. Utputa viator (pauper), ne amittat expensas itineris, quas sperat a socio (Suar., Sect. 6; Salm., n. 69).

(20) Croix, III, I, 687; Salm., 5, 6, 65. Ut puta si ecclesia distet regulariter iter unius horae et amplius. *Regulariter*, quia hoc varie ex temporibus, itineribus, personis, aestimari debet. Ceterum iter pedestre, vel unius horae cum quadrante, excusat omnes; immo et minus, dum pluit, aut ningit (S. Alph., III, 329; *H. A.*, VI, 41). Nec refert utrum quis eo loci moretur, an eo devenerit, si modo eo devenit ex gravi causa, vel nudius tertius (Salm., 23, 1, 312).

(21) Collet; Roncaglia; Salm.; S. Alph., IV, 154, v. *Sed quid si.*

(22) Salm., 5, 6, 76.

(23) Salm., n. 73; S. Alph., III, 326. Sed hi qui custodiunt greges, do-

vel obtemperans viro, qui alias graviter irasceretur (sed vide Par. II., § 95, n. 2); puella ne det occasionem peccandi ei qui se deperit (24).

128. Ad haec ab utroque, idest et a servilibus, et a sacro, excusant *consuetudo* et *dispensatio*. *Consuetudo* (25): ex hoc capite, 1° licet fere ubique metere segetes, legere uvas, decerpere fructus ut integriores serventur (26), tondere in urbibus barbam, et capillos. 2° Excusantur alicubi sponsae, quae, vel instante matrimonio, vel ab eo celebrato, domi se continent aliquandiu, verecundiae causa (27); mulieres dudum enixae, quae post exactum quoque puerperium domi subsidunt; quaeque virum, vel patrem, vel fratrem lugent, etc. (28); dum ne interim alias domo excedant (29), neve maneant diutius, quam ferat usus (30). Ceterum consuetudines huiusmodi fovendae non sunt, sed magis coercendae, ne latius serpant, et observantia festorum intereat, quod scite Laymannus animadvertit. *Dispensatio:* haec dari potest ab Episcopo, sed ex iusta causa: alias in festis suae dioecesis propriis erit illicita, in ceteris irrita. Absente Episcopo dari potest a parocho, immo et praesente (Prol., § 231); sed parcius, et singulis tantum (31).

129. Heic iuverit circa dominos et famulos aliquid addere. Dominis permittitur ex gravi necessitate imponere famulis servilia diebus festis, eosque sacro prohibere (32); ideoque famulis licet et illa obire, et hoc abstinere (33). Citra necessitatem neutrum licet dominis; famulis licet utrumque, si alias grave damnum sibi metuant, v. c., dimitti, nec ipsis facile sit alium dominum invenire (34). Ceterum parvitas materiae excusat nedum famulos, sed et dominum, etiamsi is plures (non eumdem pluries), e. g., quatuor ex eis, operi addixerit, singulos, v. c., per horam: sive una simul, quod fere omnes probant (35): seu successive, quod est communius (36), et verius (Prol., § 292).

mum, pueros etc., si plures fuerint, tenentur alternatim missam audire (S. Alph., *l. c.*). At non sub gravi, ut opinor, quia inter me et proximum caritas vix distinguit (Croix, III, I, 686).

(24) Salm., 6, 6, 77. Immo bis, vel ter (S. Alph., III, 331) obligatur (Vide Par. II., § 91, n. 18).

(25) Salm., 23, 1, 360. – *Et sufficit probabilis consuetudo* (S. Alphon., III. 290).

(26) S. Alph., III, 298.

(27) Salm., 5, 6, 81.

(28) Suar., cit. Sect. 6; Salm., n. 79.

(29) S. Alph., III, 330.

(30) Bonac., *h. t.*, Disp. 4 in fi., n. 26.

(31) Salm., 23, 1, 359; S. Alph., III, 288.

(32) S. Alph., III, 327.

(33) Salm., 5, 6, 27; S. Alph., *loc. cit.*

(34) S. Alph., III, 296, 327.

(35) Croix, III, I, 580.

(36) S. Alph., III, 306, q. 2.

TITULUS II.

De Ieiunio ecclesiastico.

CAPUT I.

EX QUIBUS IEIUNIUM CONSISTAT.

130. Ieiunium abstinentiam significat, et aliud naturale est, aliud ecclesiasticum. Naturale eius dicitur, qui a media nocte nihil prorsus *cibi* vel *potus;* ecclesiasticum eius qui *cibi* nihil immodicum aut vetitum sumpsit: de quo solum hic (1). Hoc igitur consistit in abstinentia, 1° a cibis, excepta unica refectione (latinis *coena*), et, 2° a delectu ciborum; quibus accedit, 3° certa refectionis hora. Primum est pars ieiunii substantialis, et vulgo ieiunium simpliciter dici solet: alterum integralis, et plerumque *abstinentiae* appellatione significatur; tertium in nova disciplina est magis quaedam accidentalis circumstantia ieiunii (2). Porro ieiunium *in facto* positum est; ea igitur quae ad ieiunium pertinent ex seipsis, regulariter, aestimari debent, non ex intentione vel opinione ieiunantis, quae nihil mutant (3). Lex autem ieiunii obligat sub gravi per se; nihilominus quatenus pateat haec *obligatio*, ex receptis cuiusque regionis moribus aestimari debet (4). Haec generatim.

(1) *A media nocte* (V. Rubr. Missal., *De Defect.,* IX, 1). Quae naturaliter (V. Prol., § 39, nn. 2, 3) est computanda (S. Alph., VI, 282).

(2) Less., IV. II, 13; Salm., 23, 1, 10; S. Alph., III, 1016, 1030; Bened. XIV, Notif. 15, 22. Abstinentiam ieiunii partem solum integralem esse ex eo patet, quod hi qui ea solum tenentur (adolescentes, senes) non dicuntur ieiunare: et, ex diverso, qui ab ea dispensati, unicam comestionem servant, ieiunare dicuntur. Veteres TT. existimabant, abstinentiam quoque a carnibus esse partem essentialem ieiunii (Azor.; Pal., Lib. VII, Cap. IX), immo potiorem (Salm., 23, 2 pr., et n. 25).

(3) Hoc primum admonendum duxi, eo quod quidam ex Nostris multa in ieiunio aestimant ex intentione ieiunantium. Hinc docent, v. c., 1° non teneri ieiunio eum qui prandit inscius ieiunii (Navarr., Fagund.), vel mane discessurus, si postea non discesserit (Sancius etc.) atque ideo impune iterum prandere posse. 2° Nec frangere ieiunium eum qui pluries per diem modicum aliquid comedit, pluries repetit (non unico) voluntatis actu (Caramz, Salas, etc.). Et contra, 3° frangere eum qui vinum potat, non ut sitim extinguat, sed ut vires reficiat (S. Anton., Sil., etc.). Haec igitur devia sunt: nec in foro externo oberunt non ieiunanti si putet se facere *in fraudem ieiunii* (licet mortaliter peccet) nec proderunt si quid fecerit in b. f.

(4) S. Alph., III, 1025.

131. Principio igitur substantia ieiunii consistit *in abstinentia* a CIBIS; excepta unica refectione. Et, 1° a *cibis;* atque ideo non a medicinis (5), nec a potu (6). Porro electuaria et medicinae et potus vim habent quippe digestiva (7); quod igitur ex his aliquis ultra necessitatem capit, hoc capere quasi cibum videtur (8). 2° *Excepta* UNICA *refectione:* verum haec *unica* non intelligitur si vel longior fuerit, idest producta ultra duas circiter horas (9): vel non continua; et non continua (moraliter) si fuerit interrupta vel per horam sine ulla causa, vel ultra sesquihoram ex causa iusta (10):

(5) Et si cui potus noceat, ni sumat paululum cibi, hic instar medicinae est (Croix. III, II, 1293). Dummodo non fiat frequenter (S. Alphons., III, 1018).

(6) Verum potum accipere debemus ex his liquidis quae serviunt ad vehiculum cibi, vel ad digestionem,vel sitim extinguendam; ut aqua, vinum, cerevisia, etc.: nam quae suapte natura ad nutriendum cum primis pertinent, magis cibi instar habentur, ut ius, lac, oleum (Ex D. Th., 2, 2, 147, 6 ad 2). Et, quia usus non mutat rerum naturam, nihil refert, si illis (v. c., lacte) utaris ad exstinguendam sitim, his (v. c., vino) ad famem explendam (Laym., I, 7; Salm., n. 56; S. Alph., III, 1022). Porro, instar cibi habendus est succus quem quis, v. c., ex pomis, uva, peponibus, cinnamomo, malis cedrinis etc., haurit, exsugit (S. Alph., 1021, 1022, q. 2): bellaria (*confetture*), et ea liquida queis utimur cibis conficiendis, vel condiendis, ut aqua, acetum, etc. (S. Alph., 1029, v. *Probabiliter*); immo, verius, et ea quibus panis infunditur (Croix, III, II, 1303); nisi forte infusum ori statim admoveas, antequam coeperit fermentare (S. Alph., *l. c.*, d. 3). Ex diverso potui accensentur potiones ex faba americana (*caffè*) vel *thè* (Croix, 1292; S. Alph., 1019). Immo et frigida (*sorbetti*), si modo parva quantitas earum rerum ex quibus conficiuntur (*ingredienti*) cum magna quantitate aquae, admisceatur; quippe ita liquefiunt, ut videantur propriam naturam amisisse; nec aqua, eo quod forte congelata fuerat, naturam mutat (S. Alph., 1022, q. 2). Demum ea potio quae fit ex chocolata, *si ita rara sit sicut aliae potiones artificiales*, instar potus habetur (Salm., 23, 2, 62).

(7) D. Th., 2, 2, 147, 6 ad 3. Electuaria (*conserve*) sunt quae ex electis rebus conficiuntur: ut ecce ex saccharo, cedro iunipero (Concina).

(8) D. Th., 2, 2, 147, 6 ad 3. Ideoque, verius, et electuaria, quae quis *ob solam voluptatem* capit (S. Alphons., III, 1019), secus si qua iusta causa, v. c., ad vocem conservandam, ad auferendum oris foetorem etc. (S. Alph., *H. A.*, XII, 11).

(9) V. S. Alph., III, 1020, q. V.

(10) V. Salm., 33, 2, 49; S. Alphons., *l. c.*, q. 3. Et, quia intentio res non mutat, qui ad mensam serius revertitur, solvit ieiunium; et contra qui revertitur citius,non solvit, etsi ille mox rediturus, hic non reversurus discesserit (V. S. Alph., *H. A.*, XII, 10). Nostri fere omnes hoc ex intentione discedentis aestimant; itaque si is discesserat non rediturus, quidam putant, eum non posse iterum accumbere (Laym., I, 6); quidam posse dummodo reversus fuerit infra horae trientem, et eidem mensae, non aliae (Less., IV, II, 13). Quorum primum mihi difficile est (§ sup., n. 3), alterum difficilius: nam quis dixerit, eum qui quatuor successive mensis accumbit, et ex singulis quartam prandii sui partem capit, quater prandere? Illud omnibus constat, eos qui prae-

nihilominus si quis, forte propter negocium aliquod, a mensa recessit, nondum refectus sufficienter, et nequeat ieiunium sustinere, si confecto negocio serius redeat, impune iterum recumbit, quamvis forte peccaverit in causa (11). Porro haec materia parvitatem recipit; ideo ieiunium non frangit, qui extra unicam comestionem capit vel duas tantum uncias cibi una simul (12) vel tres intercise (Prol., § 292, n. 21).

132. Integralis ieiunii pars est abstinentia a ciborum delectu. Delecta ciborum sunt carnes, iusculum ex carne, et condimenta ex adipe carnium (13): non pisces etsi delicati. Carnes autem accipimus animantium quae terra, pisces qui aqua vivunt (14). Amphibia accensentur ei cui propius accedunt; seu carni, seu pisci (15): quod aestimari debet ex eorum structura (16), et vi nutriendi (17); in dubio utri magis accedant, mos regionis consulendus est (18): et si nec regionis mos appareat, comedi poterunt; non enim permissum est, sed prohibitum vesci carne (19). Ad haec, in quadragesima abstinendum est sub gravi ab his quoque quae a carne trahunt originem, lacte, videlicet, caseo et ovis (20), ne Dominicis quidem exceptis (21). Nihilominus excusat et in his parvitas materiae: quae est, in carne octava unciae pars (22), in his quae ex carne trahunt originem (si qui iudico) duplo maius, quippe minus nutriunt. At crustula et pastillos ovis subactos comedere,

stare debent aliquod officium his qui accumbunt (v. c. legere, ministrare) posse antea aliquid sumere (Laym., *l. c.*): immo et debere, si aliter ieiunare nequirent (V. Baller., ad Gury, I, 493, 6), et postea prandium quasi coeptum perficere,

(11) S. Alph., III, 1020, Q. III.

(12) S. Alph., III, 1030; *H. A.*, XII, 20.

(13) V. S. Alph., 1010. Nostris est et *sagimen,* vox parum latina, quam *de quocumque adipe* intelligendam esse responsum est.

(14) *Vivunt;* non qui nati sunt, alias liceret avibus vesci (V. *Genes.,* I, 20), uti visum Orientalibus (Socrates, *Hist.*, Cap. 22).

(15) Tambur., Lib. IV, *In Decal.*, Cap. 5, § 1, n. 10, Hinc, v. c., licitum est comedere ostreas, conchilias, canceres, nepas, lustras (S. Alphon., III, 1011): contra anitras marinas, fulices, et, ut generaliter dixerim, mergos, non licet (V. Righetti, *Del Digiuno e Della Quaresima.* Roma 1834, Lett. II, § 13). Probant quia Pius VII, die 22 Febr. 1804, indulsit *pro gratia* Minimis S. Francisci De Paula, ut fulicibus vesci possint: sed non est urgens ratio.

(16) D. Th., 2, 2, 147, 8.

(17) Ben. XIV, *De Syn.,* XI, V, 12.

(18) Tamb., et Ben. XIV, *ll. cc.*

(19) Ex Can. 3, *De Cons.*, Dist. I; Croix, III, II, 1266.

(20) Alex. VII, 32; S. Alph., III, 1009.

(21) S. Alph., III, 1907; Salm., 23, 2, 36. Non item extra quadragesimam, nisi ubi consuetudine immemorabili est introductum; quae ubi inolevit sub gravi obligat (S. Alphons., 1009, d. 3).

(22) S. Alph., III, 1029, 3.

probabilius, quae S. Alphonsi sententia esse videtur, leve est; et ex aliqua *iusta* causa, ne leve quidem (23).

133. Demum refectio sumenda est circa meridiem. Verum ex hoc capite non prohibemur serius prandere, sed citius. Sed et hi qui citius comedunt, hodie ieiunium non frangere (24) communior (25) et certe probabilis (26) sententia est.

134. Quamvis autem substantia ieiunii consistat ex unica refectione, nihilominus licet hodie, ex consuetudine fere ubique introducta, sumere et *mane* potionem ex chocolate ad instar densae pultis, dum ne sesquiunciam, et simul cum saccaro, vel *frustulo panis* (27) duas uncias excedat (28); et *sero* collatiunculam sumere. *Quid* autem, *quantumve* in hac sumere liceat, ex consuetudine cuiusque regionis petendum est: apud nos licet *cuivis* sumere vel octo uncias cibi (29); et quibus cibis in prandio, his et in collatiuncula licet uti (30); exceptis carne, his quae a carne trahunt originem (31) et piscibus, ultra duas tresve uncias, recentibus et grandioribus (32). Sumenda autem est sero vel noctu,

(23) S. Alph., 1009, d. 4.

(24) C. 50, *De Cons.*, D. 1.

(25) V. S. Alph., III, 1016. Qui ab hac sententia postea recessit (*H. A*, XII, 21).

(26) Cf. Laym., I; Salm. 23, 2, 87, etc.; Grassi, Tract. 15, Cap. I, q. IV, R. 3.

(27) S. Poenit., 21 nov. 1845; Scavini, I, 273.

(28) S. Alph., III, 1023, 1025. Quoad alias potiones delicatas vel medicinales, qua potum vel medicinam praestant licet ea sumere, qua cibum non licet. Item in electuariis, si quis ea sumat *in fraudem legis magna quantitate* (D. Th., 2, 2, 147, 6 ad 3); idest, prout in chocolate (S. Alph. 1023, v. *Secunda*), ultra duas uncias.

(29) S Alph., III. 1025. Immo et decem, *si maiori indigeat nutrimento* (S. Alph., *l. c.*). Quin multi, in his Sanch. et Salmant. (V. Croix, III, II, 1300), tenent, duas uncias non reputari excessum grave; nec improbat S. Alph., (*l. c.*). Qui praeterea docet ieiunium non frangere sero comedentem quinque uncias panis aqua decocti (n. 1029). Dixi *cuivis* nam et his licet quibus octo unciae ad satietatem exsuperant (S. Alph., *l. c.;* Prol., § 186, n. 35, in fi.). Dicta est *collatiuncula* quia monachis ante *collationem* (colloquium) serotinam dari coepit.

(30) V. S. Alph., III, 1026, 1027. Ut ecce pulmento ex leguminibus, pane decocto aqua et oleo (S. Alph., 1029).

(31) Clem. XIII, C. *Appetente.* Quamvis ex communi indulto liceat in prandio vesci carne (Ex Ben. XIV, Epist. 10 iun. 1745, ad 2). Quibus autem ex speciali indulto licet uti ad condiendum butyro, adipe, larido, etc., poterunt eo uti etiam in caenula, etsi ieiunent (S. Poenit., de mand. Leo. XII, 16 ian. 1824; Righ., Lett. 2, § XI). Sub nomine « *condimenti di grasso* », de quo in indulto quadragesimali et pro esurialibus diebus infra annum, intelligitur laridum et adeps ex quocumque animali (S. U. I., 1 maii 1889); et butyrum (S. U. I., 13 maii 1896): non item jus carnium.

(32) Milante, in Alex. VII, Exerc. 23; S. Alph., 1028. Nam exsiccatos, aut parvos adhibere licet.

non mane aut meridie; sed hoc est leve (33): nec sunt inquietandi qui ex *aliqua rationabili* causa mane ientant, et vesperi prandent (34).

CAPUT II.

DE OBLIGATIONE IEIUNII.

ART. I. *Quinam ieiunio teneantur.*

135. Ieiunium ecclesiasticum quibus diebus praecipitur obligat sub gravi omnes ab anno 21, naturaliter (Prol., § 39, n. 3) computato (1), donec annum 60 (2) fuerint ingressi (3). Sub gravi, inquam, quoad utramque sui partem. Sed aliter et aliter: nam, qui pluries comedit vetita ciborum, pluries graviter peccat (4); qui post secundam refectionem iterum prandit, iterum, verius, non peccat; nam, ex quo secundo comedit, ieiunium deinceps ne intelligi quidem potest, quid igitur frangit (5)? At vero qui et carnes comedit, et iterum prandit, quia unum praeceptum violat unum dumtaxat peccatum admittit.

136. A ieiunio excusat *incommodum* grave, quoad utramque sui partem, prout in observantia festorum (§ 127). Hoc autem singulariter aestimari debet (6); ideoque tota haec quaestio est facti non iuris. Nihilominus ut aliquid generaliter dixerim, incommodum quoad unicam comestionem facere possunt, 1° labor et, 2° conditio ieiunantis. Ex *primo* excusantur qui per maiorem diei partem exercent opus, quod sine magno labore exerceri non potest (7); seu servile, seu liberale (8); utputa concionari in

(S. Alph., *l. c.*). Alicubi, ut in Germania, non quaeritur de qualitate ciborum, sed de quantitate dumtaxat.

(33) S. Alph., III, 1024. Et ex iusta causa mane collatiunculam, sero potionem sumere, ne leve quidem.

(34) S. Poenit., 10 iunii 1834.

(1) Sanch., *M.*, II, 24, 23; S. Alphons., III.

(2) S. Alph., III, 1036, Seu mares, seu, verius, foeminae (S. Alph., 1037). Et ita utimur.

(3) S. Alph., 1035 pr., 1036 fin. Ac proinde neque minores ea aetate, neque hoc maiores tenet, etsi viribus valeant (V. Prol., § 186).

(4) Suar., *De Relig.*, Tom. II, Lib. IV, Cap. VII, 2. – *Vetita ciborum*, idest carnem, ova, caseum (Salm., 23, 2, 29). *Pluries;* nempe si id fecerit *novis*, et non tantum *repetitis*, voluntatis actibus (Prol., § 287).

(5) Caiet., 2, 2, 147, 8. Perinde ac si tibi praecipiatur, ne vas aliquod frangas et fregeris (Salm., n. 47). Atque ideo, verius, etsi secundo comederit, ieiunii inscius, vel immemor (S. Alph., 1030, q. II).

(6) *Singulariter.* Nempe, ut opinor, quoties de solvendo quaerimus, non de ligando (V. not. 3).

(7) S. Alph., 1042, v. *Alii.*

(8) Less., IV, II, 43.

quadragesima, docere (9), causas agere (10), sive ipsi *divites sint, sive pauperes* (11): et si opus valde laboriosum sit, eique incumbant per plures dies continenter, excusantur his quoque diebus quibus vacant (12). Huc regulariter pertinent iter agentes, nempe si pedestres eunt 12 vel 15 milliariorum, si equo bidui, sin curru tridui (13): *qui non habent nisi panem* et *legumina* aut *herbas* (14). His accedunt pauperes quibus deest *prandium perfectum pro una congrua refectione* (15): ideoque et is qui, immemor ieiunii, mane ientaculum sumpsit minus prandio plus coenula, si ea refectione non possit commode reliquo die ieiunare (16). Ex *altero* excusantur hi qui, si ieiunaverint, dolore capitis non mediocri afficiuntur; vel noctu calefieri non possunt, vel somnum, nisi aegre admodum, capere (17); mulieres lactantes quamvis robustae, aut praegnan-

(9) S. Alph., III, 1043. Nempe *concionatores* si *concionem* habeant quotidie, aut frequenter; docentes si magno studio et labore indigeant; vel quater in die lectiones praebeant, vel per quinque in die horas doceant (V. S. Alph., nn. 3, 5).

(10) S. Alph., *ib.*, n. 6. Idem iuris est in magistratibus, medicis, confessariis, etc. (S. Alph., *l. c.*); uno verbo, in his, qui, ieiunando, officio suo defungi non possunt. Atque ideo, verius, et in coniuge qui debitum reddere omnino nequiret: quod tamen alii non admittunt, nisi propter periculum incontinentiae (V. Sanch., *M.*, IX, 3, 5; S. Alphon., 1034, 3).

(11) Ex Orac. Eug. IV, ap. S. Alphons., III, 1042. Interest enim reip. his operam dari (S. Alph., 1042). Et licet haec faciant lucri causa (S. Alphon., 1049, 3): dummodo ea non assumant in fraudem legis (S. Alphon., 1046; V. Prol., § 176). Verum hoc definire difficillimum est (V. Prol., 171, n. 63); existimo non agere in fraudem legis qui aliquod opus facit vel *ob rarum lucrum* (S. Alph., 1046 in fine), vel non praeter morem et consuetudinem suam. Et non ieiunanti, si *falso* existimet se nihil facere – vel (contra) facere in fraudem legis, in foro externo, haec falsa existimatio *illic* nihil proderit, *hic* nihil oberit; licet is propter conscientiam graviter peccet.

(12) S. Alph., III, 1044. Scilicet si uno vel altero tantum die vacent. Quid si non satis appareat, utrum quis ieiunare *possit* sine incommodo gravi? Et si opus sit suapte natura valde laboriosum, ut ecce fossoris agricolae, fabri lignarii, ferrarii etc. in dubio tenendum est *non* posse, quia, ut ita dixerim, opus possidet; sin minus, ut ecce coqui, aurigae, sculptoris, non item (V. S. Alph. 1041, 3; 1049, 7).

(13) S. Alph., 1047, d. 1. Ceterum haec varie ex personis, itineribus, tempestatibus etc., aestimari debent; et in his quoque qui intra civitatem hac illac excurrere, cursitare necesse habent.

(14) S. Alph., 1033, 2.

(15) S. Alph., *l. c.*, Et in primis *qui ostiatim* eleemosynam mendicant (D. Th., 2, 2, 147, 4; *l. c.*, ad 4).

(16) V. S. Alph., III, 1020. *Plus coenula,* nam si non plus sumpsit, hoc pro coenula erit (V. Croix, III, II, 1284; V. Less., IV, II, 18, 19).

(17) S. Alph., III, 1034. Nec tenentur mane ientare, et prandere vesperi (Sanch.. *M.*, IX, 3, 12; S. Alphons., *l. c.*); vix enim caret incommodo gravi.

tes (18); milites gregarii in castris aut stationibus (19). Quod ad abstinentiam, grave incommodum praestat aut valetudo, aut necessitas. *Valetudo* his quibus cibi esuriales non mediocriter nocent. *Necessitas* pauperibus, quibus oleum in penu non est: his licet, pro suis quoque domesticis et operariis, uti larido ad condiendum; et comedere, et dare ova et lacticinia: si aliud non habeant; immo et carnes edere licet ei, qui per plures dies aliud quam panem habere non potest (20). Ad haec, si paterfamilias non possit, aut nolit duas mensas parare, alteram ex carnibus, esurialem alteram, his qui de familia eius sunt non imputatur si carnes comederint (21). Denique quod ad utramque excusat quodvis pietatis vel caritatis opus (dummodo gravis adsit causa), melius ieiunio (22). Quid si quis dubitet, ne aut unica comestio, aut abstinentia incommodo non sit caritura? Et profecto *debet se certificare* (23), et consilio uti utriusque medici (24); et si dubium solvi nequit, lex cessat; modo et dubium probabile sit (25), et incommodum grave (V. Prol., § 178).

137. Demum cessat ieiunii lex (sive quoad unicam comestionem, sive quoad abstinentiam, sive quoad utramque) si ab ea dispensa-

(18) S. Alph., III, 1031,

(19) S. Alph., III, 1034, 3.

(20) S. Alph., 1007, 1008. Quod proinde et viatoribus licet qui nihil aliud in diversorio inveniunt, nec alio divertere possunt, sine incommodo gravi (Gury, I, § 487, 5).

(21) S. Poenit., 18 ian. et 16 febr. 1834. *Non imputatur:* scilicet hoc solius *necessitatis* causa concessum fuit (S. Poenit., 6 aug. 1860), et *ob impotentiam implendi praeceptum* (Eadem S. C., 27 maii 1863); *et adiecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis et iis qui ieiunare tenentur de unica comestione* (S. Poenit., cit. Resp. 18 ian. 1834). Amplius: quae his responsis continentur, non favore filiorum, etc. (S. Poenit., 1 maii 1845); nec pro eorum, sed pro confessariorum norma statuta sunt (S. Poenit., 1 maii 1854; 10 nov. 1857; 22 iunii 1858); quibus proinde inconsultis, patris, domini mensa uti non licet (S. Poenit., 20 april. 1865. *Acta*, I, 425). Neque his licet carnes omnibus apponere, eo quod in familia unus adest, qui licite vesci eis potest (S. Poenit., 10 ian. 1834): nec eo quod ipse gaudeat indulto; secus ac olim pluribus visum.

(22) D. Th., 2, 2, 147, 4 ad 2. - *Pietatis* (S. Alph., III, 1048, 1049), velut sacris operam navare, confessiones excipere. *Caritatis*, utputa si *uxor* ieiunando *gravem pateretur indignationem* a viro (S. Alph., 1034, 4. Sed V. Par. II., § 95, n. 2). *Dummodo* etc., quia quod lex iubet, hoc regulariter praestandum est (V. Prol., § 171, n. 60).

(23) Alexander VII, 30.

(24) Ben. XIV, C. *Non ambigimus*, § 3. Verum hodie fideles solius confessoris, vel solius medici (nempe timoratae conscientiae. Gousset; Scavini, I, 327) aut viri prudentis consilio acquiescere solent; imo si quis proprio acquiescat, si prudenter id iudicare possit, non est inquietandus (S. Alph., III, 325; IV, 154, not. 2).

(25) S. Alph., IV, 154, v. *Sed quid.*

tum fuerit. Quatenus autem dispensatio pateat, ex verbis dispensationis metiri debet. Regulariter dispensatur a sola *abstinentia:* et RR. Pontifices vulgo non aliter dispensant, quam pro unica comestione, et *sublata promiscuitate* epularum, idest carnis, et piscium (26). Verum prima limitatio, ex indulgentia dispensatoris ad eos non pertinet, qui ieiunii lege (27): altera eos non tenet, qui lege abstinentiae (28) non sunt obstricti, quia dispensatione non egent. Episcopi si dispensant ex potestate eis mandata a R. P., si in Literis Apostolicis nihil continetur, nequeunt mitius quam *hic* solet dispensare (29): sin ordinario iure suo, dispensare possunt, nedum singulos, quae certa (30), sed et universos quae probabilis (31) sententia est; nempe singulos ex legitima causa, universos ex gravissima et urgente necessitate, et singulis vicibus tantum, (32). Parochi denique (V. Prol., § 231) singulos tantum, et singulis vicibus (33): nempe servata sive ab aliis, sive ab his unicae comestionis, et vetitae promiscuitatis lege (34).

(26) Ben. XIV, C. *In Suprema;* Epist. *Si fraternitas,* 10 iun. 1744. – *Sublata,* etiam in dominicis quadragesimae (cit. Ep., ad 5). Et pisces accipere debemus omnes prorsus, ideoque et exsiccatos (*salumi*): immo et ranas, nepas, cochleas, testudines, et eos qui improprie *fructus* maris nuncupantur; ut ostreae, conchiliae etc. (S. Poenit., 16 ian. 1834). Verum, quia haec lex strictam interpretationem recipit (Prol., § 184, n. 23), non vetamur miscere condimenta ex adipe et piscibus (Righet., Epist. II, § 5); ut sumpto iuscolo ex carne, edere pisces; vel contra (S. Poenit., 8 febr, 1828). Ad haec, olim in dispensatione generali (v. c., pro aliqua dioecesi vel communitate) carnibus quidem vesci fas erat, sed non insalubribus (Ben. XIV, C. *Libentissime,* 10 iunii 1745): hoc hodie pene ubique obsolevit. Sed si in Literis Apost. hoc quoque comprehensum sit, in dubio an aliqua caro, v. c., suina insalubris sit, an minus, ea vesci licet (S. Alph., III, 1015; V. Prol., § 185, n, 26).

(27) Idest qui non tenentur ieiunare ratione *aetatis,* vel *affectae valetudinis* vel *laboris* (S. Poenit., 24 feb. 1819; 16 ian. 1834; 16 mart. 1882. *Acta,* XIV, 568): ideoque ob quodvis aliud incommodum grave.

(28) Ex S. Poenit., 13 febr. 1834; Righ., § 20; *Acta,* I, 428, 9.

(29) Bened. XIV, cit. Epist. *Si fraternitas.*

(30) S. Alph., III, 1032, v. I, *Causa.*

(31) V. Bened. XIV, C. *Prodiit,* § 10 (*Bullar.,* To. 3, n. 38); et Ferr. *h. t.,* n.26. Quod autem tradit Scavinius (*h. t.*), Benedictum XIV, C. *Non ambigimus* et C. *Libentissime,* hanc potestatem reservasse Apostolicae Sedi, vereor ne verum sit; primo quia utraque illa Constitutio super ieiunio et indulto quadragesimali versatur tota, dein quia Constitutionibus huiusmodi lis inter Theologos finita esset, nec eius amplius meminisse postea debuisset idem Ben. XIV, C. *Prodiit,* § 8.

(32) Ex Ben. XIV, C. *In Suprema,* § 2, To. 1, n. 27. - E. c., ad vitanda scandala, si aliqua vigilia incideret in postrema tempora bacchanalium (V. Croix, III, II, 1273): vel in aliquod festum quod solemniter celebrari solet (Laym., III. 9).

(33) Ex S. Alph., III, 1032.

(34) Ben. XIV, *l. c.,* § 3.

138. Ad extremum quaesitum est, utrum is qui non potest sine incommodo gravi servare unam ieiunii partem, teneatur alteram servare quam potest? nam utraque invicem separata est. Et ei qui non potest unica refectione ali, a carnibus esse abstinendum, hodie *verior* et certa (35): ei qui non potest abstinere carnibus, unica refectione utendum esse, mihi verior (Prol., § 168, n. 42), sed controversa sententia est (36).

139. Iuverit nunc aliquid addere de ieiuniis, quae ieiunantur ex praecepto confessarii, vel in Iubilaeo, vel ex voto, vel *ex regula* in institutis regularibus. Quod ad primum, quidam putant his epulis utendum esse, quibus eo tempore quo ieiunatur uti licet (37); sed quo iure? Ergo existimo uti eis posse, quibus extra quadragesimam fas est uti, nisi alia appareat mens praecipientis, aut voventis. Quod ad alterum, *ieiunia ex voto*, si vovisti ieiunare simpliciter, cessant ex quo 60 annum fueris ingressus: sin *quoad vixeris*, verius est non cessare (38). Quid si ieiunium subrogatum fuit voto alicui perpetuo, puta castitatis, utrum an. 60 finiatur, quia hac aetate grave incommodum adfert; an minus, quia *subrogatum sapit naturam eius cui subrogatur?* RES EST VALDE DUBIA (39). Demum in ieiuniis quae a regularibus ieiunantur, quod ad cibos omnia ex regulis petenda sunt; quod ad tempus, nisi observantia expresse promissa fuerit *usque ad mortem*, in anno 60 cessant (40).

140. Ad ultimum videamus de abstinentia a carne, et adipe carnium, quae obligat seorsum a ieiunio. Hac tenentur, 1° singulis sextis feriis (et penes nos sabbatis quoque) omnes fideles maiores infante, exceptis his quos excusat *valetudo* aut *necessitas:* et, 2° omnibus diebus quibus ieiunatur, hi qui ieiunio eximuntur propter aetatem, vel incommodum grave. Qui proinde his diebus abstinere debent a carne, et ab adipe carnium; et praeterea in quadragesima a lacte, caseo, et ovis; sive qua cibis, sive qua condimentis. Si cui

(35) Ex CC. Pontificiis serius editis, et in primis Ben. XIV; quibus his quoque, qui non tenentur ieiunare, *permittitur* uti indulto ad vescendas carnes et lacticinia.

(36) V. Salm., 23, 2, 25. Nam alii contra putant, et in primis Caiet. et Sanch. Quorum sententia adeo gravis visa est Bened. XIV, ut eam in medio reliquerit (Not. 15, 22). Scilicet recepta tunc sententia erat, abstinentiam a carnibus esse *principalem* ieiunii partem.

(37) Azor.; Ragin., IV, 148; Bonac., *h. t.*, Q. 1, P. 2, n. 6. Atque ideo abstinendo a carne semper, et in quadragesima a lacte quoque, caseo, et ovis.

(38) S. Alph., III, 1038.

(39) S. Alph., III, 1040.

(40) T. Alph., 1039.

autem ex indulto apostolico concessum fuerit sextis feriis et sabbatis vesci carne, huic licet una simul et piscibus vesci, nisi ieiunandum sit; ut in ieiuniis Adventus a Pio VI praescriptis (41); quibus autem concessum est in diebus ieiunii uti *larido liquefacto* ad condiendum, eo et *in serotina* refectione uti licet; verum suino tantum (42), nisi pro larido permittantur, ut hodie, *i condimenti di grasso* (43). Et cui ova conceduntur, lacticinia quoque concessa videntur (44).

ADNOTATIO EX ALIENA MANU.

Ieiunii et abstinentiae lex pro Italiae regionibus, dioecesibus Melitensi et Gaudisiensi comprehensis, sic hodie mitigata est (1).

I. *Abstinentia* a carne et a iure carnium dumtaxat servanda erit seorsim a ieiunio sextis feris per annum.

II. Ieiunium autem servandum erit:

1° Toto tempore Quadragesimae, dominicis tantum diebus exeptis;

2° Feriis sextis et Sabbatis Adventus;

3° Feriis quatuor anni temporum;

4° Vigiliis Pentecostes, SS. Apostolorum Petri et Pauli, B. M. V. in coelum Assumptae, Omnium Sanctorum ed Nativitatis D. N. I. C.

III. Quamvis integralis ieiunii pars sit abstinentia a ciborum delectu (§ 132), hodie abstinentia a carnibus, a iure carnium, ab his quae a carne trahunt originem (§ 132, n. 20) et a condimentis (etiam in coenula) ex adipe carnium ex margarina et butyro, servanda *tantum* erit:

1° Feria sexta quatuor temporum Quadragesimae;

2° Feria sextà in Parasceve;

3° Vigilia Assumptionis B. M. V.; et

4° Vigilia Nativitatis D. N. I. C.

Quoad cetera ieiunia, *in caenula* semper licet uti condimentis

(41) S. Poenit., 8 et 15 febr. 1834; prob. Greg. XVI, *Acta*, I, 426, nn. 10 et 11.

(42) S. Poenit.. 16 ian. 1834, de mandato Sanctissimi (V. *Acta*, I, 429, 17, 18).

(43) V. supra, § 134, n. 3.

(44) S. Alph.; III, 1009. At verius non contra (V. Laym, I, 5).

(1) S. U. I. Decr. *Frequentes*, 5 sept. 1906; quod tamen non respicit ieiunia et abstinentias servandas vel a fidelibus alicuius loci *ex peculiari voto* (Cit. Decr. n. 6), vel a Religiosis utriusque sexus familiis sive *ex speciali voto*, sive *ex propriis Regulis et Constitutionibus* (S. U. I., 8 maii 1907).

ex adipe carnium, butyro et margarina. *In principali* autem *refectione :*

1° *Tempore quadragesimae* permittitur vesci carnibus, exceptis feria quarta cinerum et quatuor temporum, aliis sextis feriis et sabbatis, ac vigiliis S. Ioseph Sponsi et Annuntiationis B. M. V., ubi haec festa sub praecepto recoluntur ;

2° *Extra quadragesimam*, et praedictis quadragesimae diebus, ut in numero praecedenti exceptis, licet vesci ovis et lacticiniis, atque uti condimentis ut supra.

IV. Quae ieiunantibus permittuntur in prandio, iisdem in quavis refectione vesci possunt pro lubito qui ieiunio non tenentur. Utrisque tamen, quamvis super abstinentia dispensatis, vetita est quadragesimae dominicis ac omnibus et singulis ieiunii diebus carnium pisciumque in eadem comestione permixtio.

V. Locorum Ordinariis concessum est ut, extra Quadragesimam et Adventum, pro tota dioecesi vel pro determinatis aliquibus locis, valeant abstinentiam, aut ieiunium, aut utrumque in alium liberum diem anticipare, et etiam super iisdem ex gravissimis causis (v. c. ad certa et gravia praecavenda peccata) dispensare, quoties inciderint :

1° Festum ex solemnioribus Ecclesiae, Titularis aut Patroni principalis alicuius loci vel dioecesis ; vel

2° Extraordinaria religiosa solemnitas, v. c. centenaria, piae peregrinationis, etc. ; vel

3° Publicae annuales nundinae, quae inusitato populi concursu celebrantur.

APPENDIX.

DE PRAVIS LIBRIS NON LEGENDIS, RETINENDIS, EDENDIS.

141. Ad extremum est et alia lex Christi fidelibus imposita, de pravis libris non legendis. Verum his prohibemur iure tum naturali, tum ecclesiastico (1) : illo propter periculum, hoc propter praesumptionem periculi.

Principio igitur prohibitio, quae profluit ex ipso naturali iure, legentes cum primis attingit ; eiusque omnis vis et ratio in periculo

(1) Alex. VII, B. *Speculatores ;* Bulla *Coenae*, § 1. Immo et civili, nempe antiquo Gentilium iure (L. 4, § 1, *Famil. Ercisc.*) ; nunc alia itur ad astra !

posita est, cui se committit is qui librum aliquem legit. Itaque si eius lectio proximum legenti spirituale periculum praestet, ab eius lectione cavendum est, perinde ac ab occasione proxima (V. Prol., § 172). Heic igitur omnia singulariter aestimare oportet; proinde non quaeritur a quo scriptus sit liber, quidve contineat; nec cuius voluminis sit, et an typis editus: sed utrum eius lectio legenti perniciosa esse possit (2). Quod cum fit, nec legere librum fas est, nec legentem audire: et si periculum dubium sit, in dubio tutior pars est eligenda (Prol., § 296, n. 5). Quae omnia adeo manifesta sunt, ut probatione non egeant. Verum qui in *hanc* legem peccat, etsi

(2) Ephemerides, etiam quae dietim eduntur, licet in fasciculos non ligatae, quarum lectio periculosa est fidei vel moribus, naturali iure vetitae sunt sub gravi. Quod post litteras Pii Papae IX datas Emo Cardinali Urbis Vicario sub die 30 iul. 1871 certo certius est. Huiusmodi ephemerides indubitanter dixerim esse eas omnes, quae conscribuntur ab his, qui se liberales esse venditant. Et in primis, quod firmissime tenendum est, eas, *aevi prudentia nostri,* ut verbis utar SS. D. N. Leonis XIII, *quae quidquid proximis his annis per seditiones et turbas gestum est, iure gestum esse defendunt; dissimulant aut adulterant verum; Ecclesiam et Pontificem maximum maledictis falsisque criminationibus hostiliter petunt* (Encycl. *Etsi nos* ,15 febr. 1882). Nonne omnes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius? Quisnam est qui non loquatur grandia, et putet quod possit mutare tempora et leges? Si vel unum inveneris, qui vel unum ex damnatis in Syllabo erroribus repudiaverit, hunc legere fas esto. Quare non ab his tantum abstinendum est, qui ponunt in Coelo os suum, et palam loquuntur perversa, ut abducant discipulos post se, sed in primis ab his (quippe sunt periculosiores) qui se moderatos jactantes, sagittant in obscuro rectos corde: quorum doctrina ingreditur blande, sed novissime mordebit ut coluber: et quasi regulus venena diffundet. Quoad periculum quo se committunt legentes praedictas ephemerides duo meminisse oportet; pravos libros nunquam non infecisse viros, doctos etiam, et pios (V. S. Alph. Lib. I. App. III. De Prohib. Libror): et neminem suae virtuti confideri posse. Itaque dixerim, juvenes (cereos in vitium flecti) ab hac lectione omnino prohibendos esse, sive laicos, sive Clericos: item aetate provectos, quibus non est circa pectus virtutis robur et aes triplex, quique non pollent scientia Sanctorum. Qui autem se tales esse existimant, hi, si stare velint, inconsulto Confessario (quia de se quemque aextimare aleae plenissimum opus est) illas, me auctore, non legant. Interim videant Patresfamilias, Magistri, heri, institutores, etc. qui filios, discipulos, famulos, etc. hisce lectionibus non prohibent, et institores tabernarum, ubi haec diaria prostant, quas apud districtissimum judicem rationes aliquando sint reddituri! *Huius igitur tanti mali, quod serpit quotidie latius, sedulo prohibenda vis est: nimirum oportet severe et graviter adducere multitudinem, ut intento animo sibi caveat et prudentem in legendo delectum religiosissime servare velit* (Leo XIII ibid.).

Quid dicam de his qui huiusmodi ephemerides venditant per vicos et plateas? Et culpa quidem non carent, nisi forte id faciant gravissima egestate coacti.

gravissime, nullam censuram, aliamve poenam incurrit: et hoc quoque planum est (Prol., § 296, n. 3).

142. Ius autem canonicum prohibet generaliter, praeter libros haeresiarcarum in odium auctoris (3), 1° omnes libros apostatarum et haereticorum, qui *de religione ex professo tractant;* alios vero donec ab Ordinario, et Inquisitoribus examinati ac probati fuerint (4). II Libros, etiam catholicorum, de obscoenis, vel magicis ex professo tractantes (5). Alios autem non prohibet, nisi damnati fuerint speciatim, ut ecce libros catholicorum contra fidem et bonos mores (6). Libros autem accipimus hodie, qui 1° typis eduntur, et 2° aliquo volumine constant. Quare (ex 1°) merito quidam negant manuscripta prohibitione contineri (7); nec immerito (ex 2°) scripta, typis quidem edita, sed molis adeo exiguae, ut magis quo alio nomine, velut *elegiae*, *epistolae, orationis*, quam librorum nuncupari solent (8).

(3) Can. *Sancta*, § *Ceterum*, Dist. 15. Adde Conc. Trid., Reg. 2; S. Alph., VII, 288. Nihilominus veterum haeresiarcarum libri (v. c., Origenis, Tertulliani) hodie legere non prohibemur, quippe ex uno capite obsoletos errores, ex altero multa utilia continent, et scitu necessaria (Lugo, *De Fide*, XXI, 29). Ceterum libros accipimus etiam librorum versiones quocumque idiomate factas (Ex Decr. Clem., VIII. et S. U. I., 4 mart. 1628).

(4) Index Trident., Reg. 2. – *Apostatarum* et *haereticorum* (Prol., § 390, II): non ethnicorum nec scriptos ab haereticis post eiuratam haeresim. Sed apostatas et haereticos intelligimus sine ulla distinctione (Suar., *De Fide*, XX, 2, 11): ac proinde sive *ex secta*, ut ecce lutheranos, calvinistas; sive *ex doctrina*, eos nempe qui eiusmodi contra fidem errores docent, ut nulla praesumi possit ignorantia probabilis (Ex Sanch., *Dec.*, II, 10, 24). *De religione*, idest, de his quae ad religionem pertinent quoquo modo, ut puta de rebus moralibus, canonicis, liturgicis, de historia ecclesiastica, etc. (Laym., *De Fide*, XV, 3; Croix, VII, 331). *Ex professo* tractant, idest non obiter, sed ex instituto (S. Alph., VII, 283). Non item Legum seu statutorum codices, licet ab haereticis legislatoribus editi sint, et de religione pertractent, et haereses contineant (Duard., To. I, 2, 46, n. 6). Ad haec, in ditione pontificia, ex Encycl. Pii IX, 2 iunii 1848, vetitum est libros imprimere, vel imprimi facere, sine licentia censoris ecclesiastici, non de quavis materia tractantes, ut olim, sed *illos dumtaxat, qui morales, aut religiosi argumenti sunt.*

(5) Trid., Regg. 7, 9. His adde versiones SS. Scripturarum vulgari idiomate; exceptis his quae vel a S. S. probatae fuerint, vel editae cum *notis* desumptis ex SS. Ecclesiae PP., vel ex doctis catholicisque viris (S. U. I., 7 ian. 1836). Hos praeterii quia nobis de solis *pravis* libris agendum est.

(6) Trident., *l. c.;* Lupus; et S. Alphon., VII, 289. Olim prohibiti quoque erant libri editi sine auctoris nomine (Alexandri VII, B. *Speculatores*). Verum hodie, ex *hoc solum capite*, nullus liber, nisi relatus in Indicem, legi prohibetur.

(7) Croix, VII, 285; Azor., Spor., Silv., Viva, Rodriq., Barbosa, etc.

(8) Sanch., *Dec.*, II, 10, 29; Laym.; Bonac.; Lugo, XXI, 33; S. Alph., Lib. I, App. III, Cap. IV, § 7.

Librorum autem nomine veniunt procul dubio publicationes periodicae in fasciculos colligatae (9), non item ephemerides quae dietim eduntur (10). Verum, libro prohibito, non ea solum pars quae causam prohibitioni dedit, sed totus liber prohibetur legi, et praeterea quaecumque pars libri esse intelligitur; ut epistola dedicatoria, prologus, index (11). Nihilominus cessat prohibitio, si eam partem, quae prohibitioni causam dedit, detraxeris, vel deleveris, vel induxeris, ut amplius legi nequeat; dumne liber proscriptus fuerit quia tractat de Religione ex professo, vel in ŏdium auctoris (12).

143. Libro prohibito, prohibetur illum legere, retinere, imprimere, defendere. *Legere* est oculis perspicere, et intelligere quae sunt scripta (13); proinde nec is legem violat qui legentem audit (14), nec qui legit ipse, si ignorat linguam qua scriptus est

(9) P. M. a Novana, *Comp. Theolog.* Bruxell. 1872, p. 647; et S. U. I., quae 13 iun. 1892 declaravit nomine librorum venire *Publicationes periodicas in fasciculos colligatas.*

(10) Bouvier, *Decal.* I, *Praecept.*, Cap. I, A. I., et Cap. IV; Gury II, 981, Scavini II, 830. - Avanz. *h. t.*; Pennacchi, To. I, pp. 135, 303; Avarceno *h. t.* Sane vel ipse Pius IX eas a libris plane distinxit in Encicl. 2 iun. 1848, qua in omni *Ephemeridum* et *librorum* genere illos dumtuxat sine praevia censura edi prohibuit, qui morali aut religiosi argumenti essent. Aliud putant sapientissimi scriptores *Periodici*, cui titulus *La Civiltà Cattolica* (Ser. VIII, vol. VI, pag. 648), ea cum primis ratione ducti, quod *ephemerides* in eo a *libris* distant, quia illae ex singulis plagulis, seu foliis in dies singulos, hi ex pluribus compactis plagulis identidem editis, in libros coalescunt. Ratio brevis, et urgens. Eis accedunt et Formisanus, et Comm. Patavini I, § 82, post privatam eiusdem SS. Pii IX Allocut. 1 nov. 1874, qua verba faciens de diario *La Capitale* - edixit: « Altre volte « questi fogli furono da Noi proibiti, « ed in questa occasione torniamo a « proibirli tutti: o a dir meglio con- « fermiamo le antiche proibizioni con « le annesse censure. » - Quaenam sunt (quaerunt clariss. Commentatores) prohibitiones hujusmodi, nisi illae quae continentur regulis Tridentinis? - Sed vix credibile puto, eos qui has segulas condiderunt de Diariis cogitasse, quorum illuc aeta tis vix unum, et oppido exiguum, in tota Europa coeperat Venetis apparere. - Utcumque, utrum SS. Pontifex eas prohibitiones confirmaverit quoad eas tantum quae triennio ante legi vetuerat, et Romae tantum, ex illa Allocut. profecto non liquet. S. autem U. I., die 21 aprilis 1880 declaravit excommunicationem R. P. speciali modo reservatam non incurri scientes legentes ephemerides haeresim propugnantes.

(11) Suar., n. 9; Sanch., nn. 30, 35; Lugo, n. 60. Quid si opus in plures tomos sit distributum, num omnes sint prohibiti, si error in uno eorum dumtaxat contineatur? Negat Sanch., affirmat Suar.; Lugo (n. 57), si operis argumentum divisionem recipiat, ut historia, cum Sancio; sin minus, cum Suaresio sentit.

(12) S. Alph., VII, 283; *H. A.*, XIX, 57.

(13) L. 1, *De His quae in test. delent.*; ibiq. Gloss., v. *Intelligi.*

(14) Sanch., n. 48. Quamvis is iussu suo legat (Lugo, *De Fide*, XXI, 75; S. Alph., *H. A.*, XIX, 52; Albit. *De Inconst. in Fide*, 36, 395;

liber (15). *Retinere* suum, sive alienum (16); et neuter excusatur eo quod forte ipse legere nescit, vel quod cavet, ne ad alios perveniat (17): nec licet eos alienare, commodare, legatos tradere, nisi his quibus licentia est eos legendi. Itaque tradendus est Inquisitoribus, aut Ordinario (18), vel comburendus (19). *Imprimere* est typis edere; typis vero edere intelliguntur, 1° typographus, editor et auctor, si auctoris cura editur liber: 2° qui operarios conducit ad edendum necessarios: 3° qui proximam, etsi non formalem, ad imprimendam operam praestant (20). Verum hi tenentur quasi *cooperatores materiales* (Prol., § 174; Part. II., § 207); ideo excusat eos damnum (21): sed, ut puto, *gravissimum* tantum; quippe per quam gravissima pernicies ex pravis libris in Ecclesiam et societatem dimanat. Demum *defendere quomodolibet* (Prol., § 390, II); nempe sive *codicem* ne intereat, ut ecce si prohibeas comburi, vel tradi Ordinario (22); sive *doctrinam*, damnatam scilicet (23).

144. Quos igitur libros Ecclesia proscribit, eos nedum imprimere, defendere, retinere, sed in primis legere grave est; scilicet propter praesumptum perversionis periculum (§ 141), ideoque etsi nullum prorsus legendi periculum immineat (24). Ad haec, excom-

Filiuc. XVI, 45. Verum hoc accipiendum est de peccato, quatenus ei censura coheret; nam si is qui legit, intelligit quae scripta sunt, cum ipse peccato non careat, quis neget peccare eum, qui ad legem transgrediendam inducit?

(15) Suarez, *De Fide*, 20, 2, 18. Sed heic datur parvitas materiae; quae intelligitur si non legeris ultra paginam; nisi forte in ea pagina doctrina proscripta contineatur (S. Alphon., VII, 284).

(16) Suar., n. 21; Sanch., n. 52; Sayr., II, 5, 16.

(17) Suarez., *ibid.*; Croix, VII; 349.

(18) Ind. Trid., Reg 10. Vel saltem ei, cui licet illum retinere; sed *huic* ea lege, ne repetas quoad legendi licentiam obtinueris (S. Alph., VII, 298).

(19) Salm., 10, 4, 74. Nec sufficit librum in folia discerpere, obvolvendis medicinis, salsamentis, etc. (Sanch., n. 53; Croix, 349). Verum datur et hic materiae parvitas, si distuleris biduum aut triduum (Sanchez, n. 56; Laym., *De Fide*, XV, 7): immo et diutius, expectans tradendi opportunitatem, aut veniam legendi (S. Alph., VII, 295).

(20) Sanch., *D.*, XI, 10, 57. Ut ecce qui typos componunt, qui atramento eos tingunt, qui chartas madefaciunt, qui prelum versant, etc.: non item corrector, nec qui editionis impensas faciunt, quippe remotam operam praestant (Suar., *De Fide*, 21, 24; Sanch., *l. c.*; Bonac., Lugo, *De Fide*, XXI, 90; aliique passim).

(21) Cretoni, *h. t.*; Ballerini, ad Gury, II, 972.

(22) S. Alph., VII, 285. Seu vi adhibita eripias, seu fraude, mendaciis, etc. (Suar., 20, 2, 25).

(23) Sayr., III, l. 5; Suar., *l. c.* – *Quomodolibet*; seu scriptis, seu verbis; seu palam, seu clam, vel etiam disputandi causa: immo et si laudaveris eruditionem, elegantiam etc., si laus in libri approbationem redundet (Lugo, XX, 94).

(24) Croix, VII, 375; S. Alph., VII, 291; Prol., § 208, n. 63.

municationem R. P. reserv. (Prol., § 390, II) incurrunt hi (nam haec minus patet) qui *scienter* legunt, retinent, etc., 1° libros *haereticorum* haeresim *propugnantes* (25); vel 2° cuiusvis auctoris libros per literas Apostolicas *nominatim* prohibitos (26). Verum inter peccatum et censuram hoc interest, quod in dubio seu prohibitionis, seu censurae, a peccato excusat ignorantia dumtaxat involuntaria (V. Prol., § 132): a censuris (quae tenent eos tantum qui haec agunt *scienter*) etiam voluntaria; et nedum crassa et supina, quod nemo dubitat (27), sed, verius, etiam affectata (28); atque ideo, verius, etsi letali non careat (29).

(25) Prol., § 390. II. Propugnare autem est, si quid opinor, haeresis patrocinium suscipere data opera, et quasi pro viribus; quocirca excommunicatio eum non tenet, qui legit librum haeretici, si haeresim non propugnet; etsi eam contineat; immo et defendat, sed obiter, paucis et quasi aliud agens.

(26) Ballerini, ad Gury, 972, § 40, n. 33. *Nominatim,* idest expresso operis titulo, et non tantum auctoris nomine; quid enim si is plures pravos ediderit libros?

Porro *Literae Apostolicae* nuncupantur quae immediate prodeunt sub Romani Pontificis nomine, sive in forma Bullae, vel Encyclicae, vel quavis alia. Si qui autem damnati fuerant per Literas Apost. ante C. *Ap. Sedis,* 1° sine ulla censura, vel sub poena, 2° suspensionis, vel, 3° excommunicationis non reservatae; qui eos legit, nullam censuram incurrit; etenim Const. nostra: 1° censuras contraxit, non produxit; et 2° cum huiusmodi seu suspensiones omisit, seu, 3° excommunicationes inter reservatas non recensuit, tacite eas sustulit.

(27) Suarez, *De Fide,* XX, 2, 17; S. Alph., VII, 47, 296.

(28) Sanch., *Dec.,* II, 10, 38; Duard.; Lugo, *De Fide,* XXI, 103; Croix, VII, 345; V. Prol., § 312, n. 72.

(29) Prol., § 318, n. 78. Ad haec, V. *ibid.,* § 132, n. 45.

TRACTATUS II.

DE OBLIGATIONIBUS QUAE SUNT SINGULORUM PROPRIAE

HAE PROVENIUNT EX STATU ECCLESIASTICO, VEL EX VOTO. INDE

TITULUS I.

De obligationibus clericorum

CAPUT I.

DE OFFICIIS OMNIUM CLERICORUM PROPRIIS.

ART. I. *De Externo clericorum Cultu, et de Divino Officio a clericis recitando.*

145. Omnium clericorum praecipua obligatio haec est: perfectior vita, sive interior, sive exterior; nobis de exteriori tantum. Quae autem circa eam Sacri Canones cavent, et nos dicturi sumus, pertinent ad clericos quorum vitae status perpetuus utcumque est; ideoque ad eos tantum qui vel aliquod ecclesiasticum beneficium possident, vel constituti sunt in sacris (1): ceteri, cum quodammodo sui iuris sint, vix aut ne vix quidem, remoto scandalo, delinquunt in his graviter (2). Itaque exterior clericorum vita duobus maxime laicorum vitae praestare debet; cultu, et studiis. Cultus hic, ut habitum clericalem, et tonsuram, et coronam deferant (3).

146. *Habitum:* ex hoc capite iura *vetant* deferre vestes laicales extra propriam domum (4), nisi ex *rationabili causa* (5); et (remoto

(1) Reiff., III, I, 69; Schmalz., III, I, 38; S. Alph., III, 831, 895; VI, 825. Ex Trident., XIV, *R.*, 6. *Hos* autem tenent, propter ordinis reverentiam, strictius *illis* (S. Alphon., VII, 385).

(2) C. 3, Cau. 21, 4; Trid., *l. c.*

(3) Clem., I, *De Vit. et honest. Cleric.;* Trid., *l. c.;* Xyst V, C. *Cum Sacrosanctum.*

(4) Cit. Clem., I; Reiff., I, 116; S. Alph., 825.

(5) Clem., 2, *Eod.* - V. c., si *iustus* timor excuset (C. 15, *Eod. tit.*).

quoque ordinis contemptu, aut scandalo) grave est (6), nisi fiat ad breve tempus (7). *Iubent* deferre, 1° vestes talares (8), ceterasque, iudicio Episcopi, Ordini congruentes (9). 2° *Tonsuram;* exinde autem vetitum est clericis laxare comam (10), et hoc quoque est grave, nisi coma sit moderata (11), aut aliud ferat mos regionis. 3° *Coronam;* scilicet ampliorem, vel angustiorem pro Ordine ac dignitate (12): sed utrum letale sit ea carere diu, difficile est definire (13). At profecto eam non deferre, vel habitum talarem, vel tonsuram, post monitionem Ordinarii, letali non vacat (14); nisi parvitas materiae excuset.

147. Deinde clerici necesse habent recitare *horas canonicas.* Oritur haec obligatio vel ex beneficio ecclesiastico (§§ 64, 73), vel ex ordine sacro, vel ex professione religiosa, de qua postea. Incipit illic a *die* initae possessionis beneficii; istic et hic ab *hora* suscepti Ordinis, vel editae professionis: nempe in priori casu ex matutino, quia dies *coeptus, quod ad* fructus, pro pleno est (Prol., § 39, n. 12), in ceteris ex ea officii - parte, quae horae eius diei (non chori) respondet (15). Ceterum etsi officium constet pluribus horis, cum ex omnibus unum diei pensum coalescat, qui omnes omittit unum dumtaxat peccatum admittit (16): et licet eo teneatur tum ex Ordine (vel professione religiosa), tum ex beneficio, verius, non ideo

(6) Ex Trid., XIV, *Ref.,* 6; Sanch., Laym., Salm., Vasq., Pal., etc. Nec audiendi sunt qui contra putant (S. Alphons., VI, 825; V. cit. Clem., 2).

(7) S. Alph., *l. c.* Idest ad quinque, sexve dies (Croix, I, 672).

(8) Xyst. V, *l. c.* Quae nimirum defluant ad talos usque, vel saltem ad genu; quod epicheia, et consuetudine in oppidis et pagis receptum est (De Luca, *Ad Trid.,* Disc. 24); et in ipsis quoque civitatibus, extra Missae celebrationem permittitur (Ben. XIV, Not. 71, 9).

(9) Trid., XIV, *Ref.,* 6; XXIV, *R.,* 12, in fi.; et XXII, *R.,* 1; ideo variant pro locis (De Luca, *l.c.,* n. 24).

(10) CC. 4, 5, *De Vit. et honest. Cler.;* V. I *Corinth.,* XI, 14.

(11) Ex cit. D. 4; S. Alph., VI, 826. Nec possunt uti coma adscititia iniussu Episcopi (S. C. C., 9 decembris 1690; Ben. XIV, *De Syn.,* XI, IV, 4); nisi aliud obtineat.

(12) C. 15, *De Vit. et honest. Cleric.*

(13) V. Croix, IV, 1372. Sententia affirmantium est forte communior; at Nostri heic facile coronam cum tonsura permiscent.

(14) S. Alph., VI, 826; V. Clem., 2, et Trid., *ll. cc.;* CC. 4, 5, 15, *De Vit. et honest. Cleric.*

(15) Suar., *De Relig.,* To. II. Lib. 4, Cap. 27, 8; Laym., *De Hor. Canon.,* VI, 4. - *Non chori;* ideo ordinatus, v. c., meridie, incipere debet a *sexta;* nec a Vesperis incipere potest (S. Alph., IV, 140). Nihilominus si quis qua hora subdiaconatum init, vel professionem edit, totum eius diei officium iam recitaverit, probabile est satisfecisse, quippe officium *pensum diei* est (S. Alphon., *l. c.*).

(16) Ex C. 1, *De Celebr. Miss.;* S. Alph., IV, 147, 148.

bis peccat, quia utrobique sola religio subest (17). At grave, nisi modicum (quoad totum) omiserit: modicum autem intelligitur, quod minus est hora parva, utputa *Nona* (18). Videamus nunc quale officium recitandum sit, et quomodo sit recitandum, ut praecepto satisfieri possit.

148. Principio igitur quoad *partem*, sit venia verbo, *materialem* ut quis satisfaciat, officium recitandum est ex eo breviario quo quisque legitime utitur, servata illius forma (19); et, quoad *Sanctos*, ex calendario propriae dioecesis, idest eius in qua domicilium fovet, vel eius in qua residentiale beneficium possidet (20). Nihilominus, quia decet missam, et officium convenire, peregrino permittitur officium recitare eius loci in quo versatur (21). Qui *consulto* aliud pro alio recitat, siquidem et ritu plane diversum, et notabiliter brevius, non satisfacit; velut in die Palmarum officium Paschatis (22). Si ritu dumtaxat plane diversum, probabile est eum satisfacere (23); sin notabiliter brevius, non satisfacere verius est (24), si fere aequale, satisfacit, quamvis levi non careat; et nedum si hoc fecerit ter solum, vel quater in anno; sed, etsi saepius, quae multorum,

(17) S. Alph., IV, 146; V. § 14, n. 11.

(18) Suar., 25, 15. Proinde qui omittit primas vesperas Paschatis, levi; qui unum nocturnum integrum, gravi tenetur (S. Alph., 147). Sed si quis legerit aliquid modicum horae parvae, puta hymnum, capitulum, responsoria, et orationem, omissis ceteris, quia *minimum pro nihilo reputatur*, perinde erit, ac si totum omiserit (Croix, IV, 1202). Praeterea in *Commemoratione omnium fidelium defunctorum* horum quoque officium *sub gravi* recitandum est (S. Alph. IV, 161, q. II). Utrum et litaniae cum suis precibus et orationibus, diebus S. Marci, et Rogation., non satis convenit: negantium sententiam S. Alph., (*l. c.*, q. 1) non ausit improbabilem dicere: utcumque, hae pridie recitari non possunt, quippe solemnis eius diei supplicationis quasi partem constituunt.

(19) S. Pius V, C. *Quod a nobis. Mutata* enim *forma prope interimit rei substantia. Servata*, etc., etsi non ad unguem: Nam qui, v. c., potest recitare psalmos matutini, lectiones non potest, psalmos recitare debet (S. Alph., IV, 158); ergo satisfacit: is tantum non satisfacit, qui eius partes adeo perturbat, ut vix species officii divini supersint (Ex Suar., 11, 7).

(20) C. *De iis*, C. *Placuit*, Dist. 12; Ex Clem., 2, *De Celebr. Miss.*; Suar., 23, 4. Quamvis calendar. erret: *nisi error sit evidens contra rubricas*, vel *decreta* (S. R. C., 27 Aug. 1836, 23 febr. 1839).

(21) Laym., V. 3; S. Alph., IV, 161, v. *Iuxta*. Et capellanus monialium (S. Alph., *l. c.*, ex S. R. C.), conveniens missae conventuali, quam eis celebrare debet (Salm., 16, 1, 31).

(22) Alexan. VII, 34. Vel Pentecosten (S. Alph., IV, 161, q. 3).

(23) Gobat., n. 869. Utputa, si in Natali Domini recites officium de passione (Croix, IV, 1250). Et probabile putat vel ipse Cardenas, qui contra sentit.

(24) S. Alphonsus, 161, q. III, v. *An sit*.

et *satis probabilis* sententia est (25). Immo caret et levi si id fecerit ex iusta aliqua causa (26), vel inconsulto: dummodo, si recitavit notabiliter brevius, suppleat quod plus erat in proprio (27). Sive autem consulto id fecerit, sive inconsulto, qua die subinde recitatum officium cadit, hoc iterum (non illud quod omisit) recitandum erit (28), ne bis erret.

149. Venio ad partem *formalem*. Porro officii recitatio, quia est *actus humanus*, sine intentione non fit: ideo necesse est, ut quis illud recitet *sciens volens* (Par. II., § 20). Tum, quia est *oratio*, attentione quoque opus habet; externa inquam, nam, praeter ea quae alias dixi (cit. § 20), *non constat adesse praeceptum de attentione interna* (29); atque ideo si illud recitaverit distractus animo sciens volens, nec repetit, nec (beneficiatus) fructus restituit (30). Demum quia est *oratio vocalis*, verba rite ac recte proferri debent (Par. II., § 21).

150. Ad haec, recitandum est, 1° suo tempore; 2° suo ordine; 3° continuo. - 1° *Suo tempore*. Principio, officium est onus *diei*, eique adfixum: eiusque recitandi obligatio a media nocte incipit, et sequentis noctis media parte finitur: quidquid igitur extra has 24 horas recitatum fuerit, pro non dicto erit (31). Nihilominus *ex privilegio* (sic Nostri aiunt) consuetudine introducto, fas est recitare matutinum et laudes a vesperis diei praecedentis; idest, communius, ab ea hora, quae est media inter meridiem et solis occasum (32). *Et horae parvae* ab aurora ad meridiem; *vesperae et*

(25) S. Alph., *l. c.*, in fi.

(26) S. Alph., IV, 161, q. 3. V. c., ex devotione, vel ut recitet cum socio. Et si, recitata modica officii parte, animadvertat se errasse, in potestate sua erit utrum maluerit, seu coeptum, seu proprium Officium, prosequi (Salm., 16, 3, 27).

(27) S. Alph., IV, 161, q. 3; ibique Bonac., Tournely, etc.

(28) S. R. C., 17 iun. 1671; Scavini, II, 72; Gury, II, 75.

(29) S. Alph., IV, 177, v. *His tamen*.

(30) Croix, IV, 1213; Laym., V. 10, ibique Tolet., Salm., etc. Nihilominus si fructus perceperit *mala fide*, idest ratus percipere se illos non posse, S. Alph. (III, 669) contra putat; *quia non potest*, ait, *inchoari possessio cuiuscumque rei, nisi cum certitudine iuris* (IV, 158, in fi.). Sed haec regula non est perpetua (V. Par. II., § 121, n. 32): nec si perpetua esset, heic ei locus foret: scilicet *titulus* quo fructus percipiuntur, est ipsum beneficium: utique is qui *omittit* officium fructus non facit suos, sed docet omisisse eum, qui illud *sic* recitavit.

(31) Ex C. 9, *De Celebr. Miss.*; S. Alph., III, 667; IV, 172.

(32) S. Alph., IV, 175. Recitari posse secunda hora post meridiem sententia est, quam multi tuentur, multi non reprobant, multi probabilem (Cf. cl. Baller., ad Gury, II. 65) putant: nec immerito, quia nullo certo iure sive scripto, sive non scripto, explodi potest. Non sunt igitur inquietandi qui bona fide ab ea hora recitaverint matutinum.

completorium post meridiem recitari debent: nempe sub levi, et ne sub levi quidem, si aut modica temporis immutatio fiat, aut ex causa aliqua *utili*, vel *honesta*, (33). 2° *Suo ordine;* hoc duo continet, ne horae intervertantur, neve horae partes: sed utrumque est leve, et si aliquid omissum fuerit, satisfit illud supplendo (34). 3° *Continuo;* nempe eamdem horam, nihilominus, quia singulis psalmis, immo singulis psalmi versiculis inest propria et ab aliis discreta significatio, quaevis interruptio caret letali (35): quin et levi, si vel non longior fuerit; vel ex causa honesta quamvis non gravi (36).

151. Ad haec, qui officium recitat in choro, vel cum socio, debet integra recitare ea quae secreto dicuntur; alternis (non ternis) vicibus hymnos, psalmos, versiculos: at sufficit audire (dum alius ea legit) antiphonas, responsoria brevia, et lectiones. Porro quoad ea quae socius recitat, legit, ut tu satisfacere possis, necesse est, ut et is omnia proferat rite ac recte, tuque haec aure accipias (V. Par. II., § 21). Nihilominus, quia omnes recitantes unum veluti corpus constituunt, et quia ea quae invicem recitant legunt, communicantur (37), si per te non stet, quominus aure percipias ea quae altera pars chori, vel socius recitat, probabile est (dummodo attendas quantum potes), te satisfacere; surdastrum quoque, et in confuso audientem (38). Ceterum si quis omittat aliquod verbum dum,

(33) S. Alph., IV, 173. Ut puta maior devotio, quies, studium, etc. Et in choro quoque locum habet (S. Alph., 171).

(34) Croix, IV, 1311; Bonac., *De hor. Can.*, Disp. 1, P. IV, n. 7; V. c. *lectiones*, si quis vel eas non habeat, vel nequeat legere, forte iter agens (Bonac., n. 9; Croix, *l. c.*). Quamobrem si inter recitandum adverteris aliquid omisisse, prosequi licet, et postea omissum supplere (Bonac., n. 9; Croix *l. c.*).

(35) Croix, IV, 1306; Salm., 16, 3, 3. Utputa, si hodie matutinum absolveris coeptum pridie (S. Alph., IV, 168). Matutinum posse a Laudibus separari, vel sine causa, recepta sententia est (S. Alph., 167).

(36) Suar., 15, 4; S. Alph., *l. c.* Et licet eam interruperis animo repetendi (Vasq., Suar., Bonac., n. 13; Less., II, 37, 49, contra Azor.); et iure prorsus. Quo autem loco recitet quis, non inquiritur, modo locus attentionem non impediat (S. Alphon., IV, 179): ideoque in via recitari potest, et in stabulo, ceteris paribus. Nec quo *situ*: et rubricae quae stare, genuflectere etc., iubent, ad chorum pertinent (S. R. C., 12 nov. 1831). Sed et *totum* recitandum est. Quid si non meministi, utrum aliquid recitaveris, et probabile sit recitatum fuisse? communissima sententia est, nihil esse repetendum. V. S. Alph., IV, 150; sed ipse postea ab hac sententia discessit (V. Prol., § 169).

(37) Ex C. 1, *De Celebr. Miss.;* Salm., 16, 1, 24.

(38) S. Alph., IV, 163, q. 2. – V. c., quia strepitus fit (S. Alph., *l. c.*, pr.), vel quia socius submissa voce recitat (Salm., cit. n. 24), vel propter ineptitudinem legentis (S. An-

v. c., pulsat organa, thus adolet, psalmos vel orationes perquirit, non tenetur supplere, quia chorus supplet (39).

152. A recitatione divini officii excusant, 1° impotentia, 2° incommodum grave, et, 3° quaevis alia necessaria occupatio. Ex 1° excusantur caeci (40), et qui breviario carent omnino (41); aut, verius, proprio, quia, nisi ea forma servata (§ 148 n. 19), satisfieri non potest (42). Ex 2° qui morbo, levi quoque, laborant, si horas canonicas recitare nequeant sine incommodo gravi, vel probabili eius periculo (43): quod, in dubio, medici, vel confessoris, aut viri prudentis, immo et ipsius aegroti, ut alias (§ 136, n. 24) iudicium erit (44). Nec oberit si forte eo die sacrum faciat, cum aliis sermones conserat, legat: quippe his levatur morbus, illa ingravescit (45). Demum, ex 3° hi quibus alia graviora officia obire necesse est quae non possunt omitti sine gravi tuo, vel alterius damno, vel sine scandalo (46). At vero qui non potest totum officium recitare, de-

tonin., P. II, Tit. 9, Cap. 12). *Surdastrum*, an et surdum? Et si recites cum socio, quia non cogeris eo uti, DD, communiter negant (Salm., *l. c.*): sin in choro, adhuc negant Pal., Sanch., Elbel,, S. Alph., (*l. c.*, q. 3). Affirmant Suar., Sa, Bonac., Salm., etc.; nec immerito, nam oportet chori obligationes et iura aequa lance metiri.

(39) C. 1, *De Celebr. Miss.*

(40) Suar., 23, 3; Laym., VI, I; Sanchez, etc. Et oculis caligantes (Salm., 16, 3, 39). Nec tenentur mandare memoriae quod nesciunt (S. Alphons., IV, 138).

(41) Salm., 16, 3, 40. Verum hi et caeci, vel caligantes, socio uti debent, si absque ulla impensa et commode eo uti possint (Suar., 28, 14; Salm., n. 44; S. Alph., IV, 158; V. Prol., § 171). Sed an teneatur eo uti, cum aliqua impensa opus est, is qui potest eam detrahere ex fructibus sui beneficii, non satis convenit (S. Alph., *l. c.*).

(42) V. S, Alph., IV, 158. At vero nemo dubitat, ei qui non potest legere officium *proprium de Sancto*, vel suis horis (ut ecce si vesperi quartana sit reditura – Suar., 28, 28), legendum esse *de communi* (S. Alphon., *l. c.*) vel *antea* recitandum (Prol., § 167, n, 34), excepto matutino die praecedenti (S. Alph., IV, 155), quod ex privilegio (§ 455, n. 32) recitari intelligitur (Prol., § 228, n. 18).

(43) Ex C. 3., Dist. 91; Croix, VI, 1224; S. Alph., IV, 154; prout alias (§ 136, n. 24). At non excusat levis dolor capitis, levis febricula, et generaliter *infirmitas, quae non impedit actiones ordinarias, quae fiunt auxilio capitis aut linguae* (Salm., 16, 4, 35).

(44) S. Alph., IV, 154, n. 3. Et si hoc prudenter diiudicari non possit, siquidem dubitas, utrum recitatio sit nocitura, adhuc excusaris; sin utrum invaletudo sit gravis, non item; illic enim possidet morbus, hic lex (S. Alph,, *l. c*, v. *Sed quid*).

(45) S. Alph., IV. 154, v. *Plura*. Ideoque et is excusatur qui convalescit, donec vires reficiantur (S. Alphon., *l. c.*).

(46) Suar., 28, 23; Salm., 16, 4, 37. Ut ecce, si oporteat confessiones audire, praesto esse infirmis, sedare iurgia, incumbere studio, non quidem ordinario (Alex. VII, 21), sed ex causa extraordinaria, et gravi: puta periculi faciendi, vel publice legendi causa (Suar., n. 35; Salm., 37; S. Alph., 156).

bet eas horas recitare quas potest (V. Prol., § 168), exceptis infirmis, si dubitent an possint, ne anxietates morbum aggravent (47). Et si nec horam integram recitare possit, verius est horae quoque partem recitandam esse, si ea sit tandumdem ac hora parva; nam adhuc *formae*, vestigium superest (48).

153. Denique obligatio recitandi officium evanescit, si oriebatur ex *beneficio*, hoc abdicato, vel amisso. Sin ex statu, eo extincto, idest si ex dispensatione R. P. ordinatus in sacris ad statum saecularem, vel Regularis ad saeculum ex indulto S. Sedis (49) aut verius, eiectus (50), redierit. *Extincto* inquam, ideoque hoc non obtinet in excommunicatis, etsi vitandis, in Regularibus profugis, vel apostatis; in vinctis, exceptis damnatis ad triremes; quod eorum miseratione (51), et ne recitatio cedat in dedecus status ecclesiastici, introductum est. Evanescit insuper dispensatione R. P., non item Ordinarii; nihilominus is quoque permittitur dispensare ex iusta causa, et ad breve tempus (52).

Art. II *De Negociis saecularibus, aliisque a clericis non obeundis.*

154. *Nemo militans Deo implicat se negociis saecularibus.* (1). Ab his igitur clerici remoti sunt: scilicet ipso naturali iure, si haec aut statum clericalem dedecent, aut nostro ministerio nos avocant, aut admirationem aliis, vel scandalum praestant; alias iure canonico. Heic de his non quae naturali (quippe hoc expeditum est), sed quae iure canonico prohibentur: haec sunt *negotiationes*, *munera publica*, *venationes*, *aleae.*

155. Et primo negatiationes. Negotiari est: *aliquid emere*, *ut immutatum carius vendas* (2). Ut igitur negotiatio sit, necesse est, ut id quod vendis, 1° emeris, 2° revenditurus, 3° carius (3),

(47) S. Alph., IV, 154, n. 4.

(48) Croix, IV, 1220; S. Alph.. *l. c.*

(49) Sanch.; Croix, IV, 1189.

(50) Sanch., *M.*, VIII, 8, 11; Less., II, 37, 50; Salm., 15, 5, 95; Sot., Suar., Pal., Pelliz. Quia in his essentia status Religiosi extincta est (S. Alph., IV, 142, d. 1).

(51) S. Alph., *l. c.*, dd. 2, 3.

(52) S. Alph. 159; Prol., § 231, n. 12.

(1) II *Timoth.*, II, 4.

(2) Moli., Tr. II, Disp. 339; Laym., Lib. III, Tr. IV, Cap. XVII, 38; Less., II, 21, 4; S. Alph., III, 836; *H. A.*, X, 192; Fagnan., in C. 1, n. 3, *Ne Cleric. vel Monach.* Ceterum emptionis, et venditionis vocabulis etiam permutationes continentur (Less., cit. n. 4; Lugo, *De Iust.*, XXVI, 21).

(3) Ex C. 6, *Ne Cleric. vel Monach.*; Reiff., III, I, 135.; S. Alph., *l. c.* Scilicet *negotiatio ordinatur ad lucrum* (Lugo, n. 31).

et, 4° immutatum (4). Itaque cessat (ex 1°) si vendas quod percipis ex re tua, quamvis empta (vel permutata) maturis iam fructibus (5): vel quod emeras quidem, sed aut (ex 2°) non venditurus, v. c., quod tuis usibus necessarium, vel etiam superfluum (tibi prospiciens) comparaveras (6); aut (ex 3°) venditurus, sed non carius, utputa amicis, pauperibus (7). Immo (ex 4°) etsi eam emeris ut carius quidem, sed mutatam dein venderes (8): nisi forte immutatam operis vel industria aliena, vel conductis operariis, quippe hoc a negotiatione parum distat (9).

156. Itaque clericis grave est negociari (10), etiam per alios, vel cum socio, tametsi socius solus negocietur, clericus vero negotiationi aut parum incumbat, aut nullomodo (11). Et si clerico negocium aliquod ex successione obvenerit, quod sine detrimento dimitti non potest, licentia ei opus est, ut interim illud citra peccatum obire possit (12). Nihilominus excusat a letali materiae parvitas,

(4) D. Th., 2, 2, 77 ad 1; Molin., Laym., Fagnan., *ll. cc.;* Gonz., in C. 6, n. 4, *Ne Cler. vel Mon.*; Ferr., v. *Clericus*, III, 49; S. Alph., III, 835, v. *An vero.*

(5) Molin., D. 342; Lugo, n. 31; S. Alph., *l. c.* Heinc licet rem emere, ut ex ea fructus vendas; utputa ex vinea uvas, ex grege foetus (S. Alphon., *H. A.*, X. 93): domum ut eam loces, navim, rhedam (Salm., 14, 2, 42), etc.; sed hoc multum pendet ex opinione vulgi, si haec agas saepius (Lugo, n. 34; Salm., *l. c.*); praedia, ut fodinas in ea existentes exerceas, instituas, etiam ope aliorum (Molin., *l. c.;* Lugo cit. n. 31), nam vendis quod ex re tua provenit. Eoque magis licet id vendere; e. g., vinum ut aliud (v. c., mustum) vilius emas (D. Th., 2, 2, 77, 4 ad 2): etenim negociari non est vendere ut vilius emas, sed emere ut carius vendas (S. Alph., III, 836).

(6) Lugo. *De Iust*, XXVI, 31, 32.

(7) Ex C. 6, *Ne Cler. vel Mon.;* Lugo, nn. 27, 31, 32; Salm., S. Alph.

(8) D. Th., 2, 2, 77, 4 ad 1. Haec ea est negotiatio quae vulgo impropria dici solet, et nullo canonico iure vetatur.

(9) Molin., cit. D. 342, § *Secundum;* Lugo, *De Iust.*, XXVI, 34; Salm., 14, 2, 42; S. Alph., III, 836. Aliud igitur iuris est in his quae vel 1° *naturaliter,* vel, 2° *tuis* operis aut industria mutata sunt. Quamobrem licet, ex 1° mustum emere, ut vinum factum; oves, sues etc., ut postea saginatos vendas (Less., II, 21, 6; Lugo, n. 29): Saginatos, inquam, sive ex tuis pascuis, sive ex fructibus emptis in foro (S. Alph., III, 835, v. *An vero*); vel ex agris alienis; nullo enim iure sic emere, sed agros conducere (V. n. 19) vetitum est. Ex 2° licet vendere, ex panno vel ligno emptis, confectum *a te* vestimentum, *aut* vas (Ben. XIV, *De Syn.*, X, 6, 2).

(10) Cit. C. 6; Trid., XXII, *R.*, 1.

(11) Ben. XIV, C. *Apostolicae servitutis*, § 1. Et ita vetus quaestio, an licitum esset negociari per alios, finita est (V. Ben. XIV, *De Syn.* 10, 6, 4).

(12) Ben. XIV, Cit, C. § 2. Haec licentia intra Italiam insulasque adiacentes, a S. C. C. danda est; extra ab Ordinario dari potest. Verum, ex receptis moribus, si clericus in negotiis huiusmodi patri successerit una cum fratribus, ea per alios exercere permittitur (Alasias et Scavin., I, § 426).

idest si vel negotietur semel et iterum tantum; sive modicum aliquod negotietur, quod fere omnes; sive multum, quod plures admittunt (13) Immo caret et levi qui negotiatur ad comparanda necessaria sibi, suisque (14): et siquidem necessaria *vitae*, nulla ei licentia opus est; sin necessaria *statui*, opus est licentia Sanctae Sedis, vel Ordinarii (15).

157. Negotiationi proxima sunt, 1° CAMBIA, nempe *obliqua* (Par. II., § 473) minuta, et localia, si exercentur lucri causa; ideo vetitum est eis dare operam (*active* ea exercere) etiam per interpositas personas (16). 2° Societatibus commercialibus nomen dare; atque ideo grave est pecuniam in eas conferre, quamvis alieno et nomine et opere exerceantur (17): et *titulos*, quos vocant, ab eis comparare (18). 3° *Res* laicorum conducere lucri faciendi gratia (19).

158. Post haec vetatur clericis obire officia saecularia (20): et in primis publica; non omnia quidem, sed ea quibus quis publico servitio velut mancipatur (21), aut obligatur ad ratiocinia red-

(13) Croix, III, II, 1004; Salm., 14, 2, 38; V. S. Alph., III, 831.

(14) Ex C. 1, *Ne Cler. vel Mon.;* D. Th., 2, 2, 77, 4 ad 3; S. Alph., III, 837.

(15) Clem. XIII, C. *Cum primum.*

(16) Clem. XIII, *l. c., Quo in genere.*

(17) Ex Cit. C. Ben. XIV. Ut ecce apud eas quas vocant: *in accomandita* (S. C. Epp., 30 ian. 1846; Scavini, I, § 576, 13)..

(18) Ex cit. S. C. C. Nihilominus consulta S. U. I., utrum licitum esset Clericis titulos emere super vias ferreas, respondit: *Sanctissimus concedit facultates Episcopis communicandas per* S. C. Epp. *permittendi Ecclesiasticis ut* (eos) *accipiant de propria pecunia tantum* (Scavini, n. 12). Et S. U. I., die 17 nov. 1875, respondisse fertur – *non esse inquietandos dummodo parati sint stare mandatis Ecclesiae, et nullum habeant illicitum lucrum, et ipsi* (*ecclesiastici*) *nullam administrationis partem suscipiant.* – Dixi *titulos*, vulgo *azioni*, idest ius ad partem lucri; nam si pro pecunia quam conferunt solas usuras sibi stipulentur, haec in *foenus* recidit, prout in cambiis *siccis* (V. Prol., *l. c.*). Porro heic agimus de his, non quae illicita sunt quoquo modo, ut Nostri indiscrete, sed de his quae muneris nostri dignitatem, gravitatem, sanctitatem, cum primis dedecent (V. § 154).

(19) C. *Pervenit*, 123, Cau. 21; C. 1, *Ne Cler. vel Mon.* Ideoque ex his pascuis oves, sues, etc., saginare non licet (Lugo, *De Iustit.*, XXVI, 29); nisi alicubi contraria consuetudo vigeat (S. Alph., III, 835, v. *An vero*). Dixi *conducere;* nam qui conductori succedit retinere poterit (Fagnan., in C. 1, n. 81, *Ne Cler. vel Mon.*).

(20) C. 15, *De Vit. et honest. Cleric.;* Tot. Tit. *Ne Cler. vel Mon.;* V. L. 13, *De Vacat. mun.;* L. 37, § *De Sacerdotio, De Recept. Arbitr.*

(21) Ut ecce praefecti urbis, syndici universitatis, magistratus, tabellionis (CC. 1, 45, 8, *Ne Cler. vel Mon.;* C. 15, *De Vit. et hon. Cleric.*). *Non omnia*, quia existimo posse populi oratores (deputati), consultores municipiorum agere quod et moribus receptum videtur.

denda (22). Sed his quoque prohibentur quae ad publica munera accedunt, ut ecce advocatos in foro laicali, vel procuratores agere (23), medicinam, eoque magis chirurgiam facere (24). Demum vetantur temporalia laicorum, Principum quoque, negocia procurare (25).

159. Venationes quoque clericis interdictae sunt; frequentes inquam, et clamorosae; quae nempe fiunt magno apparatu hominum, canum, accipitrum, retium, armorum (26). Dixi frequentes, nam si raro fiant, carent letali (77). Quietas autem exercere fas est, nisi Ordinarius vetuerit (28); sed ut armis exerceri possint, huius licentia opus est (29).

160. Demum clericis vetitum est aleis ludere (30). Sed utrum ludi aleatorii vetiti eis sint propter scandalum (31), an per se, quia nempe clericos dedecent (32)? *Haec* sententia est communis, a qua recedendum non est (33). Itaque letali non carent qui *aleis inserviunt* (34), idest qui eis ludunt frequenter et diu (35), etiam forte

(22) C. Unic., *De Oblig. Ad ratioc. redd.;* S. Alph., VI, 838. Utputa quaestoris.

(23) C. 1, *Ne Cler. vel Mon.* Praeterquam pro seipsis, vel pro coniunctis, vel pro Ecclesia, aut miserabilibus personis (CC. 1, 13, *De Postulat.*). Et si ex professo hoc munus exerceant, gravi non vacant (S. Alphon., IV, 219). Plus; si cui id a S. S. permissum fuerit, eo nihilominus interdici poterit ab Ordinario, si aut scandalo sit, aut habeat unde alias vivere possit (Ben. XIV, *De Syn.*, XIII, 10, 12).

(24) C. 9, *Ne Cler. vel Mon.;* V. Ben. XIV, *l. c.*, n. 5.

(25) CC. 2, 4, *Ne Cler. vel Mon.* Quod est *proprii gradus dignitatem proculcare* (Clem. XIII, C. *Cum primum*, § *Et parum*). Nihilominus S. Alph. (III, 838) non audet eos damnare letalis, si exinde proprium ministerium non negligant. Et si id praestent caritatis causa, plane innoxii sunt (D. Th., 2, 2, 187, 2): utputa *propter curam pupillorum, aut viduarum* (C. 1, Dist. 88). Verum omnia haec ita, nisi alias obstet ius nuturale.

(26) CC. 1, 2, *Ne Cler. vel Mon.;* Salm., 12, 2, 64; Reiff., III, 50, 25.

(27) Lugo, *De Iust.*, VII, 51; S. Alph., III, 606.

(28) Ben. XIV, *De Syn.*. XI, 10, 9.

(29) Ex C. 2, *De Vit. et honest. Cler.;* Gonz., in C. 1, *De Cler. Ven.;* V. Ferrar., v. *Clericus*, VI, 10.

(30) C. 10, *De Vit. et hon. Cler.;* Aleis, idest his ludis, qui *omnino a casu pendent* (S. Alph., III, 900).

(31) Navarr.; Armill.; Dicast.; Ronc.; Less., II, 26, 6; Salm., 14, 4, 60; Engel, *Ad Decret.* III, 1. 12; Pirhin., III, 2, 25. Et favet Trid., XXII, *R.*, 1. Sane, si vetitum sit propter scandalum, recidimus in ius naturale, de quo heic non agitur (§ 459).

(32) Sanch., *Cons.*, Lib. I, VIII, 28; Moli., D. 512; Spor., etc.

(33) S. Alph., III, 896. Qui superiorem sententiam probabilem putat, si ludus non omnino a casu pendeat (n. 900).

(24) Can. *Episcopus*, Dist. 35.

(35) Gl. in cit. Can.; Reiff., III, I, 58, ibiq., Less., et Laym.; S. Alphons., III, 897, q. 2; *H. A.*, X, 219. *Quantum* autem ludant, idest, multumne an parum, verius ad rem non pertinet, nisi aut scandalum praebeant (S. Alph., III, 898, d. 3), aut de Beneficii reditibus ludant (Pirhin., 24).

secluso scandalo (36), quippe vitium est; et qui eis intersunt (37). At vero quando quis frequenter, aut diu ludere dicendum sit, a Nostris definitum non est (38). Quamobrem in praxi salebrosum erit decernere, quando quis mortaliter peccet, si scandalum absit; et sic in priorem sententiam pene recidimus inviti.

161. Ad haec, permulta quae laicis licent, vetantur clericis: ut ecce arma deferre (39), choreas ducere (40), comoediis lubricis interesse (41), cauponas edendi bibendique causa subire; praeterquam dum peregre agunt (42). Sed in primis vetantur mulieres domi retinere servitii causa (43); nisi et ipsi illis indigeant (44), et illae sint omnis suspicionis expertes (45). Eiusmodi vero esse *praesumuntur* sanguine propinquae (46): non item extraneae, nisi et probatae virtutis sint, et, regulariter, provectae aetatis (47): quae omnia in aestimatione Ordinarii esse debent (48). Utque uno verbo dixerim, nobis non licent quae non expediunt, non licent quae non aedificant (49).

(36) S. Alph., III, 897.

(37) C. 15, *De Vit. et hon. Cler.*; Ex Trid., XXII, *R.*, 1. Nempe *si causa sunt ludi mortalis, vel ludentes corrigere negligunt* (S. Alphon., III, 903).

(38) V. S. Alph., III, 897, d. 2. Qui explodit sententiam Bordoni existimantis, frequenter eum ludere, qui semel per hebdomadam ludit.

(39) Cit. C. 2. Nisi forte tuendi sui causa (Ex C. 6, *De S. E.* in 6°).

(40) Trid., XXII, *R.*, 1.

(41) Ben. XIV, *De Syn.*, X, 10, 12.

(42) C. 15, *De Vit. et hon. Cler.*

(43) C. 9, *De Cohabit. Cler.*

(44) C. 27, D. 81; Ben. XIV, Not. 83, 13.

(45) Trid., XXII, *R.*, 4.

(46) Cit. C. 27; C. 9, *De Cohab. Cler.* Idest consanguineae in 1° et 2° gradu; et affines in 1° non item in 2° nisi *alter alteri reverentiam debeat;* ut ecce patrui, aut viduae nepotis (Pirhin., III, II, 2, 3). Nec obest C. 1, *De Cohab. Cler.* (V. Bouix, *De Parocho*, P. V, Cap. 13, § 2).

(47) Ex C. 15, *De Praesumpt.*; Pirhin., n. 3. *Provectas* autem accipimus saltem quadragenarias (Bened. XIV, Not. 83, 15), *Regulariter:* nam licet regulariter et cum iunioribus cohabitare uxoribus famulorum suorum (Reiff., III, 2, 8); vel ancillis, aut pedissequis eorum qui de familia sunt (Pirhin., n. III, 2, 4; Bened. XIV, Not. 83, 11).

(48) Cf. Ben. XIV, *l. c.*, n 17. Quin S. Carol. Borrom., in Synodo sua Dioeces. XI, vetuit parochis mulieres retinere domi, nisi de sua, eaque in scriptis, licentia. Itaque si cohabitatio huiusmodi aliquam suspicionem, ac proinde scandalum praebeat, Episcopi erit mulieres extrudere, vel coniunctissimas (V. Pirhin., n. 3), quamvis nihil revera mali subsit (S. Hieron., *Epist.*, Lib. II, Ep.9) quia non solum a malo abstinere oportet, sed et *ab omni specie mali.* Sane Apostoli mulieres secum circumducebant sibi ministrantes (qui mos hebraeorum erat, quem vel ipse Christus sequutus fuerat): verum cum ea res Gentilibus ad fidem conversis admirationi esset, Paulus et Barnabas illas dimiserunt, *ne quod offendiculum darent evangelio Christi* (I *Corinth.*, IX, 12; V. S. Hieron., in C. XXVII *Matth.*).

(49) V. I *Corinth.*, VI, 12. Pensanda sunt ea gravissima Sacr. Conc.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS EORUM QUI IN SACRIS ORDINIBUS CONSTITUTI SUNT.

162. Agimus heic de obligationibus presbyterorum; nam diaconis nulla specialis inest obligatio (V. Prol., § 89, n. 9), de hypodiaconis expedita res est: hi enim tenentur, regulariter, persolvere divinum officium et castitatem servare. *Regulariter;* nam qui prorsus inviti, vel impuberes ordinati fuerint, neutro tenentur; nisi impuberes, postquam 16 aet. ann. excesserint, collatum sibi ordinem expresse, vel tacite ratum habuerint (1). Officia presbyterorum ex suscepto officio sacerdotali statum capiunt. Omnia continentur *in his quae sunt ad Deum* (2), et vel ex ipsamet ordinatione, vel ex suscepto aliquo munere profluunt. De illis primum.

163. Principio igitur ordinatione constituimur ministri, et exinde *legatione pro Christo fungimur* in his quae ad salvandas animas pertinent (3). Proinde tenemur, non ex sola caritate, sed ex officio in salutem animarum incumbere (4). Duo autem cum primis exigit officium huiusmodi; docere pueros fidei rudimenta, et confessiones eorum excipere qui in letali versantur, si desit vel omnibus non sufficiat is qui ex suscepto munere tenetur haec praestare. Et in necessitate communi eos teneri sub gravi, saltem si possint sine incommodo gravi, vix dubitari potest (5); in graviori et prope extrema, tenentur etiam cum incommodo gravi (6). Amplius non licet potestatem, in consecratione ad utilitatem proximorum acceptam, otiosam retinere (7): ideoque omnes tenentur audire fidelium confessiones, et sacrum facere; licet nulla necessitas urgeat. Verum ex hoc capite abstinere ab audiendis confessionibus leve esse, cer-

Tridentini verba: *Sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nihil nisi grave, moderatum, ac religione plenum praeseferant* (Trident., XXII, *Ref.*, 1). Scilicet: *Liber laicorum, vita clericorum* (Synod. Turritana).

(1) Ben. XIV, C. *Eo quamvis*, §§ 22, 23, 28. At qui *inviti*, in foro externo tenentur utroque, donec de vi aut metu apud S. O., vel S. C. C., constare fecerint (V. *Acta*, I, 330; II, 443; VI, 85).

(2) Ex *Hebr.*, V, 1.

(3) Ex I *Corinth.*, IV, 1.

(4) S. Alph., VI, 625.

(5) S. Alph., VI, 625.

(6) S. Alph., VI, 624; *H. A.*, XVI, 125. Utrum et cum periculo vitae, non satis liquet (V. Lugo, *De Poenit.*, XXII, 13; S. Alph., II, 27).

(7) II *Ad Corinth.*, VI, 1.

tum (8), a sacro faciendo, quia utriusque eadem est ratio (9), verius est (10). Nihilominus in communi necessitate cogi possunt a proprio Ordinario sacrum facere diebus festis (11), sacramenta ministrare; immo (si Parochi ad id non sufficiant, aliique desint qui eis coadiutores adiungi possint) docere pueros rudimenta fidei (12), praedicare, et curam animarum gerere (13). Ne autem suis obligationibus se eximere possint, non licet eis e propria dioecesi discedere iniussu Ordinarii, et si discesserint, poenis quoque et censuris revocari possunt (14); exceptis his qui discedunt quaerentes alibi quae sibi ad victum sunt necessaria; *nisi eis de congrua substentatione provideatur* (15).

164. Uti autem possint officiis suis satisfacere, necesse habent sacris literis et scientiis vacare: et qui tam crassa ignorantia laborant, ut nec ea docere sciant, quae scire *aliis* ad salutem, *sibi* autem ad sacramenta administranda necessarium est, vix a letali excusantur (16). Sed in primis meminerint sacerdotes, se prae ceteris omnibus hominibus in sortem Domini vocatos fuisse (17), ut sint

(8) Cf. Ben. XIV, Not. 94, 15; S. Alph., VI, 625.

(9) S. Alph., *H. A.*, XVI, 126.

(10) S. Bonav.; Caiet.; Lugo, *De Euchar.* Sed longe plures, 1° ex *Hebr.*, V, 1; 2° ex C. 9, *De Celebr. Missar.;* 3° ex Trid., XXI, *De Sacrif.*, Cap. I, docent, omnes Sacerdotes cogi sub gravi sacrum facere saltem ter vel quater in anno, diebus quidem quibus maluerint, sed ex intervallo, ita nempe ut non abstineant ab Altaris ministerio sex vel octo continuis mensibus (S. Alph., VI, 313). Verum, ex 1° id solum probatur, sacerdotibus factam esse potestatem offerendi sacrificii, non obligationem impositam: 2° huc non pertinet (V. S. Alph., *l. c.*): 3° Trident. loquitur de praecepto universis, non singulis imposito (Lugo, *l, c.*). Non sunt igitur facile damnandi hi, qui propter nimios scrupulos abstinent: nec facile ignoscendum aliis, quia *scandalum grave generat, et est indicium corruptissimae vitae* (Lugo, n. 13).

(11) Ben. XIV, C. *Declarasti Nobis;* S. C. C., 18 martii 1578; *Acta*, XIV, 409.

(12) Ben. XIV, C. *Etsi minime*, 7 feb. 1742; V. Conc. Rom. a. 1725, Tit. I, Cap. 5.

(13) Ex Trid., XXIV, *R.*, 18.

(14) S. C. C., 15 mart. 1625, 13 sept. 1749, 30 aug. 1732; *Acta*, V, 475. Ideo Episcopi vetare possunt, ne extranei sacerdotes, sine commendatitiis proprii Ordinarii literis, in suis dioecesibus sacramenta ministrent, vel obeant divina (Trid., XXIII, *R.*, 16); ne Regulares quidem, et in ecclesiis Regularium; nisi forte eiusdem Ordinis (S. C. De Propag., 18 iul. 1626).

(15) S. C. C., 8 maii 1756, 19 februarii 1870; *Acta*, V, 475, 477.

(17) Ex *Malach.*, II, 7; V. Dist., 38 per totum; Clem., I, *De Vit. et honest. Cler.;* Trid., XXII, *Ref.*, 1; V. S. Alph., VI, 791. Illi autem (saeculares) qui confessionibus audiendis sunt approbati, cogi possunt coetibus adesse ab Episcopo, casibus conscientiae evolvendis, indictis; Canonici quoque Cathedralis Ecclesiae (S. C. C., 26 ian. 1732), et Parochi sive saeculares, sive regulares (S. C. C., ap. Lucidi, Vol. I, p. 485).

(17) Ex *Levit.*, XX, 27.

lux mundi, et sal terrae (18): quorum vita immaculata proinde esse debet (19). Quamobrem ipsorum peccata, et longe graviora sunt (20), maxime propter scandalum (21); et longe periculosiora, nam si non protinus resipuerint, tabescunt, et in suis peccatis intereunt (22).

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS EORUM QUI IN ALIQUO OFFICIO CONSTITUTI SUNT.

ART. I. *De Parochis.*

165. Parochos heic accipimus omnes clericos quibus credita est actualis animarum cura; etiam amovibiles, vel ad tempus. Principio igitur hi tenentur, ex contractu, in susceptam curam animarum incumbere; ac proinde etiamsi nulli sint paroeciae reditus (1). Sane Parochi officium, pastoris (quia Episcopi sui vices gerit) officium est; ideo oportet eum, 1° oves suas pascere; 2° pro eis sacrificium offerre; 3° missam eis celebrare diebus festis. – I° *Pascere*, nempe administratione sacramentorum, verbo, et exemplo (2).

166. *Administratione Sacramentorum.* Exinde tenetur conferre in gravi necessitate sacramenta necessaria necessitate medii, etiam cum periculo vitae (3); ut ecce peste infectis (4): utrum et eucharistiam, et (aegrotis confessis) extr. unct., non satis constat (5). At in necessitate communi tenetur haec ministrare, etiam cum incommodo

(18) *Matth.*, V, 13, 14.

(19) *Levit.*, XXI, 6. Et *ante omnia castitate debent accingi* (Chrysost., *Homil.* 41, *in Levit.*), et ebrietatem fugere, quae in Sacerdote, ait S. Petrus Chrysologus (Serm. 26), *sacrilegium est.*

(20) *Grandis dignitas Sacerdotalis; sed grandis ruina si peccent* (S. Hieron., in C. XLIV *Ezechiel.*).

(21) C. 7, § 3, *De Voto.* – *Ruinae populi Sacerdotes mali* (S. Greg. M., Lib. IV, Epist. 64). *Et nulla certe in mundo tam crudelis bestia, quam malus Sacerdos* (S. Euseb., Epist. *Ad Damas.*).

(22) *Si peccas in Sacerdotio, periisti* (S. Ioan. Chrys., *Homil.* 41 *in Matth.*). *Proh dolor! ingrediuntur electi Sacerdotum manibus expiati coelestem patriam, et Sacerdotes ipsi per viam reprobam in inferni supplicia festinant* (S. Gregor. M., *Hom.* 17, *in Evang.*).

(1) S. Alph., II, 40; S. C. C., 29 ian. 1727, ap. Ben. XIV, Not. 195. Nam, si nulli fuerant ab initio, id exigit suscepta obligatio (L. 17, § 3, *Commod.*), si postea interierint, discedere potest.

(2) S. Alph., II, 27, v. *Dico* 2.

(3) S. Alphons., II, 27; *H. A.*, VII, 28.

(4) Salm., 26, 6, 33; ibiq. Suar., Pal., etc.

(5) Cf. Ben. XIV, *De Syn.*, XIII, 19, 8; S. Alph., VI, 233. Nempe cum haec non recidant in Sacramenta necessitatis (V. § 107, n. 19).

gravi (6). *Extra necessitatem* leve est negare semel aut iterum poenit. et euchar. petenti rationabiliter et opportune, v. c., in aliqua solemnitate (7). At ei qui *ex sola devotione* petit, utrum teneatur sub gravi, an sub levi, hoc ex ceteris parochialibus curis, ex numero parochorum et ex censu parochiae aestimari convenit (8). Ad haec, tenetur parochus matrimoniis interesse, eaque benedicere ceteris paribus (9).

167. *Verbo.* Ex hoc capite parochis necesse est, 1° conciones habere dominicis, et festis diebus (10): et si cessaverint uno continuo mense, vel tribus discontinuis per annum, non carent letali (11): neque excusantur, quod talis eo loci consuetudo viget, vel quod rari auditores intersunt, vel quod frequentes in proximis ecclesiis conciones habentur (12). 2° Parochianos docere quae scitu necessaria sunt (13); senes quoque, si haec ignorent, vel obliti fuerint (14). Nempe singulis diebus festis (15): sed in suis ecclesiis; neque enim tenentur eos adire (nisi forte ad ecclesiam convenire nequeant), et hoc quoque est grave (16). 3° Errantes corrigere etiam cum periculo vitae (17), quamdiu spes emendationis affulget:

(6) V. S, Alph., II, 28. Porro in gravi necessitate versatur, quisquis versatur in *proximo* labendi vel relabendi periculo, quo difficile poterit se liberare, nisi ex poenitentia vel eucharistia resumptis viribus; et quisquis constitutus est in articulo mortis. In communi, qui versatur in peccato letali, vel in peccandi periculo, a quo aliter valet se liberare (Par. II., § 82, n. 6).

(7) V. Lugo, *De Poenit.*, XXII, 5; Croix, VI, I, 134; S. Alph., VI, 58. Ulterius est grave, dummodo quis non petat tempore inopportuno, velut somni vel prandii (Bouix, P. V, Cap. IV, 2).

(8) Lugo, *l. c.*, n. 60.

(9) Rit. Rom., *De Sacram. Matrim.*

(10) Trid., XXII, *De Sacr. Miss.*; XXIV, *Ref.*, 4, 7. Scilicet *brevitate et facilitate sermonis, pro sua et audientium capacitate* (Trid., V, *R.*, 2). *Nec opus est ut formaliter praedicent, sed ut plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis* (S. C. C., ap. Ben. XIV, Not. 10, 3). Hac in re et qui exquisitis humanae sapientiae verbis perstrepunt auribus; et qui imparati prorsus accedunt, perinde habendi sunt ac si officio suo plane defuerint.

(11) Bonac., *De III°. Dec. Praecept.*, Diss. Un., P. II in fi.; Salm., 23, 1, 144; Croix, III, I 764; Bouix, P. V, Cap IX, 10. Et Episcopus poterit alium substituere, honesta mercede ei constituta, donec resipuerint (Trid., V, *R.*, 2).

(12) Innoc. XIII, ap. Ben. XIV, Not. 10. 3.

(13) Trid., XXIV, *R.*, 4, 7. Et obstetrices rectum baptizandi ritum (Rit. Rom., *De Baptis.*): et est grave (Bened. XIV, Not. 8).

(14) Ben. XIV, C. *Etsi minime*, § 8.

(15) Trid., et Ben. XIV, *ll. cc.*

(16) Salm., 21, 2, 55; Croix, III, I, 766.

(17) S. Alph., II, 40. – *Cum periculo vitae*, nempe, ut opinor, si tabescendi periculum eis ex naturali infirmitate impendeat, non si ex propria nequitia (V. Par. II., § 89). Hoc

removere scandala, et si quis id suis viribus perficere nequeat, Episcopum certiorem facere; nec semel aut iterum tantum, sed quoad spes erit scandalum tolli posse (18).

168. Demum *exemplo:* et hoc, uti longe gravissimum, ita et brevissimum est: parochum oportet *fieri formam gregis ex animo* (19) *in doctrina, in integritate, in gravitate* (20).

169. Verum non sufficit *pascere* gregem, sed necesse est, II° pro ovibus *sacrificium offerre* (21). Ex hoc capite necesse habent missam applicare pro populo, 1° omnibus diebus festis (22), etiam omnino abrogatis (23), vel translatis; nisi forte *cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in dominicum diem* (24): neque excusant consuetudo contraria, etiam immemorabilis (25); nec tenues paroeciae reditus (26); nec infirmitas parochi (27): 2° quo die cadit; vel (si ex gravi causa eo die non celebretur) infra heb-

primum; deinde tenetur ex iustitia quando alii ex charitate tenerentur (Cit. § 89): scilicet *obligatio* corrigentis diversa est, non *necessitas* corrigendi.

(18) S. Alph., III, 360.

(19) I *Petr.*, V, 2.

(20) *Ad Tit.*, II, 7. Quae inter *saeculares nugae sunt, in ore sacerdotum sunt blasphemiae* (S. Bernard., *De Consid.*, Lib. 2).

(21) Trid., XXIII, *R.*, I.

(22) Innoc. XII, Br. *Nuper.;* Ben. XIV, C. *Cum semper oblatas,* 19 aug. 1744. Et nedum parochi, sed et vicarii, sive perpetui, sive temporanei, et amovibiles; et oeconomi curati (Ben. XIV, *l. c.*) parochiarum vacantium. Non item coadiutores parochorum; nec rectores ecclesiarum quibus inest animarum cura, et omnia iura atque onera parochialia (licet territorium separatum habeant) in locis Missionum, si beneficium est amovibile quippe haud est verum beneficium (S. C. De Propag., 23 mart. 1863; *Collect.*, 375).

(23) Pius IX, C. *Amantissimi,* 3 maii 1848. Prout tunc, cum Urbani VIII, C. *Universa* (§ 420, n. 1) *in suo pleno robore vigebat* (*ib.*).

(24) Pius IX, *l. c.* Itaque si festivitas tantum in eum diem translata fuerit (ut ecce in Gallia festa Epiph., Sanctissimi Corpor. Christi, etc.), missa applicanda erit eo die, quo celebratur officium (S. C. C., 14 iun. 1841, *Ad Episc. Coenoman.*, prob. Gregor. XVI; *Acta,* VIII, 36): sin *tantum officium,* eo die quo festivitas (In S. C. C., 24 Apr. 1875, v. *Nihilominus)* celebratur (v. c., festum *Annunciationis B. M. V.* in fer. 5 maior. hebdom.) missa applicari debebit (Ex cit. S. C. C.; *Acta,* VIII, 605, II). Verum si eo die alia quoque festivitas celebretur, utrique unius missae, prout auditione, ita et applicatione fit satis (Cit. S. C. C., 24 apr. 1875; V. § 120, n. 2).

(25) Bened. XIV, *l. c.* Nisi forte ab alio (v. c., ab eo penes quem est cura habitualis) applicata fuerit (S. C. C., 16 dec. 1829; *Acta,* XI, 334, 335).

(26) Ben. XIV, *l. c.* - Ibi: *Etsi adeo pauperes sint, ut ex eleemosynis vivere cogantur.* Et si ex una parochia duae factae sint, tenetur uterque (S. C. C., 28 ian. 1875; Acta, VIII, 474).

(27) S. R. C. 11 maii 1720; S. C. C., 14 dec. 1872; *Acta,* VII, 191; S. Alph., VI, 327. Sed V. § 69, n. 54.

domadam (28): 3° per se; nisi qua iusta causa, etsi non gravis, impediat (29). Et si quis duas unitas (30) parochias habeat, in unaquaque applicare debebit; per se, si *binandi* facultatem habeat, secus per alium, vel alio die (31).

170. Demum, III, parochus necesse habet *missam celebrare*, 1° quoties populus necesse habet illam audire (32); 2° quoties oportet nuptias benedicere; utrobique sub gravi (33); 3° pluries in hebdomada: at quoties non constat: sed convenit posse Episcopum eos cogere sub gravi bis vel ter, si parochia sit populosa, et aliae missae in ea non celebrentur, et reditus parochiae non sint tenues et exigui (34). Ad extremum tenentur aegrotos invisere (35); mortuos efferre, eisque iusta persolvere (36). Hisce autem officiis obeundis si parochus solus non sufficiat, debet alios sacerdotes adiungere sibi (37); immo et coadiutori suo, si parochia gaudeat coad-

(28) Ben. XIV, *l. c.*, § 8. Non item si pro alio beneficio, vel capellania sit applicandum; quavis consuetudine in contrarium explosa (S. C. C. 25 sept. 1847, 30 mar. 1867; *Acta*, III, 97).

(29) S. R. C., 25 sept. 1847. Et potest eam applicare ubivis (Ex S. C. C., 14 dec. 1872), nec solemniter (S. R. C., 22 iul. 1848).

(30) S. C. C., 12 mart., 1774; *Acta, l. c.* Sed et Episcopi tenentur missam pro suis ovibus applicare; sed unam tantum etsi plures dioeceses, vel abbatias aeque principaliter unitas regant (SS. D. N. Leo XIII, C. *In Suprema*, Id. iunii 1883). Verum hi qui sunt etiam parochi alicuius paroeciae, in hac per vicarium applicare debent (S. C. C., 23 mar. 1863; *Acta*, XIV, 553). Item vicarii apostolici in his locis ubi dioeceses constitutae sunt, et ipsi legitimi pastoris vices obeunt (S. C. De Propag., 23 mart. 1866; *Acta*, p. 554). Non item vicarii capitulares, nec coadiutores parochorum (S. R. C., 12 nov. 1831, 14 ian. 1845; *Acta*, 555).

(31) SS. D. N. Leo PP. XIII, Cit. C. *In Suprema*. Item parochus canonicus, quo die missam conventualem celebrare debet (S. C. C., 29 ian. 1718).

(32) Ex Trid., XXIII, *Ref.*, 4; S. Alph., VI, 314. At enim vetare, ne Missae aliis in ecclesiis celebrentur Parochiali nondum celebrata, solum Ordinarium posse, definiti iuris est (V. Ben. XIV. Not. 44, 9; *De Syn.*, XII, VII, 7).

(33) Barbo., *De O. Par.*, C. XIV.

(34) Salm., 5, 5, 47. Non item in iustis funerum, nisi data eleemosyna. At ubi eucharistiae sacramentum semper asservatur, *quotidie* celebrandum esse SS. missae sacrificium censuit S. R. C., 16 mart. 1833 (Martin., n. 286); sed vix obtinet, aut ne vix quidem.

(35) Rit. Rom, *De Visit. infirm.* Sed utrum, et sub gravi teneatur eis adesse usque ad supremum vitae spiritum, inter Nostros non satis convenit: et S. C. C., die 23 Mart. 1878; noluit definire (*Acta*, XI, 195). Verum qui deserunt deserentur.

(36) De Luca, *De Paroch.*, Disc. 28, 6; Leuren., *For. Benef.* I, 453. Et si fuerint pauperes, gratis omnino (Clem. IX, Const. 38, *In excelsa*).

(37) Trid., XXI, *R.*, 4. At non potest Episcopus, eo invito, parochiam dividere; vel coadiutoriam erigere (Leuren., *F. B.* I, 154). Item cogi et is potest qui propter infirmam valetudinem, aut senium (CC. 5, 6, *De Cler. Aegrot.*), aut linguae

iutore qui impos factus est, et huius reditus impares, sui pares sint (38).

171. Uti autem his officiis parochi satisfacere possint, necesse habent, 1° oves suas agnoscere, et, 2° in medio earum esse. Oves *agnoscere* (39): ex hoc capite iubentur: I conficere libros, 1° matrimoniorum, 2° defunctorum, 3° status animarum; et praeterea eorum qui in suis ecclesiis, 4° confirmantur, vel 5° baptizantur, si ipsorum ecclesiae baptismales sint; II uniuscuiusque ingenium, studia, mores animadvertere: inquirere quemadmodum patres matresquefamilias suos filios instituant, utrum eis invigilent; num heri supersint famulis, ne quid contra bonos mores agant, neve praecepta Ecclesiae praetermittant, etc.

172. *In medio earum esse.* Ideo residere oportet in parochia quemqua sua: nempe tum materialiter, tum formaliter (40). *Materialiter:* ideo necesse habent, 1° commorare intra parochiae limites: nec excusantur propter aeris malignitatem, aut infirmam valetudinem (41); aut senium (42): vel quod tenuis paroecia sit (43); vel quod tres tantum, aut quatuor incolae remanserint (44): 2° noctu diuque, et non tantum noctu, vel tantum diu (45): 3° in domo parochiali (46): et si nulla eo loci sit domus parochialis, oportet

impedimentum, vel amentiam (Ex C. Un., *Eod. tit.* in 6°) officiis parochialibus defungi non potest. Et si nolit aut nequeat, constitui peterit ab Ordinario (Bouix, Par. III, C. IV), congrua parte fructuum ex reditibus Parochialibus detracta (Ferraris, v. *Coadiutor*, n. 23). Quod si reditus non sufficiant utrique, communior sententia est, praeferendum esse coadiutum (Ferr., n. 35).

(38) S. C. C., 24 iulii 1875; *Acta*, VIII, 699.

(39) Trid., XXIII, *R.*, I.

(40) Trid., XXIII, *R.*, I; Bened. XIV, C. *Grave*, § 2. Utrum iure divino, lis est, quam Syn. Trident. noluit definire (V. Bened. XIV, *De Syn.*, VII, I, 3); et est adhuc sub iudice.

(41) S. C. C., an. 1575-1647, apud Bouix, *De Parocho*, V, II, 7.

(42) S. C. C. 13 ian. 1720, ap. Ferrar., v. *Parochus*, II, 16; quamvis eis datus fuerit propter infirmitatem aut senium coadiutor (S. C. C., a. 1577; Zamboni, v. *Parochus*, 21, 1), etiam cum futura successione (Bened. XIV, C. *Inscrutabili*, § 28).

(43) Barb., *De Offic. Par.*, 1, 8, 4; Salm., 28, 109.

(44) S. C. C., 16 ian. 1638; Fagnan., in C. *Extirpandae*, n. 11, *De Praeb.* – *Immo etsi castrum sit fere dirutum, et nulli in eo habitent parochiani* (S. C. C., 13 ian. 1720, ap. Giraldi). Vero si parochianorum longe maior pars alio commodiori loco discesserit, hac aetate nostra, in qua christiana officia, quovis quaesito colore detrectantur, animum sedulo advertendum est, utrum consultum sit veteri disciplinae inhaerere.

(45) S. C. C., 10 maii 1687; Bened. XIV, Not. 16, 18.

(46) S. C. C., 13 ian. 1720, ap. Girald., *E. I. P.*, Par. I, Lib. I, Sect. 358. Nihilominus si in alia (utputa propria, aut paterna) possit aeque satisfacere muneri suo, nec plebs dissentiat, vacat gravi (Barb.,

domum in parochia conducere, et, quo fieri potest, ecclesiae viciniorem (47). *Formaliter:* Ex hoc capite tenentur per se superesse animarum curae, et prospicere suis ovibus (48). Nihilominus non prohibentur uti coadiutoribus in his quae maius incommodum habent, ut ecce ad infirmos ire noctu, praedicare, docere pueros; excipere confessiones, etc. (49). Sed quasi sociis, uti debent; atque ideo ipsi quoque, cessante iusto impedimento, haec praestare necesse habent (50), maxime si requisiti fuerint; alias letali non carent (51).

173. Nihilominus permittitur parochis abesse quolibet anno duobus mensibus, sive continuis, sive interruptis, dummodo nihil grex detrimenti capiat (52). Nempe, 1° ex causa aequa, etsi non gravi, et prius per Ordinarium cognita, et probata (53); 2° vicario a se quidem electo, sed Ordinarii iudicio idoneo, relicto (54); atque ideo (verius prorsus), 3° de licentia eius expressa (55); nisi forte aut subiti aliquid acciderit (56), aut non ea sit consuetudo dioece-

n. 37; Croix, III, I, 745); immo et levi, ubi hoc consuetudine immemorabili obtinuit (Ferrar., v. *Parochus,* II, 94. Ed. Cassin): quod vereor ne verum sit.

(47) S. C. C., 3 iul. 1592, ap. Girald., *l. c.;* Salm., Tr. 28, 109. Quamobrem residere non intelligitur parochus qui, intra paroeciae quidem fines degit, sed tertio aut secundo ab Ecclesiae lapide, vel quo non facile adiri possit (S. Alph., IV, 124). At non habenti domum parochialem Episcopus permittere potest, ut ex iusta causa extra paroeciam inhabitet, si exinde possit tam facile parochianis adesse, quam si intra fines eius degeret (Bouix, Par. V, Cap. II, § VII, Prop. 4; ex S. C. C., 16 iun. 1607). Nec vacat culpa qui, constituto in paroecia capellano, eo accedit dumtaxat diebus festis (S. C. C., 13 nov. 1627).

(48) CC. 3, 4, *De Cler. non resid.;* C. 30, § 1, *De Praeb.;* Barb., n. 41; Reiff., III, 4, 87; S. Alph., III, 360.

(49) Vasq.; V. Suar.; Lugo, *De Poenit.,* XXII, 3, Croix, VI, I, 133.

(50) Ex Trid., *l. c.;* Salm., 28, 114; S. Alph., IV, 127, v. *Hinc communiter.*

(51) Reiff., III, 4, 86; Bonac. To. I, Disp. V, P. 2, n. 3.

(52) Trid., XXIII, *R.,* 1. Excepto (quod olim controversum fuit) tempore pestis (Greg. XIII, 12 oct. 1576). Sed eo tempore expedit per alios sacerdotes ministrare sacramenta peste infectis (S. Alph., VI, 233).

(53) S. C. C., *Decret.,* Lib. II, p. 202; Ben. XIV, Not. 17, 10.

(54) Trid., *l. c.,* v. *Eadem.;* B. XIV, C. *In Supremo.*

(55) Ex Trid., *l. c.;* S. Alph., IV, 123. Atque ita S. C. C. perpetuo respondit (Fagnan., in *C. Relatum,* nn. 20, 32, *De Cler. non resid.*). Licet per hebdomadam abesse velis (S. C. C., 7 oct. 1664, ap. Bouix, *De Parocho,* Par. V, Cap. II, § 1, n. 5); immo per biduum tantum (Ex Conc. Rom., an. 1725, Tit. XVII, Cap. 6), quod tamen in Regno Utriusque Siciliae non viget (V. S. Alph., IV, 123, v. *Item*). Et si Ordinarius neget licentiam, licet superiorem adire: sed interim parendum est (S. Conc. C., 7 oct. 1604, ap. Bened. XIV, Not. 17, 12).

(56) S. C. C., ap. Fagn., *l. c.,* n. 41. Itaque sufficit in eo casu licentia vicarii foranei (Ben. XIV, Not. 17, 12); sed oportet Episcopum

sis (57). Ultra bimestre Ordinarius licentiam dare quidem potest, sed ex *gravi causa* (58). Causae huiusmodi potiores sunt: 1° *utilitas* Ecclesiae universalis, aut reipublicae (59); necessitas dioecesis (60); vel paroeciae (61); immo et propria (62), dum ne absit nimis diu, vel cum gravi paroeciae detrimento (63): 2° *caritas*, ut ecce si quae alia paroecia periclitetur moribus, fide, etc.; aut pax concilianda sit inter privatos, aut lis dirimenda (64): 3° demum excusat parochos obedientia (65). Qui discedit citra parochiae detrimentum, si absque causa aequa, nec ultra bimestre, tenetur levi; si nullo vicario relicto, grave putant abesse duos tresve dies, etiamsi nemo aegrotet, si alii sacerdotes desint eo loco (66); sin iniussu Episcopi, verius est letale; nisi discesserit confestim, idest intra 20 diem, reversurus; vel nisi usus aliud ferat (67).

174. Amplius: parochus qui neque materialiter neque formaliter residet, neque per alium officium suum implet, quo tempore non residet, non facit fructus suos (68) *pro rata*, uti ita dixerim, *residentiae* (69). Qui non residet materialiter, sed implet per alium idoneum officium suum, eos amittit (70) post (*ultra*) bimestre conciliare (71). Qui materialiter residet, sed non formaliter, si per nul-

certiorem facere quamprimum, ut de causa cognoscere possit (S. C., *l. c.*); nisi brevi sis reversurus (S. Alph., *H. A.*, VII, 17).

(57) Laym., *De Benef. Eccles.*, VI, 7; S. Alph., IV, 123, d. 1.

(58) Trid., *l. c.* Non quidem *ad multum tempus*, ceu existimavit Navarrus (V. Reiff., III, 4, 76); nec ad octo menses, ceu Gallemar. (Ad Trid., XXIII, *R.* I, v. *Quando*), sed ad alios duos, vel tres menses (Barb., *De Offic. Par.*, 58, 59; Reiff., 77). Porro S. C. C. legitimam saepius censuit licentiam infirmis datam ab Ordinariis ad quatuor menses (Bouix, Cap. II, § 1, n. 5); ad sex, propter inimicitias, ipsamet dare solet (V. Fagn., in C. *Clericos*, n. 25, *De Cler. non resid.*).

(59) Trid., XXIII, *Ref.*, I.

(60) Reiff., III, 4, 96. Ut puta si ad synodum conveniendum sit; non item ut Episcopus eo utatur quasi vicario, vel a secretis; nisi forte alius desit (S. C. C., ap. Fagn., in C. *Relatum*, n. 22, *De Cler. non resid.*).

(61) C. 15, *De Cler. non resid.* - V. c., iuribus eius tuendis; nisi alius aeque idoneus adhiberi possit (S. Alphon., IV, 125).

(62) D. Th., 2, 2, 185, 5. - V. c., ob aegram valetudinem, periculosas inimicitias, etc.

(63) Reiff., III, 4, 92; S. Alph., IV, 125.

(64) Fagn., *l. c.*, n. 81; S. Alph., *l. c.*

(65) Trid., XXIII, *Ref.*, I.

(66) Salm., 23, 113; Reiff., n. 83.

(67) V. S. Alph., IV, 123, v. *Item.*

(68) Trid., XXV, *R.*, I, v. *Si quis.*

(69) S. Alph., IV, 127, 4; V. § 64.

(70) Ex Trid., XXIII, *R.*, I.

(71) Croix, III, I, 738, 743. Nam qui abfuit non *ultra* bimestre, si *iniussu Ordinarii* abfuit, graviter quidem, sed contra obedientiam, non contra parochi officium, deliquit. Nec eos amittit si habitaverit, in domo quidem aliena, verum intra fines paroeciae: nihilominus is, si iussus fuerat habitare in domo parochiali, mulctari poterit ab Episcopo (S. C. C., ap. Fagn., in C. *Extirpandae*, n. 14, *De Praeb.*).

lum alium sacerdotem suis officiis defungatur, non lucratur fructus ipso naturali iure: sin per alium haec praestet, utrum eos amittat ex iure canonico, non satis convenit (72). Utcumque, amissos restituere oportet ante omnem sententiam iudicis: nam si eos amiserit naturali iure, *iustitia;* sin canonico, *poena* quidem, sed *conventionalis* eum tenet (73). Atque ideo etsi b. f., eos perceperit (74): nisi forte et consumpserit b. f., et ex eis factus non sit locupletior (75). Restituendi autem sunt fabricae ecclesiae, et pauperibus loci (76). Ad haec V. §§ 17, n. 42; 68, n. 44. Hactenus de officiis, nunc de iuribus Parochorum.

175. Tria sunt quae parochis, prae ceteris sacerdotibus, competunt; administratio sacramentorum, functiones, et iura parochialia: alibi iam de illis et istis (Prol., §§ 98, 111, 112), de his hic. Itaque *iura* heic accipimus praestationes (77) et emolumenta (78) pa-

(72) V. Ben. XIV, Not. 17, 6. Affirmat S. Alph. (III, 127, d. 3), quia residentia non intelligitur *nisi formalis;* negant Garc. (P. III, 2, 53), Reiff. (III, 4, 87), quia non *residere*, propria significatione, est *abesse*. Et aequius, ac verius (Prol., § 304).

(73) S. Alph., IV, 127, d. 2; III, 665; V. Prol. § 310.

(74) Ex C. *Ad univ.* Ben. XIV. Quasi conditione non impleta (S. Alphons., d. 2.)

(75) V. Par. II., § 232. Nec obstant quae Par. II. (§ 241, n. 22) diximus; primum, quia heic utimur iure canonico; deinde, quia illa huc non pertinent. Quid si parochus *illegitime quidem discesserit*, sed postea fortuito casu (v. c., quia aegrotavit) reverti non potuit? Et si id non praevidit, puniendus quidem non est (V. Pirhin., III, 4, 55: Schmalz., III, 4, 43), verum fructus, si quid opinor, non facit suos: aliud est enim damno affici (in quo poena consistit), aliud lucro privari; nisi alius pro eo obierit munera parochialia.

(76) Trid., XXIII, *R.*, I, v. *Si quis.* Inde infert S. Alph. (IV, 128) neque emendis aut meliorandis praediis beneficiis parochialis, neque aliis pauperibus erogari posse. Sed non puto, si ita factum sit, aut graviter peccasse, aut novae restitutioni obnoxium esse parochum: scilicet, quod Conc. principaliter et maxime spectat, est poena delinquentis.

(77) Potiores olim *decimae.* Est autem decima, pars proventuum agrorum, vel industriae, clericis ad victum praestanda. Inde in realem, seu praedialem, et personalem diducitur (C. 20, *De Decimis*). Utraque regulariter debetur parocho propter Sacramentorum administrationem (CC. 20, 29, 30, *Eod.*); nempe realis parocho territorii personalis parocho domicilii, vel quasi (CC. 13, 18, 20, *Eod.*). Et realis, quia praedio cohaeret, ab eo debetur qui fructus eius percepit; personalis vero a fidelibus tantum (C. 23, *Eod.*). Et realis nullis deductis impensis (CC., 22, 29, *Eod.*) ordinariis (Ex S. C. C., 2 sept. 1876; *Acta*, IX, 497). Qui eas non praestant, peccant graviter; et censuris coerceri possunt (Trid., XXV, *R.*, 12); at sacramenta idcirco eis denegare, nisi indignis, grave est (Navarr.; Suar.; Laym., *h. t.*, IV, 3).

(78) Prout in matrimoniis, in baptismis etc. Porro hodie non cedunt parochis quae ponuntur ad imagines, vel reliquias SS.; sed si positae sint in aliqua capella, vel oratorio ecclesiae parochialis, ipsis earum administratio credita est (Espen, *I. E.*

rochis, praeter beneficii reditus, constituta: praecipua ex his quae eis constituta sunt in iustis funerum persolvendis; quaeque idcirco *funeralia* , seu potius *funeraria* dicuntur. Sed ante omnia nosse oportet cui mortuos efferendi ius competat, qua in ecclesia, et a quo iusta funebria sint peragenda. Quo in loco quis sepeliendus sit, V. Prol., § 113 (79).

176. Principio igitur ius efferendi mortuos, ducendique funus ad ecclesiam, uti vocant hodie, *exponentem*, regulariter, solis parochis competit (80); nempe proprio cuiusque ex domicilio, vel quasi; etsi

U., Lib. 2, Tit. 33, Cap. 10. 9; *Acta*, II, 517; De Luca, Disc. 19, *De Decim.*): secus, ne administratio quidem (S. R. C., 10 dec. 1703, ad 28), sed ecclesiae rectori (S. C. C., 2 apr. 1861, 18 nov. 1865; *Acta*, VIII, 172); vel, si nullus in ea ecclesia rector existat, patrono (in S. C. C., 27 ian. 1866; *Acta*, II, 516), vel confraternitati (ad. cit. d. 28).

(79) V. Prol., § 113. Si quis sepeliendus sit in ecclesia regulari, ius huic integrum manet, licet in ea vix unus religiosus remanserit (S. C. C., 10 sept. 1871; V. Prol., § 45, n. 19).

(80) C. 3, *De Sepult.* in 6°; Clem., *Dudum, De Sepult.*; Ex Rit. Rom., *De Exsequiis.* - *Ad Ecclesiam*, nam, ad hac ad coemeterium, *sine pompa*, his competit quibus, non extantibus coemeteriis, sepeliendi ius foret (S. C. Epp., 17 sept. 1880; *Acta*, XIII, 421; Vecchiotti, *Instit. Can.*, Vol. II, Lib. III, Cap. V, § 62). At solius parochi est aspergere cadavera (antequam e domo efferantur) aqua benedicta, praecinere antiphonam *Exultabunt Domino*, et cum stola incedere (S. R. Conc., 20 decem. 1828; Bouix, P. IV, Cap. 10, § 2, 1). Crucem autem elevare (quae unica esse deberet) est, non ecclesiae parochialis, sed cathedralis, vel collegiatae (S. R. C., 11 apr. 1840; Gardell., 1856), vel tumulantis (S. R. C., 12 novemb. 1831; Gardell., 4524). Porro regularium virorum parochus est eorum praelatus, monialium confessarius (Ben. XIV, Not. 105, 48), decumbentium (et non inservientium), vel decedentium in hospitalibus, si ecclesia hospitalis sepulturas habeat (Leuren., *For Benef.*, I, 452; Bouix, P. IV, Cap. X, § 1, pr. 5). vel hospitale sit (prout fere omnia) exemptum (S. C. C. 24 ian. 1857; *Acta*, XIV, 346), est capellanus. Verum si defunctus extra hospitale sit sepeliendus, eum efferre cum stola et cruce ad Parochum pertinet (S. C. C., 24 nov. 1688, ad 3um). *Regulariter*, nam (V. Prol., § 113) Episcopo (quia nulli Parocho subest) mortuo, haec omnia, ceu sacramenta infirmo, praestant canonici cathedralis Ecclesiae (*Coerem. Episc.*, Cap. 38; S. C. C., 7 iunii 1760, 24 mart. 1873; *Acta*, VIII, 210); quod non ad ius canonicorum, verum ad Episcopi dignitatem pertinet. Cui autem licet mortuum forte in dioecesi aliena efferre, ei licet domum eius adire, etiam irrequisito eius loci Parocho (Ben. XIV, Not. 105, nn. 48 et 50), licet is defuncto administraverit sacramenta (S. C. C., 22 maii 1615; S. C. Epp., 2 iul. 1625): et sic per alterius parochiam (vel dioecesim) transire (Inn. XI, dec. 1676, ap. Ferrar., v. *Parochus*, III, 40; S. C. C., 16 sept. 1871. V. *Acta* V, 222), *cum stola et Cruce;* sed sine *solemni pompa, et recto tramite*. Quod in efferendis regularium (vel monialium) cadaveribus cautum est nominatim S. C. C., 24 ianuar. 1846, 24 febr. 1872; *Acta*, VII, 173. 167).

quis decesserit in sua parochia, in aliena sepeliendus (81): vel in aliena decesserit sepeliendus in sua (82 . Iusta autem funebria in ea ecclesia sunt peragenda, in qua defunctus iussit (83): et si nihil iusserit (cum haec sint pars ecclesiasticae sepulturae), in ea, in qua sepelitur (84); vel (si eo loci extructa sint coemeteria publica) in qua alias sepeliri debuisset (85). Et si haec est parochialis ecclesia, ut expositio cadaveris et iusta funerum alibi fiant, nisi id concessum sit iure synodali, heredes exigere non possunt (76): si non est ecclesia parochialis, parochus ut in sua ecclesia fiant (87), vel ab ipso in ecclesia aliena (88), exigere nequit.

177. Venio ad emolumenta funerum (*funeraria*). Constant ex his quae deferuntur ad ecclesiam *exponentem*, vel ex voluntate defuncti deferri, occasione funeris, debuissent (89). Cedunt ecclesiae, uti vocant, *sepelienti* (90), iure inquam. Ex his debetur parocho defuncti (91), *portio canonica : est* autem *quarta*, nisi aliud consuetudine loci sit introductum (92). Nempe ob curam animarum, et sacra-

(81) S. C. C., 22 maii 1866; *Acta*, III, 44. Quamvis in alia dioecesi sepeliri debeat (In S. C. C., 6 maii 1870; *Acta*, V. 611, v. *Ad tramites*).

(82) Ben. XIV, Not. 105, 48. Scilicet quod quis non in loco domicilii, vel quasi decedat, casus est; et casus nullum ius, nullam ex adverso obligationem parit. Qui si forte commode transportari nequeat, ibi sepeliendus est ubi decessit (Prol., § 113, n. 15): nam hoc quoque per accidens fit (V. Ben. XIV, Not. 105, nn. 46, 47). Parochum vero hic accipimus quod ad regulares, superiorem Coenobii (Cit. Decreta) et Confessarium Monialium (S. C. C., 30 maii 1856, 17 sept. 1858).

(83) Ex S. C. C., 14 aug. 1875; *Acta* IX, 27.

(84) Ex S. C. C., 4 mart. 1722, 16 mart. 1726, 6 febr. 1734, ap. Bened. XIV, Not. 105, 25. Scilicet, ius funerandi cohaeret, tamquam accessorium, iuri sepeliendi.

(85) S. C. C., 16 ian. 1827, 24 maii 1821, 14 aug. 1875; *Acta*, V, 566; IX, 27. Scilicet haec coemeteria subrogata intelliguntur singularum Ecclesiarum sepulturis, ideoque non sublatum sepeliendi ius est, sed variatus locus (In S. C. C., 14 maii 1824, § *Animadvertendum; Acta, l. c.*).

(86) Ex S. C. C., 16 iun. 1827; *Acta*, V, 566.

(87) S. C. C., 14 novemb. 1721; *Acta*, V, 566, et pluries alias ap. Bened. XIV, not. 105, 25.

(88) S. R. C., 20 nov. 1628; Gardellin., n. 632; *Bouix*, Par. IV, Cap. X, § 1, Prop. 6. Praeterquam in Ecclesiis Confraternitatum, quando tumulandus est subiectus Parocho, intra cuius fines est Ecclesia (S. R. C., 10 dec. 1703 ad 20. Sed V. *Acta*, XIII, 25).

(89) Ex C. 15. *De Testam.;* Reiff., III, 28, nn. 46, 47.

(90) Clem., 2, *De Sepult;* S. C. C., 29 aug. 1733, 26 aug. 1826; *Acta*, V. 567.

(91) Cit. Clem., et Tot. tit *De Sepult.* Immo et Episcopo (Ex C. 16, *De O. O.;* CC, 14, 15, *De testam.*), ubi adhuc obtinet.

(92) Extr., 1, *De Priv.* int. Comm. Seu de *obventionibus omnibus funeralibus* (Clem.. *Dudum, De Sepult.*). Exceptis, ex C. Bened. XIII, *Romanus Pontifex* (edita pro Ita-

menta praestito ei qui decessit (93). Ideoque, 1° debetur parocho domicilii, vel quasi domicilii; et si defunctus forte duo habuit domicilia, inter utriusque domicilii parochos est dividenda (94). Proinde, 2° si is non in ecclesia sua parochiali conditus fuit portio canonica detrahenda erit (ubicumque ille decesserit, vel sepultus, dummodo iure, fuerit) ab ecclesia tumulante, vel exponente, licet exempta (95) vel parochiali (96). Demum, 3° debetur tametsi nullum funus (sive testatoris sive heredum voluntate) peractum fuerit (97):

lia, insulisque adiacentibus), *candelis quas sacerdotes, etiam Regulares, vel piarum sodalitatum confratres, funus associantes, manualiter per viam accensas deferunt, et pannis, aut sudariolis quae cum funere deferuntur* (S. C. C., 13 aug. 1718; Ferr., v. *Quarta*, n. 22). Nec ea continentur (ut olim in quarta episcopali) pia legata a defuncto relicta (C. ult., *De Testam.*). Quod si funus non ipsa depositionis die, sed qua alia, fiat, etsi diu post, Parocho nihilominus debebitur *quarta pars omnium intorticiorum, et candelarum, quae circa Coenotaphium, et in altaribus eiusdem Ecclesiae accensa fuerint* (Bened. XIII, *l. c.*). Et si postero die aliud funus solemniori pompa peragatur, huius quoque canonica portio parocho (S. C. Epp. 3 aug. 1862; *Acta*, V, 604) ab ecclesia debetur; primo, quia debetur de *obventionibus omnibus funeralibus* (Clem., 2, § *Per*, 7, *De Sepult.*), unde quarta *funeralium* dicitur (Trid., XXV, *R.*, 13); deinde ne secus fraus legi et Parochis fiat (Ex C. 4, *De Sepult.*). Porro non nemo ex recentioribus docet Parocho quartam deberi etiam ex his quae deferuntur die 3°, 7°, et 30°: sed nullo auctore nullo iure: et a iuribus supra recensitis alienum videtur.

(93) C. 9, *De Sepult.*; Clem., 2, *Eod. tit.* Inde dicta est *quarta funebris, nisi* etc. (C. 9, *Eod.*). Porro ut parochus exigere possit portionem quartam, decennali; ut maiorem, vel minorem hac, quadragenaria consuetudine opus esse docent Canonistae (Barb., *De Offic. Par.*, 25, 2; Leuren., *For. Benef.*, I, 454; Ferrar., v. *Quarta*, n. 3; Bouix, *De Parocho*, Par. IV, Cap. 10, § 5).

(94) C. 1, *De Sepult.*; Berar., *I. E. U.*, To. I, Diss. VI, Cap. 3, v. *Ius quartae.*

(95) C. 2, *De Sepult.* in 6°. Quamvis in una earum tantum consueverit recipere sacramenta (S. C. C., 29 nov. 1851, 6 maii 1870; *Acta*, V, 609, 612).

(96) CC. 2, 8, 10, *De Sepult.* Ut ecce in ecclesiis cathedralibus, vel regularium; quavis contraria consuetudine in Italia et finitimis insulis omnino sublata; et servata, quoad alias regiones, dispositione Trid. (XXV, *R.* 13. Ex Bened. XIII, cit. C. *Rom. Pontif.*), qua consuetudines *iam* ante an. 40, non citra, nec *postea* introductae (S. C. C., 22 sept. 1591. ap. Gallem., in cit. C. 13), servari iubentur.

(97) Ex C. 1, *De Sepult.*; Schmalz., III, 28, 84. Dixi *dummodo*, etc. ut puta in ecclesia electa, vel ubi extat sepulcrum familiare, vel coniux sepultus fuit (Prol., § 113). Quamobrem si casu decesserit v. c., in paroecia *aliena*, siquidem in ea sepultus fuit, *suae* omnia emolumenta restituenda sunt, dempta quarta sepulcrali (S. C. C., 14 sept. 1878; *Acta*, XI, 499); sin in *sua*, ad eam reportatus, omnia prorsus (S. C. C., 21 aug. 1869) quamvis Parochus eius loci viaticum, et E. U. ei ministraverit (S. C. Epp. 22 maii 1615; *Acta*, V, 126). Dixi *ab Ecclesia* sepeliente, vel hodie (ubi in coemeteris publicis sepe-

nisi forte tempore pestis, magistratu civili vetante, fuerit omissum (98). Ceterum quoad haec plurimum valet locorum consuetudo (99).

ART. II. *De Canonicis.*

178. Canonicos in hoc articulo accipio, latissima significatione, omnes choro obstrictos; seu de gremio capituli, in ecclesiis patriarchalibus, cathedralibus, collegiatis, quocumque nomine vocentur. Itaque canonici tenentur fidei professionem facere: et residere tum materialiter, tum formaliter (V. § 68). Materialis residentia haec est, ut in ea civitate vel oppido, ubi extat ecclesia, commorentur (1): formalis, ut divinum officium persolvant in ecclesia quisque sua (2), in choro, suo habitu, statis horis, integrum (3). Constat autem hoc officium horis canonicis, et missa conventuali: et, ut satisfaciant, illas psallere debent (4), huic adesse (5). Quam praeterea

liendum est) *exponente*, non ab heredibus (Rot. Rom., ap. Ferrar., n. 46; S. C. Epp., 14 apr. 1615; *ib.*, n. 35): et planum est.

(98) Votum Rot. Rom., 15 iunii 1699; *Acta*, V, 209. Hoc igitur in casu *quarta* taxabitur pro conditione defuncti, et negocium cum heredibus erit.

(99) S. C. C., 21 aug. 1869; *Acta*, V, 130. Ad ultimum admonendi sumus, in quibusdam paroeciis duos pluresve esse parochos, quibus cura animarum eique inhaerentia iura et obligationes competunt in solidum. Hoc a mente Trid. (XXIV, *R.*, 13) alienum est; quamobrem si quae causa, ratio uni eorum faveat, S. C. C. hunc parochum ceteros coadiutorum instar habet, posthabitis quavis consuetudine etiam immemorabili et constitutionibus capitularibus (S. C. C., 24 iul. 1875, 26 iulii 1879; *Acta*, XIII, 18).

(1) Ben. XIV, C. *Inscrutabili*, § 28, 5 iul. 1745. Nihilominus commorari possunt extra locum proprii beneficii, modo statutis horis chorum adeant (S. C. C., 28 febr. 1795; Scavini, I, 431).

(2) CC. 4, 6, *De Clericis non resid.*; Trid., XXIV, *R.*, 12.

(3) Clem., 1, *De Celebr. Miss.*; Trid., *l. c.*, - *In choro*; non in sacristia, nisi ex iusta causa, velut ob frigus; et de Episcopi venia, si tamen adiri possit (S. Alph., III, 675). *Suo habitu, suo tempore:* sed est leve (S. Alph., IV, 171). Episcopi autem est permittere recitationem mututini diei sequentis post completorium, et lapsam horam tertiam post meridiem (S. C. C., 12 nov. 1644; Bouix, *De Canon.*, Par. III, Cap. II, § 6). *Integrum:* et gravis in choro ea omissio est, quae gravis est in officio privato (Suar., *De Relig.*, To. II, *De Hor. Can.*, Lib. IV, Cap. 13, 2; S. Alph., IV, 143 in fi.).

(4) Cap. 9, Dist. 92; Clem., 1, *De Celebr. Miss.*; Trid., XXIV, *Ref.*, 13. - *Placida modulatione decantent* (C. 1, *De Vit. et hon. Cler.* - Extr. Comm.). Alias non satisfaciunt (Ben. XIV, C. *Cum semper oblatas*; et breve *Dilecte Fili, Ad Arch. Aquilei.*; S. R. C., 22 maii 1841). *Quavis consuetudine non obstante* (S. C. C., 8 iunii 1626; Ben. XIV, Not. 107, 16); licet statuta fundationis solam forte praesentiam exigant (S. Pius V, Const. 25, Tom. II, *Bullar. Rom.*).

(5) V. Ben. XIV, C. cit. *Cum semper.*

oportet canere (6), et applicare (pro benefactoribus et fundatoribus in genere, sublata qualibet contraria consuetudine), singulis diebus, his quoque quibus Episcopus celebrat pontificaliter (7); licet alia forte celebranda sit missa pro anniversario defunctorum (8), aut pro certo aliquo benefactore, aut votiva (9), aut (si ecclesiae adnexa sit animarum cura) pro populo (10). Quamvis autem quisque haec officia per se obire debeat (11), nihilominus non est *sublata facultas se invicem substituendi* (12): dummodo, 1° et substituens sit praesens in civitate, ubi extat ecclesia; aut in suburbiis, vel territorio (13); et, 2° substitutus sit unus ex capitularibus (14); et, 3° uterque eodem tempore eidem servitio non sint adstricti (15).

179. A servitio chori canonici vacare possunt quolibet anno tribus mensibus, vel discontinuis (16), nisi statuta capitularia *minus* indulgeant (17). Nec ulla opus est iusta causa; nec intra dioecesim,

(6) Pignat., Tom. I, Consult. 321. Ex communi Canonistarum sententia.

(7) S. C. C., 12 nov. 1831; S. R. C., ap. Lucidi, I, pag. 316. Quibus autem diebus missa ab Episcopo pontificanda est, eo impedito, vel sede vacante, vice Episcopi illam canere debet *per se* prima dignitas, eaque impedita, secunda; et sic deinceps: et omnibus (dignitatibus) impeditis, decanus (S. C. C., 5 dec. 1822). At onus applicationis ad hebdomadarium pertinet (S. C. C., 4 mart. 1876; V. *Acta*, IX, 334, 336).

(8) Ex C. 11, *De Celebr. Miss.*; S. C. C., 20 ian. 1828; Lucidi, I, pag. 314, n. 136.

(9) Ben. XIV, *l. c.*

(10) Ben. XIV, *l. c.*; S. C. C., 20 ian. 1838. Haec obligatio tenet omnes de gremio capituli per turnum (S. C. C., *l. c.*); non item alios beneficiatos non chorales (S. C. C., 16 dec. 1820; Lucidi, n. 129): cuius proinde eleemosyna detrahenda est ex massa capitulari (S. C. C., 9 sept. 1843; Lucidi, I, 312). Cessat omnino in his ecclesiis de quarum Collegialitate non constat, etsi chorum agant (S. C. C., 17 april. 1779); nec potest ab Ordinario imponi (S. C. C., 7 iul. 1781; Lucidi, I, 310). Porro missam *canere* oportet, nedum conventualem, sed et de feria et de vigilia (Cf. Lucidi, p. 313, n. 135); *applicare* vero primam tantum; nisi aliud consuetudine sit introductum (Ben. XIV, *l. c.*).

(11) Trid., XXIV, *R.*, 12.

(12) S. C. C., 15 dec. 1605; Ben. XIV, Not. 107, 17.

(13) S. C. C., 2 iun. 1830; Lucidi, I, p. 256, n. 24.

(14) Cf. Bouix, *De Canonicis*, P. III, Cap. II, § 7. Utrum vero esse debeat eiusdem coetus, non satis constat.

(15) Cit. S. C. C., 15 dec. 1605. Et dum ne substitutiones huiusmodi sint nimium frequentes; quod Episcopi arbitrium erit (S. C. C., 24 mart. 1612). Datur interdum (a R. P.), ex gravi causa, volenti perpetuus coadiutor. Is nullum habet *ius in re* (praebenda), quamvis possessionem coeperit, sed *ad rem*. Ideo non est vere canonicus: quamobrem nec substituere aliquem potest, nec substitui, et non tenetur extra chorum recitare horas canonicas, nisi forte ex alio beneficio, vel ex ordine (V. Ferrar., v. *Coadiutor*).

(16) S. C. C., ap. Ben. XIV, Not. 107, 33.

(17) Trid., XXIV, *R.*, 12. Non item si *plus*, nisi a R. P. confirmata

licentia Ordinarii (18). Verum ab hoc providendum est, ne vacent tempore adventus, quadragesimae, *vel amplioribus anni festivitatibus;* neve demum uno eodemve tempore ultra tertiam partem vacent (19). At a celebratione missae per turnum nemo unquam eximitur; exceptis caecis (20), et iubilatis (21).

180. Canonicis duplex genus redituum constitutum est; unum ex praebendis (hi *fructus* proprio nomine dici solent), alterum ex *distributionibus quotidianis* (22). Illi dantur propter beneficium, seu praebendam; hae propter praesentiam dantur; atque ideo *illi* ut recitent horas canonicas, *hae* ut choro intersint (23). His accedunt emolumenta, v. c., ex anniversariis, ex legatis, ex publicis supplicationibus, ex iustis funerum, etc., quae *distributiones inter praesentes* dici solent (24). Canonici, quoad fructus, *beneficiatorum;* quoad distributiones quotidianas, *choralium* iure censentur (25). Ac pro-

fuerint *ex certa scientia;* aut ita cautum sit fundationum tabulis (S. C. C., ap. Bened. XIV, Not. 107, 31). At vero in potestate Ordinarii est, praeter menses conciliares, alium concedere *ex iusta causa* (S. Pius V, 7 oct. 1580, ap. Fagnan., in C. *Licet*, n. 4, *De Praeb.*).

(18) S. C. C., 4 maii 1737; Bened. XIV, n. 36; Ex S. Alph., IV, 129, in fi.

(19) S. C. C., 12 iul. 1631. Quota autem pars eorum simul abesse possit, relinquitur arbitrio Episcopi, et Capituli (S. C. C., ap. Lucidi, I, p. 251).

(20) S. C. C., 26 ian. 1662, ap. Ben. XIV, Not. 107, 48.

(21) S. C. C., 23 mart. 1697, ap. Ferrar., v. *Distributio*, III, 19. Et si eleemosynam solverint pro eis celebrandis, repetitio a die iubilationis datur (S. C. C., 11 april. 1818; Lucidi, III, p. 168, n. 23).

(22) CC. 19, 27, *De Praeb.;* C. 10, Extr. Comm., *Eod tit.*

(23) Ubi autem nullae sunt praebendae, verum solae distributiones quotidianae, duae distributionum partes erunt pro praebenda (S. C. C., 3 mart. 1792; et in 24 nov. 1838, v. *Ast;* Lucidi, To. II, p. 582, n. 55). Et, ex diverso, ubi nullae sunt distributiones, sed solae praebendae, tertia pars fructuum cuiusque praebendae pro distributionibus erit (Trident., XXII, *R.*, 3). Item si distributiones quidem non desint, sed adeo tenues sint, ut verisimiliter negligantur (Trid., XXI, *R.*, 3). Sed non alias nec aliter (S. C. C., 18 dec. 1847; Lucidi, p. 262, 36). Porro massa distributionum ab Episcopo conflari debet: quo autem modo, utrum ex fructibus beneficii, an ex aliis obventionibus, in arbitrio eius est (Cf. Lucidi, To. I, p. 260, a n. 30).

(24) Cf. Ben. XIV, Not. 107, § 7.

(25) Quoad distributiones omnes canonici (quisque in suo ordine) aequo iure censentur: sed ubi non omnes canonici sunt unius eiusdemque erectionis, sed alii secundae (tertiae, etc.), quaeri potest, utrum posteriores iisdem ac antiquiores iuribus gaudeant. Et si *hi* novis hisce erectionibus *sub aliqua conditione* consenserint, conditio pro lege erit (S. C. C., 5 maii 1703, 1 febr 1766; Lucidi, III, 204, 8): sin *pure*, quaestio voluntatis est: itaque affirmandum videtur, si is qui novas praebendas fundavit (vel erexit) veterum iura communia cum novis esse voluerit (Tondut., *Quaest. Benef.*, Cap. 68, n. 15, Scarfant., *Ad Ceccoper.*, Lib. I, Tit. 14, n. 59): secus illi

inde *fructus* suos faciunt, licet absint a choro, dummodo officium recitent; sed possunt eis privari si abfuerint ultra menses conciliares (26): nisi absint ex causa legitima (27), aut gravi, quae in foro externo in aestimatione capituli et Ordinarii posita est (28).

181. Verum DISTRIBUTIONES QUOTIDIANAS amittit quisquis choro non interest, etiam vacationis tempore (29); qui ab eo recedit, etiamsi recedat missam celebrandi, vel confessiones excipiendi causa, nisi

non videntur renunciare iuribus eousque sibi quaesitis (V. Pignat., To. VI, Consult. 48: De Luca, *De Canon.*, Disc. 37, 2). At vero si quae subinde capitulo accesserint, ista omnibus pariter (quippe omnes capituli sunt) accedere intelliguntur (S. C. C, 14 april. 1714; V. Lucidi, III, pag. 206, 14; V. De Luca, *ib.*, Disc. 6, 14; Piton., *De Controv. Patron.*, Alleg. 65, 27): ut ecce emolumenta ex legatis postea relictis (S. C. C., 9 maii 1744, 20 dec. 1862; Lucidi, p. 209). Ceterum quorum iurium *novi*, eorum et onerum participes fiunt (S. C. C., 3 febr. 1776; Lucidi, p. 207). At quoad vocem activam et passivam in comitiis capitularibus, *novi* utraque gaudent; praeterquam in his, quae pertinent ad iura et negocia veterum canonicorum (S. C. C., 1 febr. 1766; Lucidi, p. 207, 17).

(26) Trid., XXIV, *R.*, 12; V. § 61, n. 51. Sed numquid eos non amittunt *ipso iure?* (S. Alph., IV, 129). Etenim Bened. XIV (C. *Cum semper oblatas*, et Liter. 19 ian. 1748 *Dilecte fili, Ad Patriarch. Aquilei.*) censuit *non psallentes* in choro, *nullo pacto* ex *praebendis* et distributionibus *facere fructus suos* (V. S. Alphen., III, 129). Minime, quia forma a Trid. (*l. c.*) praescripta, est in viridi observantia (Cf. S. C. C., in *Verulana-Residentiae*, 6 iun. 1863): quamobren Const. Ben. XIV de his praebendis intelligenda est, quae constant ex distributionibus quotidianis, prout ante (V. Barb., *De Canon. et Dignit.*, Cap. XX, 18; Lucidi, To. I, pag. 296, § 196). Sed absentes (ultra menses conciliares) letali profecto non carent (S. Alph., III, 675).

(27) Ex hoc capite absunt, 1° Vicarius generalis Episcopi diebus et horis quibus officio suo vacat (S.C.C., 17 dec. 1627; Ben. XIV, Not. 107, n. 64): 2° duo canonici quos Episcopus suis servitiis adiunxit quoad in servitio eius erunt (C. 7, *De Cleric. non resid.*); et quotquot cum eo sacram visitationem obeunt (S. C. C., 5 dec. 1626; Ben. XIV, n. 57); vel de ipsius mandato incumbunt examini pro beneficiis, vel ordinibus conferendis (S. C. C., ap. Lucidi, To. I, p. 290, n. 95): 3° administri S. Officii, vel R. Cam. Apost. diebus et horis quibus suo muneri operam dant (S. C. C., ap. Lucidi, *l. c.*): 4° denique absentes studiorum causa; sive discant, sive doceant (C. 5, § ult., *De Magistr.;* C. 12, *De Cler. non resid.;* Trid., V, *R.*, 1, in fi.). Dummodo, 1° et publica schola sit (S. C. C., 23 mart. 1675; Ben. XIV, n. 72); 2° et ipsi 25 aetatis an. non excesserint (S. C. C., ap. Lucidi, II, 369; 69); et 3° absint de licentia Ordinarii (Pius IV, C. *Sanctissimus*, 24 nov. 1564); quae ultra quinquennium dari non potest (Cit. C. 5). *Studiorum*, idest nedum Theologiae, sed et utriusque iuris (S. C. C., 31 maii 1607); immo et philosophiae, et grammatices, per quae ad Theologiam pervenitur (S. Alph., IV, 132).

(28) S. C. C., 4 apr. 1607; *Acta*, XI, 590.

(29) Ex C. un., *De Cler. non resid.* in 6° Trid.. XXIV, *R.*, 12; S. C. C., 20 iun. 1874; *Acta*, VIII, 94: non obstante consuetudine etiam

iussus (30); ac demum qui adest, sed non psallit (31): et quae isti amittunt, praesentibus accrescunt (32), *quavis collusione, aut remissione exclusa* (33). Verum praesentes, fictione iuris, habentur (34), 1° infirmi, quamvis aliud statutis ecclesiae, vel consuetudine sit introductum (35); et hi qui prudenter metuunt infirmari si ad cho-

immemorabili (S. C. C., 3 dec. 1644), et Constitutionibus Capitularibus (S. C. C., 20 sept. 1879; *Acta,* XIII, 218, 219; Reiff., III, IV, 175).

(30) S. C. C., an. 1583, prob. Sanctissimo. Qui *Superiores* admoneri voluit ut *ab huiusmodi iussu abstineant* (Ben. XIV, n. 74). Et contraria consuetudo non suffragatur (S. C. C., 1 apr. 1876, 26 iul. 1879; *Acta,* XIII, 171, 173), *nisi de legitimi Superioris licentia* (S. C. C., 23 nov. 1771; *Acta,* IX, 384; Fagnan., in C. *Licet*, n. 18, *De Praeb.*).

(31) Ex C. Ben. XIV, *Cum semper.* Et contraria sententia hodie vix probabilis dici potest (S. Alph., III, 675, d. 3). Vel confabulatur etsi interrupte, si pluries in eadem hora (S. C. C., 27 mart. 1847). Et qui e choro identidem sine iusta causa plus aequo recedit, ac proinde et is qui non psallit, letali non caret (Suar., XIII, 8). Quantum autem omittendum sit, ut heic dici quis possit letalis culpae reus, gravissimus hic Theologus non ausit definire (n. 9).

(32) C. Un., *De Cler. non resid.* in 6°; Reiff., III, 4, 182. Nec obstat Trid., XXII, 3, quo cavetur, esse applicandas fabricae ecclesiae, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarii; hoc enim pertinet ad *dignitates, personatus,* etc., qui reditus secretos a mensa capitulari percipiunt (Fagn.; Bened. XIV, Not. 107, 41, Lucidi, To. I, p. 263, 37; Reiff., n. 184). Porro accrescendi iuri fit locus quoad ea quae uni mensae, uni massae capitulari competunt (Moneta, Par. I, § 2, 3, etc.). Et iure prorsus (V. Par. II., § 363, n. 20).

(33) Trid., XXIV, *R.*, 12. Et quovis statuto, vel consuetudine (S. C. C., 22 dec., 1860; 8 aug., 1863; Lucidi, I, p. 264, 40). Quidam existimarunt, hoc, non ad praeteritas et quae iam quis lucratus est, sed ad futuras distributiones pertinere; primum quia unicuique licet de re sua disponere pro lubitu, deinde quia dolus praeteritus potest remitti (Naldus, v. *Distributiones,* n. 3; Rodrig., *Summ.*, Par. I, Cap. III, 33): quod Moneta (*De Distribut.*, P. III, Q. 5, n. 9) probabile, Bonacina (*De Hor. Can.*, Disp. II, Q. 5, § 1, n. 5) probabilissimum censuit. Sed neutrum tenet, primum enim a verbis (Bened. XIV, n. 42); alterum a mente Conc. Trid. recedit, nam secus inventa erit fraudandae legis ratio. Ceterum post distributionem eorum singulis factam, nemo prohibetur negligenti donare quod sibi ex negligentia eius adcrevit (S. Alph., III, 675, d. 2).

(34) C. Un., *De Cleric. non resid.* in 6°.

(35) S. C. C., 17 febr. 1838, v. *Iamvero;* Lucidi, I, p. 274, 54. Ubicumque aegrotaverint, nisi forte in ea ecclesia aliud obtineat (S. C. C., 16 dec. 1666; Ben. XIV, Not. 107, 46). Et licet sua culpa (S. C. C., prob. Greg. XIII, ap. Fagn., in C., *Licet*, n. 147, *De Praebend.*); v. c., si quis aegrotet dum abest sine legitima causa (V. S. Alph., IV, 130): immo et si ea data opera in morbum sese coniecerit, ut abesset a choro (Pal., Salm.), quod probabile putat vel ipse Concina, et S. Alph. (*l. c.*); quod mihi perdifficile est (V. Prol., § 171, n. 59; et S. Alph., III, 1045, in fi.). Ceterum *infirmitas probanda est coram Iudice* (S. C. C., 5 mart. 1697; Ben. XIV, n. 47), idest Ordinario.

rum accesserint (36): huc pertinent caeci (37); et senes qui nequeunt sine gravi incommodo chorum adire, vel ei interesse (38): 2° qui prohibentur, citra suam culpam, chorum adire (39), vel non adeunt ob timorem cuiuslibet damni gravis (40): III° qui absunt propter servitium ecclesiae *suae* (41). Huc pertinent canonici qui inserviunt Episcopo pontificalia obeunti, vel assistenti cum

(36) Barb., *De Offic. Episc.*, 53, 169; S. C. C., 16 dec. 1797 (*Acta*, VII, 200).

(37) S. C. C, 29 ian. 1662. Nempe ex die quo quis caecus factus est (Ben. XIV, Not. 107, 85), licet aliqua memoriter recitare possit (Fagn., in C. *Cum percussio*, num. 16, *De Cler. aegrot.*). Non item surdi (S. C. Ep., 12 mart. 1619, ap. Ferrar., v. *Distributiones; Acta*, II, 29).

(38) Ex C. 1, § *Verum, De Cler. aegrot.* Septuagenarii vero, nisi viribus valeant, facile excusantur, si interdum desint (S. Alph., IV, 130, d. 1).

(39) S. C. C., 28 apr. 1635, in 14 apr. 1736, v. *Conatur;* Lucidi, I, 278, 66. Velut, 1° excommunicati (Salm., 17, 4, 21): quamvis iuste, si postea absolutio eis petentibus differtur iniuste (S. Alph., *H. A.*, XIII, 53; IV, 130, v. *Cum*). 2° Compediti (S. C. C., 20 sept. 1685): hos autem iniuste detentos fuisse constare debet ex sententia quae transierit in rem iudicatam; sive innocens ex ea quis apparuerit, sive non nocens *ex hactenus deductis* (S. C. C., Ben. XIV, n. 53). Verum haec facti praesumptione nituntur: ideo in foro conscientiae cedunt veritati (Proleg., § 208, n. 64); sive damnatus quis fuerit, sive absolutus (Bonac.; Salmant., n. 21, etc.). 3° Exsules (S. C. C., 8 iul. 1865; *Acta*, II, 410); ideoque et relegati.

(40) S. Alph., *H. A.*, XIII, 53; aut vexationem fugientes (S. C. C., 19 aug. 1815; Lucidi, I, 278): vel propter inimicitias (S. C. C., 14 apr. 1736; Ben. XIV, Not. 107, 51); aut tempore pestis (S. Alph., *H. A.*, XIII, 53), quod tamen in aestimatione Episcopi positum est (S. C. C., ap. Ben. XIV, n. 50). Verum hi, et infirmi minime praesentes habentur si alias (v. c., dum integra valetudine erant) non consueverant chorum adire (Ben. XIV, Not. 107, 47): et ita perpetuo censuit S. C. C.; nempe pro *his horis quibus interesse non consueverant* (S. C. C., in Reatin. 12 sept. 1667). Verum, plures ex Nostris quoad infirmos contra docent (V. Salm., 16, 4, 17); et est satis probabile (S. Alph., IV, 130); *quia infirmitas hic et nunc de se excusat;* et aequum prorsus est, *ne afflictio addatur afflicto.* Quin puto idem et de aliis dicendum esse in foro conscientiae. Nam cur, sodes, afficior hac poena? Num eo quod *abfui?* sed iam poenam subii: an quia nunc *abessem?* sed numquid in peccata interpretativa animadvertimus? (V. S. Alph., \ I, 610, 661, IV). Dices, licet poenam irrogare etiam sine culpa, *si causa subsit* (C. 23, *De R. I.* in 6°): ita porro, sed officio iudicis.

(41) C. Un., *De Cler. non resid.* in 6°. Nec obstat C. 30, *De Elect.* in 6°; (V. Ben. XIV, Not. 107, 54). Vel ut sui beneficii iura tueantur, dummodo absint de licentia Ordinarii (S. C. C., 13 iul. 1667; Lucidi, I, 282, 75). *Beneficii:* non item sua tantum, v. c., quoad fructus (S. C. C., 23 mart. 1626; Lucidi, n. 76). His addendi sunt qui pulsant organa, vel cum Musicis concinunt; nisi ob id stipendium accipiant. Quaesitum est an eas lucretur Vicar. capitularis: et S. C. C., et S. C. Epp. (apud Marchet., *Prax. Vicar. Capit.*, Par. I, Tit. VII) censuerunt, non lucrari (S. C. C., 15 nov. 1659; Lucidi, I, 291).

cappa sive in ecclesiis civitatis, aut suburbiorum sibi subiectis, sive concioni in ecclesia sua cathedrali; quique ab eo mittuntur, vel eum comitantur *ad limina;* sed non ultra tres menses (42). Quotquot autem praesentes habentur fictione iuris, verius, participant etiam *fallentias* absentium, quas vocant, perinde ac hi qui sunt praesentes reipsa (43).

182. Quoad DISTRIBUTIONES INTER PRAESENTES, consulenda sunt statuta capitularia, vel consuetudines (44). His deficientibus, intererit, utrum distributiones huiusmodi sint certae ac fixae, uti legata anniversaria, etc.; an incertae ac fortuitae, ut ecce quae dantur in iustis funerum. Illae quotidianis aequiparantur (45), ideo eas lucratur quisquis, fictione iuris, habetur ut praesens in choro (46), velut infirmi (47), pulsi loco iniuste (48); nisi voluntas testatoris obsistat (49): has non item, nisi aliud aut statutis capitularibus, aut consuetudine sit introductum (50).

183. Nunc de iubilatis, coadiutis, et coadiutoribus pauca. Iubi-

(42) S. C. C., ap. Bened. XIV, nn. 59, 61; V. Lucidi, I, p. 286, § 94. Non item missam privatam celebranti (S. C. C., ap. Ben. XIV, cit. n. 61). His hodie addendi sunt in Italia, insulisque adiacentibus, qui vacant exercitiis spiritualibus decem per annum continuis diebus: nempe de licentia Episcopi, et non his diebus quibus vacare (§ 483, n. 19) prohibetur (Clem. XI, Encycl. 1 febr. 1700).

(43) Bened. XIV, Not. 107, 62; Scarfant., Palaus, contra Bonac. Et de infirmis (n. 35) et parochis (S. C. C., 23 aug. 1879; *Acta*, XIII, 105, 107) vix non definiti iuris est. Qui absunt a choro ultra menses vacationis, graviter peccant, quamvis distributionibus cedant, quae nunc recepta sententia est (S. Alph., III, 675, d. 1; Bouix, *De Capit.*, Par. III, Cap. II, § 4; Scavini, I, § 431, 3; Gury, II, § 118). *Quamvis*, etc. Quia non propter cuiusquam utilitatem sed propter Dei cultum, et ad divina ministeria obeunda, instituta sunt ecclesiastica beneficia; nisi forte non ultra tres, quatuorve anni dies absint (S. Alph., III, 675, d. 1), vel absint ex iusta causa (Suar., *l. c.*, X, 17). Quae autem sit causa iusta (nisi quis absit iussu Superioris) in aestimatione boni viri esse debet. At profecto non ea opus est, quae excusat ab officii recitatione; nam omnis lex strictius obligat quoad substantiam, quam quoad modum (Bonac., *De Hor. Canon.*, Disp. II, Quaest. I, P. II, n. 3). Ceterum si necesse sit abesse diu, petenda erit dispensatio (Suar., n. 18). Ad haec canonici tenentur adesse concionibus tempore adventus, et quadragesimae; alias distributionibus privari possunt (S. R. C., apud Gardell., 2423, 3812).

(44) S. C. C., 1 mart. 1861; *Acta*, I, 287.

(45) C. Un., § ult., *De Cler. non resid.* in 6°.

(46) S. C. C., 30 ian. 1858, et in 1 mart. 1861; *Acta*, I, 287, 288.

(47) S. C. C., 13 ian., et 5 maii 1703; *Acta*, II, 408; V. Lucidi, I, pag. 274, n. 54.

(48) S. C. C., 8 iul. 1865; *Ib.*, p. 410.

(49) S. C. C., 18 dec. 1745, 3 april. 1841; *Acta*, I, 289; V. Lucidi, nn. 59, 60.

(50) S. C. C., 20 nov. 1819, 3 apr. 1841; *Acta*, *Ib.*, p. 287.

lati infirmorum iure censentur; atque ideo eis competunt (nisi obstent statuta, consuetudo, aut testatorum voluntas) ex distributionibus quotidianis augmenta quoque ex aliorum fallentiis (51), et distributiones certae inter praesentes (52). Et ex diverso eximuntur ab obligatione missarum conventualium (53), et residentiae in loco beneficii (54). Coadiutus absens omnia per coadiutorem lucratur, perinde quasi is, non ipse, canonicus esset; ideo si uterque abfuerint, non inspicitur utrum coadiutus, sed utrum coadiutor ex legitima (v. c., mensibus conciliaribus) causa absit (55); at vero quia coadiutor coadiutum repraesentat, quae non praestaret coadiutus, coadiutor non praestat; etsi haec forte iuniores canonicos onerent (56).

184. Hactenus de canonicis lato sensu, nunc de canonicis proprie dictis, qui soli capitulum constituunt: eiusmodi sunt qui praebendam canonicalem habent, et gaudent iure suffragii (57). Hi nedum choro, sed et comitiis capitularibus rite convocatis interesse debent (58); et si ordinarie abfuerint, gravi non carent (59), praeterquam si absint, 1° quo die vacant (60); vel, 2° ex iusta

(51) S. C. C., 1 apr. 1719, 3 apr. 1841; Lucidi, III, 163, n. 2; 170, n. 28. Quamvis distributiones auctae fuerint post eorum iubilationem (S. C. C., apud Ferrar., v. *Canonicus*, IX, 105).

(52) S. C. C., 29 nov. 1770, 3 apr. 1841, 30 ian. 1858. – *Certae* (S. C. C., 30 ian. 1858 ad 3; Lucidi, III, p. 170).

(53) S. C. C., 25 mart. 1697; 12 maii 1759; Lucidi, III, p. 168, n. 23.

(54) S. C. C., 7 dec. 1718; Scavini, I, 602.

(55) Cf. Ferrar., v. *Canonicus*, X, 32, 38, etc. - *Omnia*, exceptis lucris ex punctaturis canonicorum, quae cedunt coadiuto (S. C. C., 19 aug. 1730; Lucidi, n. 92). Ideo, coadiutore non legitime absente, coadiutus punctatur, impeditus licet vel infirmus; sed in ipsius coadiutoris damnum (S. R. C., 8 maii 1617; Ferrar., n. 42). Et ex diverso coadiutore impedito, coadiutus, etsi non impeditus, nihil amittit; nisi aliud in Literis Apostolicis comprehensum sit (S. C. C., 7 nov. 1630; Ferr., n. 39).

(56) S. R. C., 16 sept. 1606; Ferrar., 53.

(57) Cf. Leuren., *For. Benef.*, III, XI, 124; Petra, in Const. I, S. Leon. M., Sect. 2, n. 9. Ideoque, ex 1° non Dignitates quae carent praebenda canonicali (nisi aliud aut statutis, aut moribus obtineat), neque canonici coadiutores; neque, ex 2° mansionarii, beneficiati, vicarii, capellani, etc.; quamvis choro, et quotidianis functionibus sint obstricti (Cf. Bouix, *De Canonic.*, Par. I, Sect. II, Cap. I).

(58) S. C. C., ap. Fagn., in C. *Licet*, n. 42, *De Praebend.*

(59) Bonac., *De Hor. Canon.*, Disp. 2, q. 1, P. 2, n. 4; Garc., *De Benef.*, III, II, 254; Salm., 16, 4, 29.

(60) Bonac., et Salm., *ll. cc.* Nisi expediendum sit negocium aliquod gravissimum (Ceccoper., Lib. IV, Tit. 4; Bouix, *De Canonic.*, P. III, Cap. 6).

causa (61), vel, 3° ut arbitror, cum levia negocia sunt. Ad haec, tenentur munia, seu officia, quisque sibi decreta, subire; ne vicario capitulari quidem excepto (62). Denique canonici ecclesiae cathedralis, cum sint consiliarii nati Episcoporum, quoties Episcopus eos in consilium suum adhibet, culpa non caret qui reticet, aut sententiam suam non palam promit, tametsi praevideat ab Episcopo respuendam (63). Inter canonicos eminent theologales et poenitentiarii: hi pene in omnibus aequiparantur (64), licet eorum munera diversa sint.

185. Canonici theologalis est, s. Scripturam interpretari (65), qua parte, quo loco (modo publico, et laicis patenti), qua hora (66), et quoties per annum (67), censuerit Episcopus. Et per se, non per alium, nisi Episcopo, ex iusta causa, permittente (68). Iubilato autem vel decrepito, vel infirmo, Episcopus ei alium substituet (69): separata *huic* ex reditibus praebendae tertia parte fructuum, quae singulis lectionibus pro rata tribuitur, vel detrahitur (70). Qua vero die legit lucratur, quasi *revera* praesens in choro, omnes distribu-

(61) Bonac., *l. c.* Scilicet sine graviori Ecclesiae detrimento. Porro iusta causa est, si ipsorum praesentia certo moraliter inutilis futura sit propter auctoritatem potentiorum (Bonac., *ib.*).

(62) S. C. C. 29 mart. 1652; Bouix, *l. c.*

(63) Ben. XIV *De Syn.*, XIII, 1, 7.

(64) S. C. C., in *Vicentina.*, 31 ianaur. 1852, § *Primo;* et *Belluecen.*, 23 april. 1864, § *Ius.*

(65) Trid., V, *Ref.*, 1. Vel theolog. seu dogmaticam, seu moralem, arbitrio Ordinarii (Ben. XIV, *De Syn.*, XIII, 9, 17; Lucidi, *De Visit.*, To. III, n. XXIII, p. 224). Verum post Encycl. Greg. XVI, *Inter praecipuas*, an. 1842; S. C. C. minus expedire putat explanari theolog. vel dogmaticam (V. *Acta*, IX, 505, 509): doctrinam autem christianam tradere, parochorum, non canonici theologi, officium esse (S. C. C., 3 mart. 1874; Lucidi., *l. c.*, n. 10).

(66) Trid., *l. c.;* S. C. C., 12 ian. 1692; Ferr., v. *Canonicus*, IX, 28. - *Modo*, etc. (V. Monac., *Formul.*, To. I, Tit. II, For. V, n. 5). *Qua hora;* sed non inter solemnia Missarum (S. R. C., ap. Gardell., n. 4318).

(67) S. C. C. 13 iul. 1645, in *Casalen.;* nisi in tabulis erectionis (S. C. C., 12 ian. 1692), vel in synodo diocesana, hisque deficientibus, consuetudine (S. C. C., 2 iulii 1707) hoc definitum sit (Cf. Lucidi III, p. 229, a n. 12). In Provincia Romana non minus quadragies per annum (Ben. XIII, C. *Pastoralis Officii*).

(68) Ex S. C. C., 29 mart. 1607.

(69) S. C. C., *l. c.;* et 30 maii 1620, 30 iul. 1701; Ferr., *l. c.*, 18, 20; non obstante consuetudine in contrarium invecta (S. C. C., 11 apr. 1807; *Acta*, X, 220). Substituendus autem est sacerdos saecularis; eoque deficiente, regularis (S. C. C., 10 iunii 1876; *Acta*, X 230). Non item si impeditus fuerit ad breve tempus (Petra, in Const. *Quasi* Innoc. VI, n. 42, To. IV).

(70) Trid., et Ben. XIII, *ll. cc.* Sed si Decessores eius nunquam legerint, quia nulla suberat legendi necessitas, nec ipse tenebitur (S. C. Epp., 8 maii 1637, ap. Ferrar., n. 32).

tiones; vel inter praesentes fortuitas (71). Vacat quo tempore DD. universitatum vacant (72).

186. Canonici poenitentiarii officium est, confessiones dioecesanorum excipere, quasi Episcopi loco (73). Verum non arctiori, quam ceteri, residentia tenetur (74): idcirco his solum diebus et horis tenetur, quibus chorus agitur. Verum in quadragesima, adventu, quatuor temporibus et maioribus anni solemnitatibus, necesse habet adesse mane in confessionario, etsi non vocatus (75). Et vacat mensibus conciliaribus; exceptis diebus quibus poenitentes frequentiores ad confessiones accedere solent (76). Dum autem confessiones audit in sua ecclesia (77), et ipse, quasi *revera* praesens, lucratur distributiones extraordinarias etiam fortuitas (78).

187. Demum canonicus, vel quisquis alius de gremio capituli, cui imminet cura animarum, dum parochi officio defungitur, censetur praesens in choro, ut *fructus* lucrari possit: quamvis retineat canonicatum ex dispensatione Apostolica (79). Lucratur quoque *distributiones quotidianas,* sed quasi absens Ecclesiae suae causa; atque ideo si parochia excitata sit in ipsa cathedrali, vel collegiata (80).

188. Canonicos *honorarios* praetereo (V. § 20, n. 7). Scilicet his vix stallum in choro, et insignia canonicalia conceduntur; non fructus, non distributiones, non ipsum suffragii ius (81). Proinde nec

(71) S. C. C., 3 aug. 1624; Ferrar., 41; S. R. C. ap. Gard., n. 3448; *nisi obstet voluntas testatoris, vel dantis* (S. C. C., 20 sept. 1879; *Acta,* XIII, 90).

(72) S. C. C., 21 ian. 1626; Ferr., n. 26. Idest iulio, augusto, et septembri (Petra, *l. c.,* n. 58).

(73) Ben. XIV, *De Syn.,* III, 4, 3. Et idcirco non cogitur diaconi, vel subdiaconi munus obire; quacumque consuetudine non obstante (S. R. C., ap. Gard., n. 2464).

(74) Ferr., v. *Canonicus,* IX, 78.

(75) S. C. C., ap. Crispin., *De visit. Pastor.,* II, § 24, n. 2.

(76) S. C. C., ap. Garz., V, IV, 122.

(77) Trid., XXIV, *R.,* 8; Barb., *De Offic. Ep.,* Alleg. 55, n. 32.

(78) S. C. C., ap. Fagn., in C. *Licet,* n. ult., *De Praeb.* - *Etiam fortuitas* (S. C. C., in *Ianuen.,* 4 sept. 1591; V. Ferraris, v. *Canonicus,* IX, 29). Et nedum cum audit poenitentes, sed verius, et dum eos expectat, si accedere soleant (Conci.: Ronc.; Salm., 16, 4, 31; Bonac.; Garz.; Pelliz.; Pal.; S. Alphons., IV, 131). Si Poenitentiarius muneri suo deerit, procedendum erit contra eum *servata forma* Conc. Tridentini (S. C. C., 7 dec. 1697; V. § 61. n. 51).

(79) Trid., XXII, *R.,* 3; S. Pius V, C. *Cupientes,* an. 1568; Fagnan., *l. c.,* n. 68.

(80) Trid., XXII, *R.,* 3; S. Pius V, C. cit.; Ben. XIV, Not. 107, 55.

(81) S. C. C., 4 iulii 1836, 11 ian. 1868 (*Acta,* IV, 189); Bouix, *De Capitul.,* Par. I, Sect. 11, Cap. 16.

residentiae (82), nec aliis canonicorum legibus sunt obstricti: uno verbo, sunt *nomen sine re* (83). Nec ius ullum habent ad praebendas vacaturas (84); et si promissae fuerint, promissio ipso iure nullius momenti est (85). Hos autem canonicis adiungere Episcopi non possunt, sine consensu capituli (86); nisi aliud consuetudine sit introductum. Agendum potius esset de officiis Episcoporum, sed ab Episcopis regi ac doceri nos oportet.

APPENDIX.

DE APPLICATIONE MISSARUM.

189. Triplex est fructus sacrificii N. L.; *generalis*, *specialissimus, et specialis;* obtigit *ille* omnibus fidelibus, et maxime his qui sacro intersunt, *iste* celebranti, *hic* ei pro quo sacrificium offertur (*applicatur*). Missam igitur applicare est, sacrificii fructum pro aliquo offerre; non generalem aut specialissimum, sed specialem (1). Duo autem heic sunt necessaria: expressa intentio celebrantis, licet habitualis tantum (2); et persona certa, ad quam terminetur applicatio (3); applicatio autem ante consecrationem, qua sacrificium perficitur, est facienda. Omnis applicandae missae obligatio oritur

(82) Scarfant., *De Can.*, Lib. I, Tit. 14. Ideoque possunt alio residentiali beneficio potiri, v. c., Parochia (S. C. C., In *Fulginat.*, 14 mart. 1648). Sed eius officia obeuntes in habitu canonicali punctantur (S. C. C., 19 aug. 1868; *Acta.* IV; 317).

(83) Ceccoper., *Lucubr. Canon.*, Lib. I, Tit. XVI, n. 7. Eos instituere potest, etiam perpetuos, tum Episcopus, tum Capitulum, sed alter de consensu alterius (Ex S. C. C., 26 febr. 1639, 6 aug. 1815, 14 ian. 1860, 6 iul. 1867; *Acta,* III, 118; Bouix, *l. c.*, § 4). Nempe sine ulla prorsus expectativa (V. Trid., XXIV, *R.*, 19); et ex iusta aliqua causa: nec plures, ne dignitas canonicalis vilescat (In S. C. C., 28 ian. 1837).

(84) C. 2, *De Concess. Praeb.;* C. 2, *Eod. tit.* in 6°.

(85) DD. in c. C. 2, *De praeb.* in 6°.

(86) S. C. C., 17 dec. 1836, 28 febr. 1876 (*Acta,* III, 138; IV, 584). Qui suis clericis *raro* et *caute* et *probatissimis* tantum: et alienis non *inscio et invito* eorum *Ordinario* huiusmodi honoris titulos et insignia impertire iubentur (Instr. S. C. C. an. 1847, penes De Angelis, in Tit. *De Concess. Praeb.* in 6°).

(1) Alex. VII, 8; S. Alph., VI, 318.

(2) S. Alph., VI, 335; V. Prol., § 133, n. 7.

(3) Clem. VIII; S. Alph., 337; V. Prol., § 133, n. 4. Verum haud necesse est applicare *nominatim* pro Seio, vel Caio, sed pro eo, pro quo tibi propositum fuit applicare, vel pro quo hodie applicandum est: et si plures seorsum stipem dederint, pro eis quo ordine dederunt: et si dederint eodem tempore, vel successive ipsi in arculam stipem contulerint, vel alter a pluribus eas collegerit paulatim, sat erit singulas pro omnibus applicare (V. Gury, §§ 356, 357).

vel ex iure, vel ex voluntate decedentium, vel ex pacto, idest ex promissione eam celebrandi (4): nobis heic de missis, quas *manuales* vocant, cum primis agendum est.

190. Principio igitur missae huiusmodi, quasi *ex pacto,* applicari debent, singulae pro singulis acceptis stipendiis (5), licet exiguis, (si exigua acceptaveris sciens volens) (6), suo loco, suo tempore. Illud regulariter non interest, utrum per te, an per alium celebres: verum, si per alium, licet ne, collato ei stipendio minore, etsi iusto? et si hoc tibi competat quo *alio* titulo, licet; sin solo titulo celebrationis, non licet (7). ALIUS titulus est: 1° *Ius* eas celebrandi; veluti si missa beneficio cohaereat (8): vel, contra, 2° *suscepta specialis eas celebrandi obligatio* (9) velut ex capellania, etsi manuali (10); 3° *dantis intentio*, utputa si legatum sit alicui ad vitam relictum (11). At si stipendium datum sit solius celebrationis titulo, non licet (12): porro hoc locum habet in missis dumtaxat

(4) V. S. Alph., VI, 317, etc.

(5) Alex. VII, 10; S. Alph.. VI, 312. *Stipendiis*, nempe lege dioecesana, vel consuetudine definitis(Trid., XXII, *De Obs.*, etc.; Ben. XIV C. *Quanta cura*); non maiori, nisi ex iusta causa (§ 405, n. 32), neque minori, si Ordinarius vetuerit (S. C. C., 16 iul. 1689; *Acta*, III, 558; S. Alph., VI, 320, d. 3). Porro taxa diocesana (seu lege, seu moribus constituta) tenet etiam Regulares (S. C. C., 16 ian. 1639), et heredes eorum qui missas, nullo statuto stipendio, reliquerint (Innoc. XII, Decr. *Nuper*, 23 nov. 1697, v. *Posito*).

(6) S. Alph., VI, 320. Nisi tam exigua sint, ut magis gratis promisisse videaris (Gury, II, 369, Q. 4).

(7) Alex. VII, 9. Ibi: *Potest Sacerdos, cui missae celebrandae traduntur, per alium* SATISFACERE, *collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.*

(8) Inn. XII, *l. c.* Si maius stipendium competat Parocho, v. c., in iustis funerum, vel *congruae* locum teneat (S. C. C., 25 iul. 1874; *Acta*, VIII, 84).

(9) Ex S. C. C., 23 mart. 1874; *Acta*, VIII, 79; Reiff., *Theol. Mor.*, Tract. V. Dist. II, q. IV, n. 33. Et ideo is qui tenetur Missam (v. c., ex capellania, vel beneficio) celebrare sine applicatione, si pro alio benefactore eam applicet, utrique obligationi satisfacit (S. C. C., 13 iul. 1630; S. Alph., VI, 324).

(10) S. C. C., 15 mart. 1745, *Acta,* VIII, 79.

(11) S. Alp., VI, 321. Quamvis testator stipendium singulis missis constituerit; videtur enim (cum legatum donatio sit) gratificare legatario voluisse. Item si detur celebranda Sacerdoti pauperi, amico, consanguineo, etc. (S. Alph., *l. c.*). Dummodo haec intentio certo moraliter appareat (S. C. C., 25 iul. 1874, ad 3; *Acta,* VIII, 94). Quid igitur si Missae relictae fuerint Seio, ut ipse *eas celebret, vel celebrari curet*, an possit excessum retinere? Negat Amost. (*De Caus. piis*, L. II, IV, 34), nec immerito, quia is *celebrans* Legatarii, *dans* Executoris munere fungitur. Nihilominus si quae alia specialis causa movit testatorem, vel dantem, ut ecce si dederit, reliquerit proprio Ordinario, vel parocho, quod quam recte dixerim viderint sapientes.

(12) Urb. VIII, et Inn. XII cit. Decr. *Nuper*. Nempe quia turpe lucrum redolet.

manualibus, quae non dantur contemplatione personae (13); et in eis, quae instar manualium habentur; cuiusmodi sunt quae traduntur ex capellania manuali, *si pro qualibet missa celebranda certa detur eleemosyna* (14), vel ex legatis missarum definito stipendio relictis (15). Itaque sacrilegii tenetur quisquis ex his detrahit aliquid, etsi modicum (16), etsi in usum pium (17): nisi alter sponte prorsus ac liberaliter, atque ideo non rogatus, excessum remiserit (18). Qui missas, quas debet, non celebrat, peccat; nempe,

(13) Cit. Decr. *Nuper;* S. Alphons., VI, 321.

(14) S. C. C. 15 mart. 1745; *Acta,* IV, 40. - *Qualibet,* ideoque, ut puto, ei qui nulla eas celebrandi obligatione est obstrictus.

(15) S. C. C., 18 iul. 1868; 25 iul. 1874, ad 1; *Acta,* IV, 41; VIII, 84. Nisi testator stipendii mentionem fecerit, non eleemosynam, sed numerum Missarum definiendi causa (S. C. C., 3 aug. 1658; *Acta,* IV, 41).

(16) Ben. XIV, C. *Quanta Cura,* § 3. Sed is levi (S. Alph., VI, 322).

(17) S. C. C., 19 ian. 1869; *Acta,* IV, 537. Parochus quoque, cui permissum est, certis diebus a quo missa pro populo applicanda esset, eam applicare pro eleemosyna Episcopo mittenda; nisi *morali certitudine constet,* excessum communis eleemosynae oblatum fuisse intuitu personae, vel ob maiorem incommodum et laborem (S. C. C., 31 iun. 1880; *Acta,* XIII, 261). Sed utrum liceat rectoribus Ecclesiarum, ex eleemosynis in eis (ut in Sanctuariis fieri solet) relictis, aliquid pro Ecclesia detrahere? Et, ut huius *decori et ornamento consulatur,* non licet; etsi propriis raditibus careat (S. C. C., 25 iul. 1874, prob. Pio IX; *Acta.* VIII, 109); pro expensis in celebratione missarum, licet, *si alios* ad id *reditus non habeant* (Innoc. XII, D. *Nuper,* ad 7): vel si alii sacerdotes, quibus ipsi non tenentur utensilia subministrare, alias missas in eis celebrare velint (S. C. C., 6 iul. 1726; Ben. XVI, Not. 56, 13).

Sed quaestio difficilis est utrum *furti* quoque teneatur is, qui stipendii partem retinet: et quaestio haec esse videtur, utrum is satisfaciat intentioni dantis. Affirmant *hoc* ex Veteribus TT. quique doctissimi, quia *per alium* celebrat: Recentiores negant, ex cit. Alex. VII, 9; et hoc S. Alph., (VI, 325, v. *Verum*) tenendum putat. Ita porro, si is partem tradidit iusto minorem, ideoque tenebitur prout usurarius: secus veterum sententia videtur probabilis. Scilicet ideo. plus aliquis dat, ut plus accipiat; non quidem ex missa (quod simoniacum foret) adeoque (ex eo quod plus dat) non quasi ex missae stipendio, sed quasi ex eleemosyna: atqui haec non fit Seio, vel Caio, verum *Saçerdoti.* Nec obstat Alex. VII, 9, quippe nimis late concepta est (V. Prol., § 189, n. 63). Ceterum extorquenda est ei qui retinuit, quasi turpe lucrum, perinde ac simoniacum; nisi aliud suadeat iustissima causa. Porro haec non pertinent ad heredem vel exequutotorem testamentarium, qui relictas a testatore definito stipendio missas. minoris celebrare facit: is enim quod celebranti ex testamento debetur contra iustitiam non solvit (V. S. Alph., *l. c.,* dub. 2).

(18) S. Alph., VI, 321, *Exc.* 2. At is qui Missam per alium celebrat alternae applicationis lege, aut nullatenus peccat, quia hoc nulli neque iuri, neque certae intentioni benefactorum repugnat, aut, si id faciat solius lucri cupiditate, leviter tantum (S. Alph., VI, 322, d. 4; *Vind. Ligor.,* p. 387, 2; Baller., ad Gury, II, 372).

si eas gratis promiserat, venialiter (19), nisi voluerit obligari sub gravi (Par. II., § 416, n. 7). Sin ex stipendio, letaliter; etsi (verius) omiserit vel unam tantum (20). Item regulariter, graviter peccat, si non celebraverit intra definitum, vel (si nullum definitum sit) *intra modicum tempus* (21); idest pro defunctis infra unum (§ 69, n. 60), pro vivis infra duos menses (22). Sed potest et post id tempus eas celebrare, nisi causa celebrationis cessaverit (23).

191. Ad ultimum, ut a tanti sacrificii dignitate omnis lucri occasio, species, suspicio, removeatur, vetitum est missas colligere ut aliis deinde celebrandae tradantur (24); et in primis id mercatoribus, et bibliopolis nominatim vetitum est (25). Nec excusantur collectores eo quod curent illas deinde celebrari per sacerdotes pauperes (26), aut datis (loco stipendii) libris diariis religiosis et piis (27), etc.; vel quia impendunt in pios usus lucrum, quod capitur ex permutatione librorum aut mercium cum eleemosynis (28). Itaque hi graviter peccant, et (quasi complices) hi quoque qui eis stipes conferunt, et hi qui eas ab ipsis accipiunt (29). Et collectores furti quoque tenentur si quid *sibi* detraxerint (30), praeter iustum officii et laboris pretium (31). Amplius: excomm. incurrunt

(19) Ronc., *De Euch.*, Cap. VII, Q. 10, R. 3; V. S. Alph., VI, 317, q. 4. Dummodo non ei promiseris, qui tenetur ea celebrare sub gravi; utputa ex voto, ex accepto stipendio, etc. Et quia, verius, nihil singulis detrahitur sive pro uno tantum applicetur missa, sive pro multis, nihil obstare videtur, quominus, si pluribus seorsum promiseris unius applicatione omnibus satisfacere possis (Gury, II, 370, 6): quae et antea multorum (Elbel, *De Contr.*, § 337; Pasqualig., q. 865; Burghaber, *Tres centuriae casuum*, III, Cas. 29) sententia fuit; etsi *ab uno eorum* stipendium acceperis (Baller., ad Gury, II, 352).

(20) Croix, VI, 11, 154; S. Alphon., VI, 317, q. 3 Contra Pal.; Sporer; Elbel; Salm., 5, 5, 39; damnum ex stipendio existimantium, quod vix non absurdum est.

(21) Innoc. XI, cit. D. *Nuper*, ad 11.

(22) S. Alph., VI, 317, v. *Praecisis.*

(23) Bonac., *De Sacr. miss.*, D. IV, Q. ult., P. VIII, n. 5; Ronc., *De Euch.*, Cap. VII, q. 10, R. 2. Velut pro defuncto, vel pro infirmo qui vita decessit.

(24) Ben. XIV, C. *Quanta cura.*

(25) Pius IX, 31 aug. 1874, ex S. C. C. Decr. ad *l. c.*, 2; *Acta*, VIII, 107. Scilicet negocium hoc aut turpe (*si fiat* lucri causa), aut (sin minus) periculosum aliquid est; quia collatitiae id genus missae interdum perpetuae sunt, quae plerumque ex fundationum tabulis; aut adventitiae, quae ex offerentium intentione, definito tempore, aut loco, celebrari debent.

(26) Pius IX, cit. Decr.; V. Gury, II, 375.

(27) S. Poenit., 19 nov. 1863.

(28) Pius IX, *l. c.*, ad 4.

(29) S. C. C., *ib.*, ad 5. Nempe, scienter.

(30) V. S. Alph., VI, 322. Vel indirecte, ea nempe re, quae loco stipendii traditur, carius vendita.

(31) Viva, in Alex. XII, 9, 8. Dummodo is *ad hoc munus sit destinatus* (S. Alph., VI, 322, d. 3).

R. P. simpliciter reserv. qui (hodie etiam clerici) missas colligunt quo loco earum stipendia *maiora* sunt, et *quo sunt minora* celebrari curaverint (32); dummodo, 1° et ipsi vere collectores dici possint, et 2° missas colligant quaestus causa (33). At, seclusa omni *studiosa collectione* (et ceteris paribus), non est illicitum merces, diaria, libros cum missarum applicatione permutare; ideoque nec clericis, seclusa quavis negotiatione, vel turpis lucri specie, eos comparare illicitum est (34).

(32) V. Prol., § 391, XII (*Mercimonium*). Hoc igitur non pertinet qui eas celebrare facit vel *eodem* ubi eas collegerat loco, vel alio ubi *eodem* stipendio celebrantur, primo quia hoc raro accidit; tum quia non est par ratio: denique quia in poenalibus uti interpretatione extensiva neque civile, neque canonicum est.

(33) Ex C. *Apost. Sedis*, loc. cit. Quamobrem, ex 1° eam non incurrit is, cui Missae dantur a se celebrandae; nec is qui ab aliis celebrandas sponte oblatas accipit (dum ne ei quasi collectori deferri videantur); nec qui semel vel iterum tantum eas colligit: nec ex 2° is qui partem stipendii, quam non tradit celebrantibus, in pios usus distribuit, impendit; nec antea incurretur quam *mercimonium* consummatum fuerit; idest post traditam partem stipendii, parte sibi retenta.

(34) S. Poenit., 6 oct. 1862; S. C. C., 24 apr. 1857, ad 6 (*Acta*, VIII, 607-659). Eoque magis licet scriptoribus librorum, vel ephemeridum moderatoribus quibus huius rei causa missae sponte traduntur, sua diaria aut libros *sic* distrahere; et sacerdotibus ea comparare: nec licet Episcopis id vetare (S. C. C., 24 apr., 30 aug. 1875; *Acta*, VIII, 659). Ait S. C. C., *seclusa*, etc.: ideo peccat qui libros (pios licet ac religiosos) minoris emit applicatione Missarum, eos dein *iusto pretio;* vel pecunia emit, missarum applicatione, *iusto stipendio* dein venditurus (V. S. Poenit., 19 nov. 1863, ap. Gury, II, 375).

Nihilominus excommunicationem Episcopo reservatam hodie incurrunt, ex decreto S. C. C. diei 25 maii 1883, laici, qui, 1° librorum aliarumque rerum mercaturam exercent, et missarum eleemosynas quocumque modo colligunt, ed sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros aliasve merces rependunt; quin excuset quod missarum numerus collectis eleemosynis respondeat, aut pauperibus sacerdotibus, eleemosynis missarum carentibus, tali modo subveniatur, vel quod lucrum ex mercium cum eleemosynis commutatione non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum et bonorum operum usum vel incrementum impendatur: 2° acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus, quamvis id faciant nullo accepto praemio.

Dixi *laici;* nam excommunicationis loco clerici, qui in praedictis delinquunt, vel a bibliopolis et mercatoribus libros aliasve merces recipiunt pro missis celebrandis, eleemosyna sive imminuta sive integra, siquidem sacerdotes sint, ipso facto suspeusionem a divinis incurrunt Romano Pontifici reservatam; secus eidem suspensioni quoad susceptos ordines sunt obnoxii, et inhabiles fiunt ad superiores ordines suscipiendos (cit. Decr. S. C. C.). Quid si laicus libros vel merces a bibliopolis vel mercatoribus recipiat pro missis, quas ipse suis stipendiis celebrandas

Nunc de Regularibus agendum foret; verum quia omnis eorum obligatio ex votis quae ab ipsis nuncupantur, sive solemnibus, sive simplicibus, initium et statum capit, perutile duxi exordiri a voto et voti obligatione. Sit igitur.

TITULUS II.

De Voto.

CAPUT I.

DE VOTI NATURA ET EFFECTIBUS.

ART. I. *Ex quibus voti substantia consistat.*

192. Votum (alias *desiderium*, *suffragium*) heic est: *Promissio facta Deo de re meliori* (1). Ordinatur ad cultum divinum, et est actus latriae (2). Promissio haec vel est gratuita, vel onerosa; gratuita, regulariter, quae Deo fit: onerosa qua cum primis alicui regulari Instituto, vel religiosae Congregationi obligamur: haec in illa, quasi species in genere, continetur, et strictius tenet: de hac serius; hic de gratuita. Age nunc, omnium promissionum, cuicumque sint factae, natura eadem et vis et ratio est: proinde votum prout quaevis alia promissio, consistit ex re, causa, consensu. *Res* quae vovetur debet esse, ut alias, determinata, possibilis, certa, haud inutilis; et si res pecuniaria sit, in dominio voventis. Sed, quod est proprium voti, in primis necesse est, ut sit Deo grata, ideoque melior sua opposita (3); alias votum pro infecto

sacerdoti tradat? Et neque suspensioni, quia clericus non est, neque excommunicationi, quia missas non colligit, nec mercaturam exercet, nec illas pro libris et mercibus celebrandas tradit, obnoxium esse existimo.

(1) Ex D. Th., 2, 2, 88. AA. 1, 2, - *Deo;* sed etsi voveat Deiparae, vel SS., promissio cadit sub voto materialiter, in quantum scilicet homo vovet Deo se impleturum quod Sanctis promittit (D. Th., 5 ad 3).

(2) *Isai.*, XIX, 21; D. Th., Art. 5. Et ideo quod fit ex voto melius est, quam quod sine eo fit.

(3) D. Th., Art. 2. Idest melior ea quae omittenda esset, ad votum implendum (Salm., 17, 1, 33). Nam, si opposita est melior, vovens obligaretur ad eam non faciendam, quod *illicitum* esset; sin par, *inutile* est votum. Verum quae sit melior interdum varie aestimatur, ex personis, tempore, causis; ut ecce, si mulier praegnans voveat ieiunare; medicus, vel magistratus orationi incumbere, cum necesse habent aegrotis, causis operam dare. Si vir voveat ducere quam defloravit: aut mulier, quae uritur, nubere, licet

erit (4): neque convalescit, etsi postea res possibilis, honesta, utilis, melior esse coeperit (5). Et si pars apta sit, pars inepta; si materia divisionem recepit, in ea quae apta est constat *votum* (6): nisi, 1° alia fuerit (aut praesumenda sit) mens voventis (7), aut, 2° pars

aliis remediis uti posset (S. Alph., III, 299). Vel, ex diverso, si quis nimis pronus ad vovendum, voveat non amplius vovere, confessario inconsulto: quamobrem si postea voveat, peccat (Laym., *h. t.* Cap. II, n. 5; S. Alph., n. 210). Ceterum catholica sententia est, votis comprehendi posse etiam ea quae sunt in praecepto (D. Th., Opusc. XVII, C. 12, Ed. Ven.); sive nova species virtutis eis addat votum, ut ecce si quis castitatem voveat; seu minus, utputa si laicus voveat audire missam die festo, vel presbyter recitare horas canonicas (Vasq.; Suar., *h. t.*, *De Relig.*, To. II, Lib. II, Cap. VI, n. 15); quia nihil prohibet aliquid ex pluribus causis debitum esse.

(4) D. Th., 2, 2, 88, 2 ad 3.

(5) Sanch., *D.*, IV, 7, 19; Salm., 17, 1, 88. Ut puta si castitatem voverat is qui, spe matrimonii, seduxerat virginem, quae postea decessit (V. Par. II., § 315, n. 14).

Ex dictis igitur, nullum est (ut a postremis, utpote facilioribus, ordiamur) votum, I. *rei non melioris*, ut ecce si mulier voveat nubere (Salm., nn. 38, 39); II. *rei inutilis*, veluti si voveat non nere sabbatis, aut si quis, ex equo decidens, voveat non amplius equum ascendere (V. S. Alph., 204); III. *rei incertae*, idest non determinatae; puta si quis voveat facere *quod in se est*, ad vitanda omnia peccata venialia (Suarez. III, 10); IV., demum *rei impossibilis*, et nedum physice, v. c., peregrinationem transmarinam pedibus obire, sed et moraliter: moraliter vero impossibile accipere debemus quod, pro fragilitate humanae naturae, sine speciali prorsus divinae gratiae auxilio perfici nequit. Ex hoc capite irritum est votum, 1° non admittendi ullum veniale (D. Th., 1, 2, 109, 8); et Lugo *stultum* vocat vel solum *propositum* huiusmodi (*De Poenit.*, 14, 129); 2° faciendi quidquid perfectius esse intellexeris, sine speciali instinctu S. S. (S. Alph., 203): quod votum Ecclesia *maxime arduum* appellat: eoque magis, 3° votum inhaerendi Deo iugi caritate (actuali); quod ego devotam prope dementiam dixerim, cum hoc solis comprehensoribus datum sit (D. Th., 2, 2, 24, 8). In summa, ascensiones in corde suo disponere bonum est (*Ps.*, LXXXIII, 6); ardua nimis et difficilia velut uno conatu aggredi, periculosum (V. S. Alph., *La maniera di meditare ed orare. - Metodo pei proponimenti*): quin *expedit interdum refraenatione uti etiam in bonis studiis et desideriis* (Da Kemp., *De Imitat. Christi*, Lib. III, Cap. XI). Haec vovere, regulariter temerarium; aliis suadere novum in Ecclesia, et periculosum est.

(6) V. Prol., § 168, n. 42. Itaque si res divisionem non recipit, votum plane nullius momenti est (Salm., 17, 1, 74, 77). Itaque si voveris confiteri, vel templum extruere, nec possis, non teneris actum contritionis elicere, vel aediculam excitare (Suar., II, 2, 5): at si voveris ieiunare *in pane et aqua*, vel ire Lauretum *peditem*, et nequeas *sic* ieiunare, vel ire, teneris ieiunare *ut alias*, ire *equo* vel *curru*.

(7) V. S. Alph., VII, 202. *Alia sit*, etc., nempe si haec voveris per modum unius (Salm., n. 74): ut ecce si voveris aediculam extruere et dotare, vel ieiunare tali die; et postea non possis dotare, vel a carnibus abstinere (Suar., *l. c.*). Aut sit *praesumenda*, etc.: nempe quoties voti obligatio onerosior fieret: itaque si vovisti Lauretum ire equitem, non teneris, etsi commode possis, peditem ire.

apta sit accessoria (8), aut, 3° votum sit alternativum (9); quod contra regulas iuris (prout alia multa in votis alternativis), apud Nostros aequitatis gratia receptum est.

193. Causa honesta esse debet. Sed an turpis vitiet semper, quaestio est penes TT. abstrusissima: dicam plane quod sentio. Si causa est per se mala, et est principalis, vitiat semper; ut ecce si voveas eleemosynam, *eo quod* litem iniustam vicisti, inimicum occidisti; vel si illam viceris, hunc occideris (10): secus si vel, 1° est mala solum *ex circumstantiis*, puta quod filium ex concubina suscepisti, aut, si ex duello redieris incolumis (11): vel, 2° si est *secundaria* tantum et impulsiva; veluti si, studio quidem perfectionis Religionem voveas, sed, ex inordinato appetitu piscium, carthusianam eligas (12): scilicet, cum haec separari possint a causa principali et motiva, utile per inutile non vitiatur.

194. Deinde opus est consensu, idest promissione, voventis, Deique acceptatione. PROMISSIONE (nec propositum (13) sufficit); nempe facta vel solo animo et cogitatione, quia Deus intuetur cor; verum scienter ac libere. *Scienter:* nullum itaque est votum, quod quis vovit errore lapsus; sive erraverit, 1° circa *rem* voto promissam; nempe, si error fuerit substantialis semper (14); sin accidentalis,

(8) Ex C. 42, *De R. I.* in 6°. Puta si voveris templum aedificare in honorem *Beatae* (V. § 16, n. 33, v. *Et haec*) Columbae Virginis Reatinae, inque eo Deiparae statuam ponere.

(9) Salm., 17, 1, 140. Puta si voveris *orare, aut ludere* (S. Alph., III, 203, 224, not. 3); tametsi non ignoraveris alterum esse rem voto ineptam (Sanch., *D.*, IV, 10 18). Quid si voveris duo, quae una simul praestari non possunt; e. c., et ieiunare singulis sextis feriis, et singulis diebus ministrare aegrotis in patrio nosocomio; et in aliqua sexta feria utrumque praestare non valeas; utrum sit praestandum quod *mavis* (S. Anton., Sanch., etc.), an quod *dignius?* (Laym., S. Alph., etc.). Neutrum prorsus, si quid opinor; sed si ea simul voveris, quod mavis; sin successive, quod dignius; nempe *illic* voventis, quasi debitoris, electio esse debet; *hic*, si dignius est quod prius vovisti, posterioris voti *nulla* est obligatio.

(10) Caiet., 2, 2, 88, 2; Suar., II, 3, V, 8; Sanch., *D.*, IV, 6, 13; Salm., 17, 1, 66. Vel ieiunare, ut sumptibus parcas (S. Alph., III, 206). Nisi aut finis in conditionem *causalem*, aut votum in poenam recidat (Laym., II, 7): v. c., *Voveo eleemosynam, si filium ex Aspasia* (concubina) *suscepero* (Salm., n. 69); *Religionem, si in duello adversarium occidero* (Laym., *l. c.*).

(11) Busemb., ap. S. Alph., III, 206, 6. - *Communissima.*

(12) Laym., II, 7, v. *Iterum.*

(13) C. 2, *h. t.;* D. Th., 2, 2, 88, 1. Qua in re voventes facile decipiuntur (S. Alph., *Prax Conf.*, II, 35). Et si quis promiserit quod forte est in praecepto, in dubio, magis propositum intelligitur quam votum, ne illud violando bis peccet.

(14) S. Alph., III, 192; II, 311, 9.

si efficax fuit, idest si sciens non vovisses (15): sive, 2° circa *causam* vovendi; nempe si haec fuit motiva, semper (16); sin impulsiva, quum fuit efficax (17): sive, 3° circa *obligationem* quae oritur ex voto (Par. II., § 303, n. 35): ceterum ea cognitio sufficit, quae satis est ad peccatum letale (18). *Libere:* ergo irritum est votum quod quis vovit compulsus metu incusso ad votum extorquendum, gravi, et iniusto (Par. II., § 304); quae Nostris probabilior (19) sed forte non verior (Par. II., § 305, n. 53) sententia est. Deinde opus est Dei ACCEPTATIONE, et hoc planum est (Par. II., § 517, n. 23): at vero haec nunquam deest, ceteris paribus (20).

195. Omnes autem vovere possunt, qui possunt contrahendo naturaliter obligari, etiam vix maiores infante (21). Verum eis qui sunt sub potestate alterius dominativa (ceu religiosis, filiisfam., uxoribus, servis) non aliter vovere permittitur, quam sub ea conditione tacita, vel expressa, *si is*, cuius potestatis est, *non contradixerit* (22). Si nihil igitur ex his desit, constat votum: quod si non appareat, utrum defuerit aliquid, pro eo respondendum erit, pro quo stat possessio, seu libertate, seu voto. Itaque si, v. c., non satis appareat, utrum *res* sit apta voto, an *causa* fuerit honesta, votum non tenet (23): sin utrum plena *deliberatione* voveris, siquidem vovisti nondum completo septennio (24), vel dum evigilabas, libertati: sin utrum inconsiderate (forte infantiae proximus, vel ebrius, vel quia, voto facto, te statim eius poenituit), votum obligat (25).

196. Vota variant vel ex re vel ex modo. Ex re (quae vovetur), sunt vel realia, vel personalia: *realia,* quibus aliquid dandum: *personalia,* quibus aliquid faciendum promittitur (26). Ex modo, sunt vel *pura* vel *conditionalia. Conditionalia* quae pendent ex eventu extrinse-

(15) D. Th., in 4, D. 48, Q. I, Art. 3, q. 1 ad 1; S. Anton.; S. Alphons., III, 187, 198, 227, 720.

(16) Salm., 17, 1, 158. Ut ecce si voveris pro sanitate filii, qui iam vita decesserat, aut convaluerat.

(17) S. Alph., III, 198; V. Par. II., § 301.

(18) Suar., IX, 5; Salm., 17, 1, 9. Sed V. Baller., III, *h. t.*, 7.

(19) Ex C. 1, *De iis quae vi;* S. Alph., *H. A.*, V, 23.

(20) Ex *Deuter.*, XXIII, 21.

(21) D. Th., 2, 2, 88, 9.

(22) D. Th., 2, 2, 88, 8 ad 1.

(23) S. Alph., III, 196, v. *Id.*

(24) Busemb., ap. S. Alph., 196.

(25) Ex C. 2, *h. t.;* Suar., VI, 10. Item si dubites, an cum vovisti tuae aetatis fueris (V. Prol., § 35, n. 17); an, si coactus metu, utrum gravi etc. (S. Alph., *l. c.*).

(26) Suar., 12, 1. Vota quibus utrumque continetur magis *duplicia* sunt quam mixta; quid si consistit in non faciendo? Et haec quoque personalia esse palam est, nisi in servitutem passivam recidant (V. Par. II., § 155); v. c., non tollendi aedes suas, ne lumina vicini templi obscurentur; non impediendi quominus aliqua solemnis supplicatio per suum ducatur, etc.

cus adiecto, futuro et incerto (27). Conditio, regulariter, adiicitur ad aliquid vel obtinendum (puta sanitatem), vel cavendum (v. c., ebrietatem): quod autem quis vovit ad aliquid cavendum poena est eius quod non cavit (v. c., ebrietatis), ideo *Votum poenale* dici solet (28). Hoc, si est *mixtum poenale*, ideoque duplex, votum quo continetur id quod vovens cavere intendit principale est; votum quo poena promittitur est accessorium (29); ideoque, 1° *hoc* pro infecto erit si res quae principaliter vovetur non sit apta voto (30); et, 2° corruit si obligatio voti principalis iure sublata fuerit (31); et, quia votum quasi lex est, quam vovens sibimet ipse indicit, 3° quaecumque alias excusant a poena per leges inflicta, a voto quoque poenali excusant, excepta aetate (32). His addi possunt vota *perpetua*, vel *temporalia:* ac demum *reservata* (R. P.) et *non reservata:* sed tempus et reservatio, quod ad vim aut naturam voti, nihil mutant.

(27) Prol., § 41; Sanch., *D.*, IV, 23, 1. Et conditio turpis, vel impossibilis vitiat (Par. II., § 307, n. 1) votum (Salm., 17, 1, 165; S. Alph., III, 219).

(28) Ex § 36, *De Legat.;* Suar., I, 19, 3. Et vel *purum* poenale est, vel *mixtum poenale* (Prol., § 207): illud unicum est, hoc duplex (Salm., 17, 1, 74). Purum, v. c., *voveo ieiunare, si lusero.* Mixtum, *voveo non ludere, et si lusero ieiunare;* aut *voveo non ludere sub poena ieiunii* (Sanch., *D.*, IV, 22, 1): illud obligat prima vice tantum; hoc semper, nisi poena sit gravissima (S. Alphons., III, 223). Poenae nomine, non alio: proinde qui vovet, v. c., Religionem ingredi *si lubrico lapsus fuerit,* non ad patratum crimen coercendum, sed ad futura vitanda, votum poenale non intelligitur, quia non poenam, sed medicinam vovet (V. Sanch., *D.*, IV, 40, 82). Quare mixtum vere poenale esse *omnes* conveniunt: de puro non convenit (Sanch., *M.*, VIII, 10, a n. 1): recentiores et hoc poenale esse tenent et est favorabilius. Sed et si aliquid voveris in poenam criminis iam perpetrati, poenale est (Collet, *De Religione,* Par. II, Cap. V, art. 1). Et iuri congruit (§ 36, *De Legat.*).

(29) Laym., V, 2; Sanch., nn. 4, 5, 9.

(30) Sanch., et Laym., *ll. cc.* Ut puta si voveris ieiunare *si non nupseris,* etc.

(31) Laym., *ib.,* Coroll. 2; S. Alphon., III, 223. Utputa irritatione, vel dispensatione, vel si res voto apta esse desierit (Sanch., n. 7). *Corruit:* unde si votum iam antea violatum fuit, poena illico tenuit voventem (Sanch., et Laym., *ll. cc.;* Salm., 176, 17, 1).

(32) V. Prol., § 318, n. 76. Et in primis ignorantia (vel inadvertentia) seu facti seu legis, idest ipsius voti (Laym., n. 3; Salm., 175; S. Alphons., *l. c.*) si forte eius non meminit, licet animadvertat se rem turpem facere (cit. § 318, n. 82).

Art. II. *De Voti obligatione.*

197. Voto is qui vovit obligatur Deo (1); nempe, prout in donationibus, ex iustitia (2). Et si votum sit in favorem tertii, vel personae moralis, huic quoque obligatur (3); nempe si et vovens ei principaliter voluerit obligari, et tertius acceptaverit votum (4). At quatenus obliget, hoc pendet ex materia voti, et ex intentione voventis (5): si haec non appareat, votum in re gravi obligat quoad tertios, ceu quaevis alia gratuita promissio (Par. II., § 416, n. 7), sub levi (6): quoad Deum vero sub gravi nempe propter supremi Numinis reverentiam (7). Et fere ad instar praecepti ecclesiastici (8): et si in legibus Ecclesiae nihil simile comprehensum sit, ex usu et receptis moribus et ex natura rei votae aestimandum erit quatenus obliget (9). Verum, quia gratuito promissa non sunt amare exigenda,

(1) *Deuter.*, XXIII, 21. *Is qui vovit* non alius (Ex C. 6, *h. t.*): tum qua est *promissio* (Par. II., § 416, n. 1), tum qua est *actus Religionis* (Suar., IV, 9, 2; Sanch., *D.*, IV, 15, 14). *Certissima* (V. Salm., 17, 1, 116). Quamobrem si pater, v. c., voverit aliquid aegroti filii sui nomine, si is convaluerit, neque pater tenebitur quia non pro se vovit, neque filius quia non vovit (V. Par. II., § 410, n. 19; Suar., n. 4), nisi is votum ratum habuerit (Ex cit. C. 6; V. Suar., n. 2).

(2) Laym., III, 1; Ex LL. 1, 2, *De Pollic.*

(3) Sanch., *D.*, IV, 41, nn. 7, 13, 14. Secus est si voveris pauperibus generatim, etsi acceptaverint (S. Alphons., cit. n. 225, v. *Sed hic*); v. c., pauperibus Oppidi N.; scilicet contrahitur cum *individuis*.

(4) Salm., 17, 3, 10; Suar., VI, 15, 2; S. Alph., III, 192; V. Par. II., § 410, n. 25. - *Principaliter*, quae verior sententia est: itaque si dotem quam Deo voveras dare puellae inopi, postea Seiae acceptanti iuratus promiseris; huic obligaris velut *accessorie*, quia causa motiva vovendi, Dei cultum, non puellae utilitatem; respicit (S. Alph., 255).

(5) Ex C. 6, *De Donat.;* Lugo, *De Iust.*, XXIII, 122. Quippe legem sibi constituit (D. Th., 2, 2, 88, 10). Ideo potest in re gravi velle se obligare sub levi (Sanch., *D.*, IV, 1; Salm., 17, 1, 106); at non contra, esset enim fatua promissio (Schmalz., IV, 1, 34).

(6) S. Alph., III, 255, v. *Notandum.*

(7) C. 6, *h. t.;* Clem., *Exivi, De V. S.* - *Nempe*, etc. (Ex D. Th., 2, 2, 89, 8). In re levi sub levi (S. Alph., III, 211).

(8) Sanch., *D.*, IV, 2, 31; Salm., 17, 1, 105; S. Alph., III, 221, 1038. Itaque si voveris, e. c., quotannis ieiunare in vigilia B. M. V. Immaculatae, 1° uti poteris caseo et ovis (Salm., n. 37; Sanch., IV, 7, 9); 2° si festum incidat in fer. II^{a} poteris ieiunare in sabbato praecedenti (Salm., n. 64); 3° votum cessat, te 60 aetatis ann. ingresso, nisi voveris ieiunare *quoad vixeris* (S. Alphons., 1038).

(9) V. Laym., III, 3. Hinc, v. c., si vovisti recitare rosarium, sat erit tertiam eius partem (Salm., 17, 1, 136); etiam divisim decadibus (Sanch., n. 40) recitare; vel cum socio (Croix, III, I, 432).

in dubiis benigniora semper praeferenda sunt, et quod minimum est sequendum erit (10). At vero semper id praestari debet quod promissum est, et suo tempore, ut alias.

198. Quod promissum est: nec aliud praestari debet, aut potest (Prol., § 166, n. 29); nisi auctoritate Ecclesiae commutatum fuerit. Proinde si personale sit votum, non poteris illud per alium praestare (11); sin reale, non debes (si rem non potes) rei aestimationem persolvere (12), Si *incertam* rem voveris, siquidem incertum est *quid*, aut *quantum* promiseris, utrumque statuendum erit arbitrio boni viri (13); sin *quale,* sat erit dare quod cultui divino in eo genere idoneum est (14); et si quid *pluries* facturum voveris, sat erit fecisse bis (15). Denique in votis alternativis, etiam uno electo, permitteris alterum dare (16): vel, si ante electionem unum casu perierit, aestimationem alterius persolvere (17). *Suo tempore,* idest a vovente statuto: verum, quia debitum iustitiae est, si praevideas (V. Prol., § 167) eo die impleri non posse, *antea* (18); et si suo

(10) C. 12, *De Cens.;* V, Par. II., § 333, n. 21; Sanch., *M.,* IX, 34, 3; Laym., III, 4, Salm., 17, 1, 134; S. Alph., III, 224. Quocirca si voveris, e. g., in aede sacra donum statuere, et in ea et aurea, et argentea, et aerea sint dona; aereum ponendo satisfacis (Laym., *l. c.*). Si abstinere vino, aut lacticiniis, non prohiberis bibere cerevisiam, aut vesci carne (Sanch., IV, 11, etc.). Si voveris ieiunare, vel sacrum audire, quotidie, non cogeris ieiunare dominicis diebus (Salm., 21, 11, 8), nec in festis bis divinum audire (S. Alph.). Et si pluries per diem carnem comederis, probabilius pluries graviter peccas (Croix, 438); non item, verius, si pluries comederis (§ 135).

(11) Suar., IV, 10, 4. – V. c., si voveris inservire Xenodochio, persolvere quanti hoc officium valet (Sanch., *D.,* IV, 13, 32).

(12) Suar., VI, 19, 12; Sanch., IV, 49, 16. Et in dubio, utrum personale sit an reale, personale censetur; ut ecce si voveris praestare operas tuas in templo construendo (Suar., IV, 11, 9), vel applicare missam pro infirmo (Laym., III, 11).

(13) Sanch., IV, 13, 4. Quamobrem si, v. c., orationem, aut eleemosynam voveris, ridiculum est, te obligatione voti recitatione unius *Ave,* vel unius teruncii praestatione liberari (Sanch., *D.,* IV, 13, 15). Dices: in iure civili inutilis est haec obligatio. Ita porro, quippe derisoria est (Par. II, § 300, n. 2), verum Deus non irridetur (Suar., IV, 8, 10).

(14) Ex L. 37, *De Legat.,* I; Suar., IV, 8, 9. Itaque si voveris calicem dare, nec aureus, nec ligneus dandus est, sed aptus sacro (Salm., 21, 1, 140). Et si alius dederit nomine tuo, inscio te, ratihabitione satisfacis (S. Alph., III, 217).

(15) Ex L. 12, *De Testib.;* Salm., 17, 1, 140.

(16) S. Alph., III, 224, v. *Quaeritur.* Porro electio competit voventi quasi debitori, prout alias (Par. II, § 328, n. 4). Quae tunc intelligitur, non cum vovens secum constituit, hoc vel illud praestare, quippe hoc in propositum recidit, sed cum id constituit quasi cum Deo agens, animo se obligandi (Suar., VI, 24, 3; Laym., VIII, 12).

(17) Sanch., IV, 13, 25; Salm., 17, 1, 142, ibiq. Moli, Pal., etc. Contra Par. II, § 328.

(18) Laym., III, 3.

tempore non impleveris, *postea* impleri debebit (19): nisi alia fuerit mens voventis (20). Si autem vovit sine certa die, votum implendum erit *intra modicum tempus quo primum vovens possit sine magno incommodo suo* (21) :et est grave differre diu, sine iusta causa, vota temporalia ultra duos tresve annos; perpetua (quia dilatione minuuntur) ultra sex menses; immo brevius, si exinde eius aut obliviscendi, aut non implendi periculum subeas (22).

199. In voto conditionali, quamdiu conditio in pendenti erit, grave est voventi quidvis facere, vel omittere, quod rem promissam voto deteriorem facere possit (Par. II, § 308, n. 9). Et si interim mutaverit voluntatem nihil agit (23). Ea impleta praestare debet quod vovit, dummodo impleta fuerit tota et in forma specifica (24). Si conditio defecerit, votum cessat, nisi vovens ipse curavit ne conditio existeret (25): at si conditio in potestatem alterius collata fuit,

(19) Sanch., *D.*, IV, 14, 25. Seu reale, seu personale sit votum (Salm., 17, 1, 131).

(20) Cf. Suar., IV, 13, 9. Ut in votis quae diei sunt affixa; idest quae cum primis pertinent ad devotionem alicuius diei: in his enim obligatio ante hunc diem non intelligitur; et eo transacto evanescit (Suar., IV, 4, 5). In dubio utrum vota sint affixa diei, personalia affixa censentur, realia non item (S. Alph., 219, 220; Cf. Suar., C. XIII).

(21) Ex L. 13 in fi., *De Statu liber.; Deuter.*, XXIII, 21; *Eccl.*, V. 3; V. Par. II, § 319, n. 22.

(22) S. Alph., III, 221. Sed et totum praestari debet: et si totum praestari non possit, perinde erit quasi pars apta, pars inepta vota fuisset. Quamobrem (V. § 431, n. 1) si voveris ieiunare in pervigilio, e. g., B. M. V. sine labe conceptae, nec eo die possis, vel si in eo, altero prandio, vel (secus ac in ieiunio ecclesiastico) carnibus vesci opus habeas, votum cessat (Laym., III, 3; Salm., 137; S. Alph., 214, v. *Qui*).

(23) Lugo, *De Poenit.*, XIII, 123, *Omnes*. Scilicet quaesitum creditori ius invito extorqueri amplius non potest. Nisi votum fuerit poenale, quia is qui poenam vovit non illud quoque vovere intelligitur, ut se ei praestandae servet idoneum (Sanch., *D.*, IV, 22, 11). Ut ecce si vovit Religionem intrare, vel dotare puellam, si luserit aleis; et antequam ludat uxorem ducat, vel donet omnia bona sua.

(24) *Tota* (V. Par. II, § 308, n. 13; Sanch., *D.*, IV, 23, 6; S. Alphon., 218). Et si *vovens* duas conditiones adiecit, v. c., *si pater consenserit, soror nupserit*, nec recordetur, utrum copulative, an disiunctive, nonnisi utraque impleta tenebitur (Salm., 17, 1, 16; Sanch., n. 19). *In forma specifica* (Salm.; S. Alph.; III, 219). Quod heic (V. Par. II, § 308, n. 12), quia versamur in obligatione gratuita, et ad scrupulos removendos, tenendum puto.

Quid si ignorans vovit sub conditione, quae iam extitit? Et siquidem ut a Deo aliquid impetraret, votum cessat, utputa *si filius meus sanitatem receperit*, et iam convaluerit filius: sin ut gratias referret, tenet votum, v. c., *si uxor mea peperit masculum*, et illa iam marem enixa fuerit (V. Sanch., *D.*, IV, 23, 23).

(25) L. 85, § ult., *De V. O.;* Ex C. 66, *De R. I.* in 6°. Puta si voverit in templo statuam ponere, si in anno proximo uxor pepererit filium, vel debitor solverit: et ipse toto eo anno ab uxore discedat (Par.

et is factó (etiam vi, aut fraude) voventis effecit ne conditio existeret, votum cessat (26).

200. Eum qui votum non implet, Deo fidem fallere, atque ideo peccare graviter in re gravi, liquet ex dictis; heic videamus, si fecerit aliquid contra votum: an valeat. Et si ille voverat aliquid FACERE, et postea contra fecerit (v. c., castitatem servare, et uxorem duxerit), valet quod fecit, quia vota neminem contra faciendo inidoneum reddunt (27). Sin DARE (v. c., ecclesiae calicem, fundum), siquidem illud postea alii *promisit*, promissio irrita est (28), quippe illicita: sin dedit (v. c., vendidit Seio), rei dominium transfert in accipientém, quia *votum personam voventis, non rem quae vovetur, obligat* (29).

CAPUT II.

VOTA QUEMADMODUM CESSENT.

ET DE IRRITATIONE ET DISPENSATIONE SEU COMMUTATIONE VOTORUM.

201. Principio neminem a voti, cui se pure vel purificata conditione obstrinxerat, prout a quavis alia etiam gratuita obligatione, solvere seipsum posse, exploratissimi iuris est; sed vota cessare possunt pluribus modis. Nam ea, quae quis laicus vovit, solemni professione religiosa, quadam quasi commutatione, extinguuntur (1). Deinde, quia votum est promissio gratuita, ad Dei cultum pertinens, 1° qua est *promissio*, cessat, si aut res voto promissa dari posse desiit (2), aut causa cessavit (3); et si postea res iterum dari posse

II., § 309, n. 24), vel prohibuerit sibi offerri pecuniam, vel non accipiat (L. 3 pr., L. 20 pr., *De Statu liber.*). Scilicet vovendo *legem* sibi dixit.

(26) Salm., 17, 1, 170, 171; S. Alph., III, 218. Sed *si vovens dolo* fecerit aut vi, sacrilegio non vacat (V. Par. II., 309, n. 24).

(27) Suar., IV, 6, 3.

(28) Suar., IV, 16, 2.

(29) L. 2, *De Pollicit.*, 107, 26. Proinde is qui accipit, non tenetur restituere, etsi acceperit sciens prudens (Suar., IV, XVI, 11, 12; XVII, 16). Hac re, si is cum ea, quae castitatem voverat, coierit nuptias conscius voti, non prohibetur debitum petere (Suar., *l. c.*; Sanch., *M.*, IX, 53, 2).

(1) C. *Scripturae, h. t.*; D. Th., 2, 2, 88, 12 ad 1.

(2) Ex L. 140, § 1, *De V. O.*; Laym., VIII, 2. Ut ecce, si Titius Religionem vovit, et postea, promisso matrimonio, Lucillam defloravit. Verum si adhuc ex parte praestari potest, haec proculdubio praestari debet (D. Th., 2, 2, 88, 3 ad 2); ideo Titius, inito matrimonio, reddere debet, etsi *petere* nequeat (Sanch., *M.*, IX, 33, 11). Et si votum alternativum fuit, et unum perierit, nec in eo quod superest constat votum (Sanchez, *D.*, IV 13, 24; V. § 197, n. 16).

(3) Ex C. 60, *De Appellat.*; Suar., IV, 18, 4. Licet *impulsiva* tantum (Par. II., § 301). Ut ecce, si Caius voverit Seio quotidie eleemosynam facere, vel domum A. propter Aspasiam

coeperit, aut causa redierit, si obligatio voti in perpetuum cessaverat, non reviviscit; nisi cessaverit ex gravi culpa voventis (4): 2° qua est promissio *gratuita*, cessat, si ea supervenerit mutatio rerum, qua extante is haud vovisset (5): 3° qua *ad Dei cultum* pertinet, cessat, si quod promissum fuit evaserit inutile vel indifferens. Demum morte voventis voti personalis obligatio evanescit (6); realis, quasi debitum in heredes transit (7).

202. Ad haec, tolli possunt per legitimam potestatem, nam esse prorsus indissolubilia, Ecclesiae, familiis, ipsisque voventibus non mediocriter perniciosum foret. Potestas huiusmodi duplex est: do-

lascivam puellam non intrare, Seio divite facto, vel Aspasia nupta (Salm., 17, 3, 16). Et cessat licet haec acciderint non sine gravi culpa voventis (V. Prol. § 171, n. 59; et D. Th., 2, 1, 88, 3 ad 2). Nam si *res* defecit, impossibilium nulla est obligatio; sin *causa*, quorsum votum? (Salm., 17, 3, 18).

(4) V. Par. II., § 326, nn. 42, 43. – *In perpetuum:* alias magis in suspenso erit votum: itaque (n. 3) Seio paupere iterum facto, Aspasia vidua domum reversa, Caii votum illic reviviscit, hic non item. *Nisi* etc.: proinde Titius (n. 2), Lucilla uxore mortua, tenetur religionem ingredi (Sanch., *M.*, IX, 33, 16). Et in commutationibus, *primum* votum, quia licite extinguitur, nunquam prorsus reviviscit, etsi postea *novum* culpa debitoris dari posse desiit (Suar., VI, 19, 9; Sanch., *D.*, IV, 49, 26; Salm., 17, 3, 164): ut puta, quae Monachus, eiectus e Religione (n. 1) saecularis voverat (Sanch., n. 18). Et iure prorsus, quia prioris voti restitutio instar poenae foret. Verum hodie plures id negant, si commutatio propria auctoritate sit facta. Limitationem hanc omnium, uti videtur, primus invexit *Ludov. a Cruce*, subobscurus theologus, eamque subinde adoptarunt Tamb. et Leander; tum placuit Salmant.; cumque eam denique probasset (S. Alph., III, 249), pedibus in eam iverunt recentiores, uti Bouv., Scavi., Grassi, Gury, etc.: scilicet, aiunt, prima obligatio non extinguitur, quia commutatio facienda est auctoritate Ecclesiae. Sed adsit reverentia vero, hoc minus consequenter dici videtur: nam commutatio fit inter creditorem et debitorem, et *heic* Dei, quasi creditoris, acceptatione innititur tota: aut igitur haec acceptatio deest, et commutatio nec in re meliori valet (V. C. 3, *De Iureiur.*), aut adest, et prior obligatio extinguitur ipso iure, et in novam obligationem transit. Atqui adest (Salm., 132, 134).

(5) D. Th., 2, 2, 100, 3 ad 5; S. Ant.; S. Alph., III, 266; V, Par. II., § 416, n. 10.

(6) Suar., IV, 9, 2; Sanch., *D.*, IV, 15, 14; Salm., 19, 1, 116 – *Certissima.* Nisi defunctus nominatim iusserit heredibus ea praestari (Laym., III, 13, v. *Dico*), non esset quasi conditio institutionis: ut ecce si mandaverit Lauretum ire (V. L. 2, *De Condit. instit.*).

(7) L. 2, *De Pollicit.;* C. 18, *De Censib.* Quasi debitum (§ 196, n. 2). Ideoque etiam invito vovente (Sanc., IV, 15, 28); et, deducto aere alieno et legitima, ante legata (S. Alph., III, 214, 215); at non ultra vires hereditatis (Laym., n. 13, III). Amplius; si defunctus ex duobus, quorum alterum personale, alterum reale aliquid erat, unum voverit, et, nondum facta electione decesserit, *hoc* debebitur (Suar., IV, 9, 6; Laym., II, 14), quia utrumque fuit in obligatione; et, voto personali impossibili facto morte voventis, pura fit obligatio (Par. II., § 328, n. 11).

minativa (Prol., § 71, n. 5), seu potius domestica; et ecclesiastica, seu iurisdictionis. Utraque voti obligatio aut plane dissolvitur, aut suspenditur; sed *hac* praeterea datur voventi, ut aliud pro alio solvere possit. Illa profluit ex naturali equitate, iure positivo explicata ac definitiva (8); haec ex iure divino, seu ex potestate iurisdictionis (9): quamobrem *illa* quis utitur iure ac nomine suo: *hac* ex divina auctoritate et, Dei quasi creditoris, mandato: ac proinde illa valide, et, regulariter, licite utitur etiam sine iusta causa; hac non item (Prol., § 232, n. 26). *Illa* exercetur vel cum invito, *haec* non item (10); *illa* procedit improbando, *haec* indulgendo (11).

203. Utramque tueri, et sartam tectam servari publice interest, atque hoc nomine utraque pertinet ad ius publicum: hac re nemo potest se ea abdicare (12), licet munere, officio, cui illa cohaeret, fortassis abdicare se possit, quae hodie certa sententia est (13); etsi voventi nominatim promiserit, se nunquam prorsus vota eius irritaturum vel dispensaturum, quia *ius publicum privatorum pactis mutari non potest* (14); et promissio haec, cum illicita sit, nihil

(8) Ex D. Th., 2, 2, 28, 8; S. Alphons., III, 227, ibiq. Salm. Et non ex solo iure naturali, ceu ratus est Vasq.; nec ex solo *positivo,* ceu Soto. *Positivo,* seu nempe mosaico, seu canonico, seu civili. Sed mosaicum (*Numeror.,* XXX), quippe ex parte coeremoniale, non integrum viget (Caiet., in cit. C. XXX; Sanch., *M.,* IX, 42, 10).

(9) Salm., 17, 3, 3.

(10) Suar., *De Voto,* Lib. VI, Cap. I, n. 13.

(11) Cf. Baller., Tom. II, *h. t.,* § 86.

(12) Ex *Numer.,* XXX, 6; S. Ambros., in C. Ult., 33, q. 5; D. Th., 2, 2, 88; Sanch., *M.,* IX, 40, 17. Contrariam sententiam docent plures ex antiquioribus TT., in his Suarez; et nihilominus sententiam nostram probabilissimam esse non diffitentur (S. Alph., III, 234). Alii docent (in his Sanch., *M.,* IX, 40, 19, etc.) neminem irritare posse vota quae, super eadem re, ipsemet de condicto cum alio vovit. Sed heic sedulo secernendum est quod ad Deum, et quod ad ipsos privatim pertinent; ut ecce si voverint *peregrinari* Lauretum *una simul:* ad Deum pertinent quae pertinerent si seorsum vovissent (*peregrinari*), cetera (*una simul*) ad ipsos tantum; atqui duplex hic inest promissio, una *cum Deo,* a qua recedere non licet; altera *inter se,* quam mutuo contrario consensu dissolvere semper eis integrum est. Et si hoc quoque promiserint Deo, et sit aliquid melius; v. c., peregrinari simul ad maiorem gloriam Deiparae, sacrilegum quidem erit seorsum ire, sed quo denique pacto *novum* hoc *votum,* quod a natura ceterorum nihil distat et accessorium est, adimit, e. c., viro potestatem irritandi uxoris votum, quod si uterque seorsum vovisset irritare proculdubio potuisset? (V. S. Alphons., III, 239 in fi.; et Ballerin., n. 142). Nec ad rem pertinent quae ex August. in C. *Quod Deo,* 33, q. 5, refert Sanch. (*l. c.*); quae autem refert ex Ambrosio in C. fin. 33, 5, desiderantur.

(13) S. Alph., 239, v. *Quod valide.*

(14) L. 39, *De Pactis.* Sed is illicite, quia fidem fallit, nisi aliqua iusta causa supervenerit. Sed est leve, quia versamur in promissione gratuita (§ 416, n. 7).

mutat. Sed et vovens si alteri promisit, se *nullo in casu* irritationem vel dispensationem petiturum, et is casus inciderit in quo non sine gravi spiritualis salutis dispendio votum servare non potest, eam petit impune. Nunc de irritatione et dispensatione seorsum.

ART. I. *De irritatione votorum.*

204. Haec scire, et probe scire maximi interest. Votis eorum, qui sunt sub alterius potestate *dominativa*, semper ea tacita inest conditio: *si is, cuius potestatis est vovens, non improbaverit votum* (1); ergo si ille ea improbaverit, cessat. Sed refert utrum illi subiecta sit voluntas voventis, an solum materia voti: *ille* enim potest infectam facere voluntatem voventis, atque ideo irritare vota eius omnia et perpetuo (2): *hic* ea sola quae laedunt ius suum, et quatenus, et quamdiu laedunt (3). Prior irritatio propria est, altera impropria; illa *directe*, haec *indirecte* (verbo satis inconcinno) fieri dicitur. Quaesitum est an peccet qui irritat vota: Minime, si ea irritat ex iusta causa, etsi non admodum gravi (4). Hac deficiente, *commune est quod non sit mortale* (5); sed nec est veniale si nondum ea comprobaverat positive: secus, aiunt, probabilius, venialiter peccat (6). Sed et hi qui sine ulla causa irritationem petunt, levi non

(1) § 194, n. 22. Hanc conditionem resolutivam esse, palam est (Prol., § 41, n. 29). Ergo votum interim tenet (Caiet; Suar.; S. Alphons., III, 231).

(2) Sanch., *M.*, IX, 39, a n. 41; Salm., 17, 3, 25; S. Alph., III, 227, 234. – *Omnia*, atque ideo etiam realia (Sanch., *M.*, IX, 40, 5); et etiam post rem traditam, quia ius quod ipse circa eam rem habet invito extorqueri non potest, contra Sanch. (n. 14): et, verius, etiam implenda cum vovens suae potestatis fuerit (Soto, VII, 3, 1; Sanch., IX, 39, citt. nn. 16, 34). *Perpetuo:* ideo semel irritata nunquam reviviscunt (S. Alph., III, 233, 8); licet postea is qui illa irritavit rata habuerit (Soto; Sanch.; Salm.; S. Alph., 236). Et iure prorsus (Prol., § 41, n. 33).

(3) Sanch., IX, 39, 15.

(4) Sanch., *M.*, IX...

(5) S. Alph., III, 228.

(6) Ex *Numeror.*, XXX, 16; ibiq. Caiet., Lira, Vatablus etc. – *Positive* (S. Alph., III, 228, 239, v. *Certum*); nam nec sola scientia et silentio, immo nec sola licentia voventis hodie comprobatum intelligitur (Sanch., *M.*, IX, 42, 9). Itaque necesse est ut vel alter voverit se consentiente, vel ut ipse votum ratum habuerit. Ceterum satis est comprobare solo animo et cogitatione, quia res cum Deo agitur.

Redeo ad peccatum quod peccat is qui irritat votum; nam Nostri, adsit reverentia vero, nec satis cohaerenter, nec satis distincte. Non satis cohaerenter: nam si commune est heinc abesse peccatum letale, quid est, quod disputant an irritatio, post probatum votum, sit gravis an levis? (V. S. Alph., III, 239, v. *Certum*). Non satis dilucide, quia heic omnia nedum ex virtute religionis, sed et ex virtute charitatis erga proximum aestimare oportet. Quod ad religionem, existimo, te irritantem votum sine iusta causa, perinde habendum esse ac si ipse solutus voto omisis-

carent: non quia petunt (V. Par. II, 309, n. 24), sed quia cooperantur irritanti (7).

205. Age modo; potestate irritandi directe gaudent praelati regulares (8): indirecte domini, heri (9): parentes, tutores, curatores quod ad impuberes illa (10), quod ad puberes hac (11); utra polleant mariti (qua vir est *caput* uxoris), non satis convenit; sed longe communius (12) et forte verius (13) illa. Verum ut irritatio valeat necesse est, ut is qui vovit sit sub potestate irritantis (14); ut is qui irritat votum sciat alterum vovisse quae ipse improbat, et voto obligari (15). Nec interest quod aut ille voverit se consentiente, aut ipse votum ratum habuerit; cum potestate sua se abdicare non possit (16). Amplius integrum ei est ea quoque vota irritare, quae ille antea voverat: nempe directe, si voverat constitutus sub potestate eius cui is quodammodo successit; ceu praelatus, tutor (17); secus solum indirecte, ut opinor (18).

ses quod alium omittere vis; atque ideo numquam peccare letaliter. Quod ad charitatem, siquidem impedis dumtaxat profectum spirituale voventis, te leviter peccare palam est: at si is exinde coniicitur in grave animae suae periculum, nescio quomodo a letali excusari possis, qui poteras sine incommodo gravi ab irritando abstinere: ut ecce si ille, expertus saeculi gravia pericula, decreverat in instituto aliquo regulari secedere, et vovit.

(7) Sanch., *M.*, IX, 42, 10.

(8) Ex C. 27, *De Elect.* in 6°.

(9) Suar., III, 6, 29; Ex L. II, *De Pollicitat.*

(10) S. Alph., III, 229. Nempe propter infirmum voventium consilium (D. Th., 2, 2, 88, 9). Haec potestas civili iure competit ei qui patria utitur potestate (cit. L. 2); naturali utrique parenti. V. Prol., § 53, n. 37; unde dubiorum, quae S. Alph., versat n. 230, omnis resolutio, si quid opinor, petenda est.

(11) D. Th. 2, 2, 88, 8 ad 2.

(12) Sot.; VII, III, 1; Sanch., *M.*, IX, 39, 4; Salm., 17, 3, 58; S. Alph., III, 234, 239; et tacite D. Thoma, *l. c.*, ad 3. Contra Suar., Laym., etc.

(13) *Genes.*, III, 16; *Numeror.*, XXX, 9; *Ad Eph.*, V. 22.

Porro, praelatos, maritos, etc. accipere debemus et eos qui tales public existimantur (Prol., § 79, n. 74; S. Alph., III, 322).

(14) Sanch., *M.*, IX, 39, 26; Salm., 17, 1, 75.

(15) Sanch., *D.*, IV, 25, 23; Laym., VII, 1; Salm., 17, 3, 34.

(16) Suar., VI, 4, 19; Sanch., *M.*, IX, 40, 17; Salm., 17, 3, 66.

(17) Sanch., *M.*, IX, 41, 3; Suar., VI, 8. 10. Scilicet una quodammodo, atque eadem est utriusque persona.

(18) V. Sanch., cit. L. IX, DD. 40, 41. *Secus*, idest, sive sub alterius, (puta heri, mariti), sive sub nullius potestate constituti fuerant (Salm., 17, 3, 75; S. Alph., III, 237): nempe si irritantium intersit haec vota irritare, et quatenus interest. Quid si is qui potest vota directe irritare (pater filiorum impuberum, vir uxoris) dubitet, nec satis appareat utrum ille ante pubertatem, haec ante matrimonium voverit? Et, verius, pro eo stat praesumptio, pro quo stat antiquior possessio (V. Prol., § 262, n. 36): ideoque vota filiorum directe irritari possunt, uxorum non item (S. Alph., 229, 237).

206. Itaque Regularium vota *directe* irritant, virorum exemptorum Abbates, Priores, etc. (19); monialium Ordinarii, quibus subsunt, et probabilius etiam Abbatissae (20); excepto, in utrisque, voto transeundi ad Religionem arctiorem. (21). Servorum, famulorum, domini, heri, sed *indirecte;* ideoque ea sola personalia vota, quae impediunt servitia ipsis debita (22). Filiorum, parentes, vi patriae potestatis (23), ac proinde, nedum pater, sed et mater, patre quoque *praesente* (24); et uterque etiam filiorum naturalium tantum (25): et si unus dissentiat, praevalet regulariter, is qui potestatem civilem exercet (26). Hi autem irritant filiorum vota, nempe, iure communi, impuberum *ex persona*, puberum *ex re* (27): iure nostro, omnia forte *ex persona* quippe distinctionem inter puberes et impuberes non agnoscit (Prol., § 34, n. 6). Haec potestas, iure communi, quoad filios naturales maiori aetate (28), quoad legitimos emancipatione; iure nostro, *hac* in utrisque finitur (V. Prol., § 54, n. 52, etc.). Deficientibus patre et matre, competit tutoribus, aut curatoribus: et, his quoque deficientibus, adscendentibus aequo iure sive paternis, sive maternis (29). Denique maritus, *qua est caput mulieris*, potest *directe* irritare omnia uxoris vota, seu realia, seu personalia, edita constante matrimonio (30); immo et an-

(19) Salm., 17, 3, 40; S. Alph., 233; V. Ferrar., v. *Votum*, III, 74.

(20) Sanch., *D.*, IV, 33, 19; S. Alphon., *l. c.* At Novitiorum utrique tantum *indirecte*, et *personalia* dumtaxat (Salm., n. 42).

(21) C. 18, § 1, *De Regular.*

(22) Laym., VII, 19; Salm., 60.

(23) Suar., VI, 6, 4, etc.; Salm., 17, 3, 52; S. Alph., III, 230, v. *Sed.*

(24) Prado; Philiar.; Ronc.; Salm., 17, 3, 52; Bonac., *De Voto*, Cap. V, q. 3, n. 3.

(25) Sanch., *D.*, IV, 35, 82; S. Alphon., III, 229.

(26) V. Salm., 17, 3, 52; S. Alphon., 230.

(27) Cf. Suar., VI, Cap. V, VI; Salm. 17, 3, 4 etc. Atque ideo impuberum directe, proindeque omnia (§ 205), etiam religionis et castitatis (S. Alph., III, 229): puberum indirecte: nempe *realia* quae iura parentum laedunt; *personalia* quae pertinent ad *dispensationem domesticam* (D. Th., 2, 2, 88, 8 ad 2), vel ad officia ipsis debita (Suar., VI, 5, 2); utputa vota *longae abstinentiae, peregrinationis, ieiunii incompatibilis cum modo familiae* etc. (S. Alphon., III, 229 etc.). Et quae filii impuberes vovent, ea parentes *directe* irritare possunt etiam postquam pubertatem attigerint (Sporer; Reiff., III, 34, 13); quia *non firmatur* (atque ideo nec firmius fit) *tractu temporis quod ab initio non subsistit* (C. 18, *De R. I.* in 6°): dum ne filii, puberes facti, ea *scienter* confirmaverint (S. Alph., 238; V. Par. II., § 419, n. 15).

(28) Ex L. 1, *De Minor.;* V. S. Alphon. 229.

(29) Suar., VI, 9, 22; Sanch., IV, 35, 60; Salm., 17, 3, 50; S. Alph., III, 229.

(30) D. Th., 2, 2, 88, 8 ad 3; S. Alph., III, 234. Etiam implenda post solutum matrimonium (§ 202, n. 2).

tea edita, sed haec *indirecte* (31). Sed et mulier viri, circa debitum et cohabitationem, vota (32), quia in his aequo prorsus *iure* censentur (33).

ART. II. *De Dispensatione et commutatione votorum.*

207. Deinde vota tolluntur dispensationibus et commutationibus: dispensatio velut *acceptilatio* est, commutatio est velut novatio; et haec verius in illa *velut pars in toto continetur* (1). Utriusque habet aliquid potestas dispensandi commutando, seu commutandi dispensando, quae in Iubilaeo dari solet. Potestas dispensandi vel commutandi penes eos est, penes quos est externa in Ecclesia iurisdictio, idest, sub R. P., penes Episcopos, et eos qui episcopali iurisdictione censentur (2): et praeterea ex privilegio ea gaudent confessarii Regulares mendicantium (3); exceptis utrobique quinque casibus R. P. reservatis. Verum nemo dispensare potest vel commutare, nisi cum suis subditis (V. Prol., §§ 25, 232). Pertinet ad forum conscientiae, et ideo vel extra confessionem exerceri potest (4). Et quia exercentur Dei, quasi creditoris nomine, nisi data

(31) D. Augustin., in C. *Noluit...* 33, q. 5. Et innuit D. Th. (*l. c.*). *Qua* etc., atque ideo, verius, licet nullum sibi praeiudicium afferant (Sanch., *M.*, IX, 39, 25). Excipit Sanch. (*l. c.*. nn. 26, 27) *realia*, et *castitatis* vota: *illa* quippe de his iudicare oportet, prout de aliis debitis quibus vovens antea tenebatur: *haec* quia coniux renunciare potest iuri petendi altero invito. Sed primum tantum in favorem tertii locum habet (§ 202); renunciatum autem petendi ius, renunciantem tentationibus obnoxium (I *Corinth.*, VII, 5) facit; uxorem plerumque anxiam, aegram, et onerosam viro sociam praestat (V. S. Alph., III, 23): nec intelligo quomodo possit vir quaevis alia uxoris vota irritare, licet ipsius nihil intersint, haec non posse.

(32) Suar., VI, 4, nn. 8, 16; Salm., 6, 3, 56. Ut ecce *longae peregrinationis, magnae abstinentiae, vestiendi habitum eremitae,* etc. (S. Alphon., III, 235).

(33) D. Th., in 4, Dist. 32, Art. 3; Navarr., 12, 64; Stunica, *De Voto,* Quae. III, 60; Sanch., *M.*, IX, 42, 2; Salm., 17, 3, 56; S. Alph., n. 235, S. Antonin., Tolet., aliique, ap. Sanchez., *l. c.* Quin D. Th. (*l. c.* Art. 4; ad 3) probabilius putat non posse coniugem vovere castitatem (idest non petere) quippe hoc alteri *onerosum* foret.

(1) Sot., VI, IV, 3; Henriq.; Sa: Suar., *De Legib.*, VI, 16, 7, Contra Sanch.

(2) V. Prol., § 95; D. Th., 2, 2, 88, 12 ad 3; Suar., VI, 10, 13; ex *Matth.*, XVI, 19; V. S. Alph., III, 262.

(3) V. Ferraris, v. *Votum,* III, 77. Nempe quatenus id, eis concessum est Literis Apostolicis; non alias, nec aliter (Clem. XIII, C. *Roman. Pontifex*). Et *cum suis* (V. Prol., § 232): at cum saecularibus dispensare, commutare posse, plurimorum, sed nullo privilegio suffulta, sententia est (Ferrar., *l. c.*, v. *Ex privilegiis*).

(4) S. Alph., VII, 257; V. Prol., cit. § 25. Quin, concessa facultate *absolvendi a casibus et censuris reservatis, et commutandi vota* AU-

fuerit ex iusta causa, rata non est (5): nihilominus, cum fuerit data, rata habenda est quoad apparuerit iustam causam defuisse (6). Haec generatim.

208. Dispensatio est: *Voti remissio et condonatio.* Iustae dispensandi causae sunt: 1° bonum Ecclesiae; vel reipublicae, immo et familiae (7): 2° maior utilitas spiritualis ipsius voventis (8); atque ideo transgrediendi voti periculum ex fragilitate (non ex malitia) communi, vel sua (9); immo vel sola difficultas non levis adimplendi votum, etsi praevisa (10): 3° demum, si votum sine plena deliberatione, vel libertate editum fuerit (11); utputa levitate iuvenili (12), aut ex metu quamvis levi (13). In dubio, utrum causa sit sufficiens, dispensatio concedi poterit, si aliqua speretur utilitas, et nullum scandalum timeatur (14). Ad haec, si vovens tertio quoque obligatus est, huius quoque consensu opus erit, ut valeat dispensatio (15).

209. Commutatio est: *Prioris voti in novam obligationem translatio.* Haec quoque, ceu novatio, sine consensu creditoris, atque ideo sine iusta causa, et nisi in rem aequalem (16), non fit. Ceterum *causa iusta* intelligitur vel sola petitio voventis; nempe ut

DITIS CONFESSIONIBUS, multi putant, ea verba, *auditis,* etc., ad casus dumtaxat et censuras referenda esse; quorum sententiam nec ipse Ben. XIV, in B. *Inter praesentes,* § 63, circa Iubilaeum est ausus reprobare. Potestas dispensandi, si cui mandata fuerit, latae, ipsa vero dispensatio strictae interpretationis est (Prol., § 234). Quamobrem si Titius, v. c., voverit abstinere aleis, sub poena dandi pauperibus decem singulis vicibus, et luserit, nec dederit, tu cui mandata est facultas dispensandi in votis, potes eum et a praeteritis absolvere (Sanch., *M.*, VIII, 15, 14; Suar., VI, 20, 19). Sed Titius nisi et ab his nominatim absolutus fuerit, ea solvere debet (V. Sanch., *D.*, IV, 32, 10).

(5) Ex C. 1, *De Voto.* Nec verius, proderit b. f. (S. Alph., III, 251; V. Prol., § 233, n. 27).

(6) S. Alph., III, 245, 251; Prol., § 233.

(7) S. Alph., III, 250.

(8) Ex cit. C. 7, § 2, *h. t.*; Salm., 17, 3, 125. Ut ecce si vovens exinde vexetur magnis scrupulis (Suar., VI, 17, 9; S. Alph., 252). Immo si votum maius bonum impediat (Sanch., *M.*, VIII, 20, 8).

(9) Sanch., *l. c.*, n. 19; Laym., VIII, 4.

(10) S. Alph., III, 252.

(11) S. Alph., *ibi,* 253.

(12) Ex C. 2, *h. t.*; Laym., *l. c.* Ut omnia pene impuberum vota (Sanchez, *D.*, IV, 45, 30; S. Alph., III, 253).

(13) Ex C. 4, *De His quae vi;* S. Alph., *l. c.*

(14) Sanch., IV, 45, 10; Sylv., v. *Dispens.,* q. 14; Laym., cit. n. 4.

(15) S. Alph., III, 255. Nempe, si is *acceptaverit,* ut in omnibus votis onerosis, v. c., *Perseverantiae,* quae in quibusdam Religiosis Congregationibus (V. Prol., § 107) edi solent (Ben. XIV, C. *Convocatis,* § 32; et C. *Inter praesentes,* § 66).

(16) Salm., 17, 3, 138. Ac proinde nec in Iubilaeo (Suarez, VI, 19, 8).

promptiori et alacriori animo impleat votum (17). Rem autem *aequalem* accipere debemus *moraliter*, arbitrio boni viri: proinde nihil oberit si haec vel alterius *speciei* sit, modo sit aeque utilis voventi; vel non sit *tantundem* prorsus, quia heic minimum pro nihilo reputatur (18). Porro, ut commutatio in rem meliorem fiat, nulla causa opus est; ut in aequalem, levi: ut in deteriorem (quia haec aliquam dispensationem continet), pro rata dispensationis, seu gravi seu levi (19). Et in rem meliorem fieri potest ab ipsomet vovente, immo et in aequalem, quia Deus non est durus exactor, et vovens eam praestabit animo alacriori (20). Commutatione facta, prius votum (perinde ac novatione debitum) extinguitur (21); atque ideo non reviviscit si *novum* postea praestari posse desiit (Par. II., § 326, n. 42). Nihilominus voventi integrum est ad superius votum redire, sive res eo voto promissa melior fuerit, quod planum est; sive par, quia commutationes fiunt in favorem voventium; immo etsi melior sit ea quae promissa est voto posteriori: quae contra iuris tenorem, recepta, aequitatis causa, sententia est (22).

210. Dixi (§ 207) exceptis votis R. P. *reservatis*. Porro haec sunt: 1° peregrinatio ad loca sancta, 2° ad limina Apostolorum, 3° ad sepulcrum S. Iacobi; 4° votum perpetuae castitatis; 5° re-

(17) Suar., VI, 19, 10; Sanch., *D.*, IV, 50, 53; Salm., 17, 3, 145.

(18) Sanch., IV, 50, 7; Suar., VI, 1, 9. – *Tantundem ;* proinde, etsi in commutatione insit aliquid dispensationis, et dispensare nequeat is qui solam commutandi facultatem habet, nihilominus *haec* facultas non est interpretanda adeo stricte, ut commutatio fieri debeat in opus penitus aequale : alias innumeris anxietatibus obnoxia esset, et vix non inutilis (Suar.; VI, 19, 9; S. Alphons.; III, 247).

(19) Less., II, 40, 110; Sanch., *D.*, IV, 49, 4; Salm., 17, 3, 3, 145. 146. *Melius* autem accipitur quod est utilius voventi (ex C. 1, *h. t.*); uti semper frequentia sacramentorum (S. Alph., III, 243). Quid igitur, si quis commutaverit in rem deteriorem, sine gravi causa, num irrita sit commutatio, quia praeterit fines mandati (Suar., VI, 19, 4); an rata, cum obligatione supplendi quod deest ? (Sanch., *D.*, IV, 51, 8). Hoc aequius, et verius (Ex L. 5, *Mand.*, § *Item*, 3).

(20) Sot., VII, 4, 3; Less., II, 40, 105; Sa, Bonac., etc. Et est probabile S. Alph., 244. At si haec certe sit par, et dubitetur num sit et melior, fere omnes, subtili ratione, docent commutationem ratam esse; quia si probabile est rem meliorem esse, hoc ipso aliquatenus melior est.

(21) Suar., VI, 20, 1, etc.; Sanch., *D.*, IV, 55, 2; Cajet., Arm., Sot., etc. Est quasi *novatio* (V. Par. II., § 325). Ac proinde si forte erat reservatum, et in aliud non reservatum commutatum fuerit, hoc reservationi non fit obnoxium (Sanch.; *M.*, IX, 9, 20; S. Alph., III, 260).

(22) Sanch., *D.*, IV, 55, 26; Salm., 17, 3, 170. Et sic deinceps, si nova commutatio fiat (S. Alph., III, 248).

ligionis votum (23). Verum haec reservatio, cum deroget iuribus Episcoporum, et voventibus sit onerosa, strictissimae interpretationis est (24). Hac re votum reservatum heic intelligimus ipsum peregrinandi, castitatis, religionis, et non ea vovendi votum (25): et nec ipsa peregrinationis, etc., vota facta Sanctis vel Deiparae, nisi facta sint Deo, in honorem Deiparae, aut Sancti (26). Nec facta Deo, sed imperfecta: eiusmodi sunt, 1° *ex parte voluntatis*, quae quis vovit, non cum primis amore virtutis seu rei quam vovit, sed vel ex metu, quamvis levi (27); vel sub obligatione levi (28); vel ob aliud, scilicet finis semper potior est his quae sunt ad finem; eiusmodi vero sunt vota conditionalia (29); atque ideo et poenalia (30) et medicinalia (§ 195); 2° *ex re*, ea quibus res non integra (seu reipsa, seu tempore) promittitur, ut ecce votum non fornicandi, vel castitatis ad annum (31); et vota alternativa, quorum una pars

(23) Cf. Sanch., *D.*, IV, 40. 4, etc. Et in generali concessione data a R. P. dispensandi *omnia vota*, facultas dispensandi ab his non continetur; nisi fuerit expressa (Ex C. 81, *De R. I.* in 6°; Sot., VII, IV, 3, in fi.); vel nisi data sit, uno aut altero eorum excepto; v. c., (ut in Iubilaeo) *praeter votum castitatis, et religionis* (Suar., VI, 25 7; Sanch., 19): et planum est (Prol., § 183, n. 26, v. *Huc*).

(24) Cf. Sanch., *M.*, VIII, DD. 9, 10, 11. *Communissima* (Reiff., III, 34, 28). Non erit igitur votum reservatum, si voveris Romam peregrinari ad praesepe D. N. I. C., vel Religionem non approbatam ingredi (S. Alph., III, 258, Not. III. n. 4), vel non veri nominis (V. Prol., § 107), ut opinor. Et in dubio an sit reservatum, reservatio cessat (Suarez, VI, 22, 1; Laym., VIII, 8, 14); seu positivum sit dubium, seu negativum, seu facti, seu iuris (Sanch., n. 26; Lugo, *De Poenit.*, XX, 18).

(25) Suar., Laym.; S. Alphons., n. 3.

(26) Reiff., III, 34, n. 29, ibiq. Sanch., Sporer, Gobat, etc.

(27) Sanch., *D.*, IV, 40, 30; S. Alphons., *l. c.*, n. 2. Quia verum est te non sponte vovisse.

(28) Sanch., n. 47; Salm.; S. Alphons., n. 1. Neque enim decet R. P. ad levia descendere.

(29) Sanch., a n. 81; et *Matr.*, VIII, Disp. 10 - V. c., si incolumis domum rediero - si uxor mea marem pepererit. Dummodo *vera*, et non specie tenus (Prol., § 41), conditio sit: vel sit magis *dies* solutioni adiecta (V. Par. II., § 311 n. 37): atque ideo constat *illic* reservatio si dixeris - *si frater meus vivat* -, hic - *si pater meus morietur* (Laym., *h. t.*, Cap. VI, 1; S. Alph., III, 261). Et si non satis appareat utrum verbis conditio contineatur, an dies -, v. c., - *si convaluero* -, mens voventis spectanda est.

(30) Sanch., n. 87. Etiam *mere poenalia* (Laym., VIII, 9; Reiff., III, 31, ibiq. Sanch.).

(31) Sanch., *D.*, IV, 40, 41. Item votum non nubendi, non petendi debitum (S. Alphons., IV, 258, n. III, § 712). Aliud iuris est si id voverint mutuo consensu; nam cum neuter petere possit, nec reddere debeat, votum est perfectae castitatis: secus si seorsum voverint, cum unusquisque reddere debeat (Reiff., Lib. IV, post Tit. XXI, Append. n. 561; Ferrar., v. *Matrimon.*, III, 4; S. Alph., VI, 986) Sed nec votum virginitatis, seu

non est reservata, quia debitoris est electio (32). Uti autem sciamus, utrum votum sit reservatum, an minus, semper initium actus spectandum est (33). Amplius; circumstantiae voti reservatione non continentur (34). Et in urgenti necessitate (spirituali vel temporali) sive voventis sive alterius (cum omnis potestas in aedificationem data sit, non in destructionem), quoties R. P. commode adiri non potest, reservatio cessat (35). Quamobrem Ordinarius dispensare poterit in voto castitatis, propter periculum incontinentiae, sive ad matrimonium contrahendum, sive ad petendum debitum; nempe in priori casu quando R. P. sine gravi incommodo adiri non potest, et est in mora periculum; in posteriori (idest post matrimonium contractum) semper, quia periculum huiusmodi *communiter adest;* et ita consuetudine est introductum (36).

211. Hactenus de votis; his affinia sunt iuramenta (Par. II., § 25) promissoria (37). Ex his nullum, verius, est reservatum, ut puta si quis perpetuam castitatem iuraverit, quia voti et iuramenti non est par ratio (38). Sed si in iuramento contineatur votum quoque, duplex vinculum suberit, alterum reservatum R. P., alterum non:

vovens sciat unica violatione consumi, seu id ignoret (ut opinor, quia falsa nostra existimatio rei veritatem non mutat), est reservatum.

(32) Suar., Sanch., Laym., VIII, n. 12.

(33) V. Par. II., § 315. Ac proinde non fiunt reservata vota conditionalia post conditionem impletam (Reiff., n. 33; S. Alph., cit. n. 261), nec alternativa post electionem, licet electa fuerit pars reservata (Salm.; S. Alph., 258, n. 6, in fi.). Et si quis votum levi metu factum sponte ratum habuerit, si ignoret ea ratihabitione reservatum evadere, reservatio, si quid opinor, non intelligitur. Et ex diverso si pure voveris peregrinationem, etc., adiecta ex postfacto conditio nihil mutat (L. 4, C. *De Cond. quae sub modo*).

(34) Sanch., *D.*, IV, 40, 74. Itaque si voveris, ex. gr., intrare Religionem strictiorem, vel adire peditem Limina Apostolorum, Episcopus dispensare poterit, ut laxiorem adeas; ut eas equo, vel curru (S. Alphons., III, 258, not. III, n. 5).

(35) Sanch., *M.*, VIII, 31, 10; Croix, III, I, 553; Laym., VIII, 16; S. Alph., III, 258; VI, 387. Ac proinde Mendicantes quoque ab his dispensare possunt (S. Alph., III, 258; VI, 987).

(36) S. Alph., VI, 987; III, 258, not. 2; nec dubito, idem iuris esse in voto castitatis emisso constante matrimonio mutuo consensu, nam eadem ratio est, et Nostri, et in primis S. Alph. (*ll. cc.*), non distinguunt.

(37) Promissoria inquam: nam si assertorium est iuramentum, relaxatio ne intelligi quidem potest; ut ecce si filius, iratus patri ipsum a nuptiis cum Seia prohibenti, iuret, se nullam aliam ducturum, vel Religionem ingressurum (V. Sanch., *M.*, VIII, 16, 4).

(38) Ita denique S. Alph., III, 259, v. *Sed dubium*. Et iuramentum levius obligat (D. Th., 2, 2, 79, 8). Haec sententia mihi tutissima est, quia, nedum est probabilis, immo probabilior (V. Prol., § 80, n. 79); sed etiam quia ius Ordinariorum possidet.

utrum autem contineatur, hoc petendum est ex voluntate iurantis (39): si haec non appareat manifeste, *communis est regula, quod votum dubie emissum non obligat* (40): itaque sola superest iuramenti promissorii obligatio (V. cit. § 25, n. 19); a qua Ordinarius solvere potest (Par. II., § 131, n. 36). Sed si palam appareat utrumque adesse (et votum et iuramentum), quaestionis est, num is cui *delegata* est facultas dispensandi, vel solum in iuramentis, vel solum in votis, possit dispensare ab utrisque? quidam negant, quia utrumque, accessione alterius, fortius vinculum efficitur (41); alii affirmant, quia vota et iuramenta aequiparantur (42). Dicam quod sentio; heic omnia aestimanda sunt ex intentione delegantis, haec ex verbis quibus is usus est: quisquis igitur mandat alicui facultatem dispensandi a iuramentis, detracta mentione votorum, vel contra, perinde est ac si dixerit *illic* a iuramentis dumtaxat: *hic* dumtaxat a votis. Nihilominus HIC, si iuramentum forte sit accessorium voti, hoc dispensato iuramentum evanescit (43).

212. Quid igitur si voverit persona moralis (collegium, municipium, etc.) quae non moritur? Sane actus religionis sunt, 1° personales; atque ideo, 2° singulorum sunt: idcirco personae huiusmodi suis votis, ex primo, alios (44); ex altero, seipsas obstringere nequeunt (45): proinde id genus promissionis, qua *vota* neminem tenent; sed nec qua *statuta*, seu leges, quippe supra (Prol., § 199, n. 5) iurisdictionem statuentium (46). Sed an teneant quasi *debita* ex pacto? nihil enim prohibet quominus possint Deo, prout hominibus ceteris (Prol., § 44, n. 9), obligari (47). Et reales tenent sive praesentes, sive futuros: mere personales neque futuros (48),

(39) S. Alph., III, 259.

(40) S. Alph., *l. c.*, in fine.

(41) Azor.; Enriq.; Soto, VIII, I, 8 ad 2; V. Sanch., *M.*, VIII, 2, 21.

(42) Sa, v. *Votum;* V. Sanch., *l. c.*, n. 18. Haec sententia verior forte videri potest his, quibus verius est iuramento huiusmodi pene in vota recidere (Par. II., § 25, n. 19).

(43) Less., II, 42, 60; Salm., n. 2; Sanch., n. 23. Dices: iuramentum suapte natura accessorium est promissionis cui adiicitur (V. Par. II., § 427, n. 2): quando igitur non erit huiusmodi? nempe quando iuratur seorsum a voto, idest cum quis iurat Deo, se, v. c., Religionem ingressurum, et ex intervallo quod iuraverat vovit, vel cum id iurat postea, immemor prioris voti (hoc est mihi difficile, quia errantis nulla voluntas est), vel omnino independenter a voto (Sanch., *M.*, VIII, 2, 22, etc.).

(44) Sanch., *D.*, IV, 15, 16. - Ibi: *Nequit alios, praeter ipsissimas voventium personas, adstringere.*

(45) Suar., IV, 9, 6; aut certe singulos non obstringunt (Prol., § 44, n. 14).

(46) Suar., IV, 9, 10; Sanch., *D.*, IV, 15, 19; Laym., III, 6.

(47) V. D. Th., 2, 2, 98, 2 ad 4.

(48) S. R. C., 18 apr. 1643, prob. Urb. VIII, die 1 febr. 1644; Talù, nu. 290, 1164.

neque praesentes: nisi hi ea rata habuerint expresse, vel tacite; ut ecce consuetudine ab ipsismet (scientibus, quod difficile est, voto non obligari) introducta (49). At vero tenent quasi *statuta dioecesana,* si ea comprobaverit Ordinarius (50).

CAPUT III.

DE REGULARIBUS.

213. Restat igitur ut de his agamus qui, evangelica consilia sequuti, perfectiorem vitae statum ineunt. Principio omnia iura et obligationes quae ex hoc suscepto statu nascuntur, a quodam contractu, vel quasi, cum ea religione inito quam profitentur, votis confirmata, initium et statum capiunt. Hac re vota huiusmodi quae idcirco onerosa appellavimus, et strictius obligant et latius patent. Status huiusmodi duplex est: regularis et religiosus simpliciter. Vota autem vel solemnia vel simplicia: solemnia quae nuncupantur adhibitis solemnitatibus omnibus, quas lex canonica invexit; cetera simplicia dicuntur: illa in institutis regularibus amplectendis, haec in religiosis congregationibus capessendis, locum habent. De omnibus satis alibi dictum est (Prol., §§ 102-107): hic de his qui nomen dant eis, et de his quae observare oportet in eis capessendis.

214. Principio igitur instituto cuivis nomen dare *(converti)* omnibus christifidelibus permissum est; spuriis (Prol., § 412ter) quoque (1); nisi speciatim prohibeantur. Prohibentur autem, I. qui suae potestatis non sunt, II. graviori aliqua obligatione aliis obstricti, III. criminosi. Ex I. capite arcentur 1° servi, 2° coniugati (V. cit. § 412ter); horumque instar, 3° Episcopi vel tantum confirmati; invito domino (2), coniuge (3), R. Pontifice (4). Ex II. arcentur, 1° obnoxii *ratiociniis* (5); intricatis, inquam, et litigiosis, aut litibus causam daturis (6); 2° gravati *ingenti aere alieno su-*

(49) Sanch., n. 18; Prol., § 246, n. 16.

(50) Sanch., n. 19; Laym., III, 6; Suar., *l. c.;* v. *Sed obiici.* Qui proinde ea revocare potest, prout cetera sua *Statuta.*

(1) Greg. XIV, C. *Circumspecta.*

(2) C. 12, Cau. 6, 1; V. Salm., 13, 1.

(3) C. 12, *De Conv. Coniug.*

(4) C. 10, *De Renunc.;* C. 2, *De Transl. Episc.;* C. 18, *De Regul.* Aliis clericis licet, et invito, non tamen inconsulto (si consuli possit) Episcopo; parochis quoque (Bened. XIV, Lit. *Ex quo dilectus*).

(5) C. 11, Dist. 63; Xyst. V, C. *Cum de omnibus.* Idest rationibus reddendis.

(6) S. Alph., IV, 71 in fi.

pra vires facultatum, qui sua bona dilapidarunt (7); dummodo manentes in saeculo possint suis creditoribus satisfacere (8); 3° qui virginem seduxerunt, promisso matrimonio; 4° hi quorum fratres in extrema (9), aut parentes, vel filii (non emancipati) in gravi necessitate versantur (10); dummodo interim possint sine proximo letaliter peccandi periculo in saeculo commorari (11). Ex III. demum arcentur hi quos ex *actis publicis* constat criminis postulatos, vel inquisitos fuisse (12).

215. Omnis autem ingrediendae Religionis obligatio oritur vel ex vocatione, vel ex voto. Ex vocatione sub levi, quia perfectio in consilio est; nisi quis forte sentiat, se sine proximo damnationis periculo in saeculo manere non posse (13): ex voto sub gravi. Porro, voto ingrediendi religionem, eius profitendae votum inest per se (14); hoc autem conditio, 1° *si recipiatur*, et 2° *tyrocinii facto periculo*, tacite continetur. Quamobrem liberatur (ex 1ª) si citra suam culpam non fuerit admissus, vel dimissus fuerit (15); (ex 2ª) si, periculo facto, vita regularis gravis ei videatur (16).

216. Ne autem professio irrita sit, necesse est, 1° ut is qui profitetur, 16 aetatis ann. excesserit; 2° ut toto superiori anno continuo in probatione perstiterit in coenobio huius rei causa a S. C. Epp. destinato; utque, 3° (praemissis, si mas, simplicibus

(7) Xyst. V, *l. c.* Ergo non hi quorum aes alienum, 1° leve est, etsi superet vires patrimonii; vel 2° ingens, si patrimonii vires non superet; nec, 3° qui citra suam culpam facti sunt non solvendo (Croix, III, II, 44). Sed et hi, si bona sua creditoribus cedant, converti posse Silvii, S. Antonini, D. Th., quia propter pecuniam persona liberi hominis non obligatur (D. Th., 2, 2, 189, 6 ad 3), probabilis (S. Alph., IV, 71) sententia est.

(8) Sanch., *D.*, IV, 19, 8; Salm., n. 290.

(9) S. Alph., IV, 70.

(10) D. Th., 2, 2, 189, 6.

(11) D. Th., Quodl. 10, 9; S. Alphons., IV, 66. Sed professio eorum, quos recensuimus 2° et 3° loco, rata est. Clem. VIII, C. *Regularis disciplina*, qua, ex hoc capite, cit. C. Xysti V revocata fuit.

(12) Xysti V, C. *Ad Romanum.*

(13) S. Alph., IV, 78.

(14) Sanch., *M.*, VIII, 31, 23.

(15) Suar., Less., Salm., etc., ap. S. Alph., IV, 72. Sed utrum is teneatur quaerere aliam Religionem (nisi determinatam aliquam vovit), vel aliud coenobium, non satis constat. At profecto non tenetur haec mas extra provinciam, foemina extra patriam, quaerere (S. Alph., *l. c.*, pr.).

(16) Ex C. 29, *De Regul.*; D. Th., 2, 2, 189, 4 ad 3. Sed si et *perseverantiam* (V. S. Alph., IV, 50) vovit, Sanch. (*M.*, VIII, 9, 17) putat, eum ex hoc capite non excusari. Quod vereor ne verum sit, quia votum perseverantiae accessorium est. Porro *perseverantiae* votum (Prol., § 107, n. 34) dicitur quod emittitur in Piis Congregationibus ad instar Religionum institutis, ut ecce SS. Redemptoris (V. S. Alph., III, 255).

votis), solemnia vota nuncupaverit non lapsus errore aliquo substantiali, nec compulsus metu gravi (17). Nihilominus etsi aliquid horum defuerit, si toto quinquennio proximo professus tacuit sciens volens (Par. II., § 420), *praesumitur* ratam professionem habuisse (18). At si, non consensus, sed solemnitates defuerint, R. P. sanare potest professionem in radice (19). Professione irrita pronunciata, votum castitatis, verius in simplex non transit, sed evanescit: *actus* enim *agentium non operantur ultra intentionem eorum* (20).

217. Professi tenentur votis, regulis, constitutionibus; illis ex obligatione cum Deo inita: istis et his ex pacto inito cum Religione ipsa (21). Nos de obedientia, castitate, et paupertate, paucis et obiter (22). Uti igitur a facilioribus ordiamur, religiosus propter votum castitatis prohibetur quovis actu venereo, tum externo, tum interno; et praeterea a nuptiis, vel a coniuge: et si nuptias inierit, nullius momenti sunt ipso iure; ipse vero excommunicationi subiacet Ordinariis reservatae (Prol., § 392, I). Si quid autem horum admiserit, contra castitatem peccat, prout ceteri (23); sed, ob votum, etiam sacrilegio tenetur. Nihilominus, si ordine quoque sacro est obstrictus, verius est unius dumtaxat sacrilegii reum fieri (V. § 14, n. 11).

218. Quoad obedientiam, duplex heic obligatio consistit: altera ex pacto cum Religione inito, altera ex voto. *Ex pacto* tenetur servare omnia quae in *regula* continentur (24), dummodo haec obliget sub peccato. *Ex voto* tenetur obtemperare R. Pontificis, et superiorum suorum praeceptis (25): sed *his* si superior vere prae-

(17) C. un., *De iis quae vi;* Trid., XXV, *De Reg.*, 15; Laym., *h. t.* (Lib. IV, Tr. IV), V, 4.

(18) Trid., cit. C. 15. - *Praesumitur,* nempe praesumptione *iuris et de iure* (Ben. XIV, C. *Si datam*). Sed in foro interno (Prol., § 208, n. 64), veritas inspicienda est (Suar., *De Reg.*, T. III, Lib. VII, C. IV, 6); neque enim Ecclesia potest consensum supplere (Fagn., in C. *Si quis*, n. 32, *De Regul.*).

(19) Ben. XIV, *De Syn.*, XIII, 21, 7.

(20) Contr. Fagn., *l. c.*, n. 46; et Bouix, Par. IV, Cap. X, § XI, n. 4 (V. Sanch., *M.*, I, 20, 6).

(21) Caiet., in 2, 2, 185, dub. 2.

(22) V. Salm., Tr. XV, Cap. VI. Vota solemnia a simplicibus distant solo iure canonico (C. un., *De Vot.* in 6°). Et in eo distant, quod votum castitatis matrimonii, paupertatis dominii voventem *prorsus*, obedientiae contrahendae obligationis *iniussu Superioris* incapacem reddunt (V. Suar., *De Relig.,* To. III, Lib. II, Cap. XIII, 8).

(23) V. Sanch., *D.*, VI, 6, 9; Salm., 15, 6, 22.

(24) Fagn., in C. 2, *De Stat. Monach.;* Pirhing., III, 35, 5; Reiff., III, 35, 2.

(25) V. S. Alph., IV, 38.

cipiat (26), et circa ea quae in regula seu expresse, seu virtualiter continentur (27): non item si quid praecipiat seu contra (28), seu extra (29), immo et secundum regulam in his quae, tunc cum ipse eam professus est, obsoleverant (30). Sed et *in his* quae praecipit iure suo non est obligatio sub gravi, nisi et materia sit gravis, et ipse addiderit *in nomine D. N. I. C.,* vel *in virtute s. obedientiae*; vel iusserit sub poena excommunicationis l. s. (31). At qui non paret, quia votum obedientiae et Deo et religioni obstringit voventem (32), verius, bis peccat (33).

219. Venio ad votum paupertatis; materia subtilis, implexa. Ex hoc voto, professus proprium neque *habere*, neque *concupiscere* aliquid potest ex his quae pretio aestimantur (34): sed hoc perpetuum non est; nam aliquando peculium habere possunt. *Peculium* heic dicitur earum rerum, quae vel suae erant cum vovit, vel postea acquisivit: quod, si dominium earum retinet, *proprium;* sin usum (ideoque et administrationem) tantum, *improprium* dici solet (35). Proprium retinent simplicia vota professi (Prol., § 107, n. 35), ce-

(26) Salm., 15, 6, 47; S. Alph., *loc. cit.*

(27) S. Bernard., Opusc. *De Dispens. et Praecept.*, Cap. VII; S. Bonav., in 2, Dist. 44, art. 3, q. 2; Less., II, 41, 74. v. *Quinto.*

(28) Salm., 15, 6, 55, 46, 71; Less., II, 41, 74. Nisi forte habeat potestatem dispensandi, et iusta dispensandi causa subsit; quod semper in dubio praesumendum est (Laym., n. 5; Salm., nn. 58, 72).

(29) Laym., IX, 2. Sive, ut aiunt, nihil *supra* regulam, v. c., ut inserviat extraneis peste infectis (S. Alph., IV, 40); vel *praeter;* v. c., ut acceptet beneficium saeculare (S. Alph., n. 39); vel *infra*, ut vana et inutilia, v. c., ambulare, quiescere, recreari; nisi haec praecipiat ex iusta causa (Salm., n. 77). Nihilominus si quid aliud praecipiat extra regulam ex iusta causa, ei parendum erit tamquam Praeposito (V. Salm., 15, 6, 46), etsi non ex voto (Laym., n. 4).

(30) Sanch., *D.*, VI, 5, 18; Laym., IX, 10; ibiq. Azor., Vasq., Silv., Armill. Nisi forte superiores ordines aliquid instauraverint ad conservationem disciplinae alias interiturae (S. Alph., IV., 44; V. C. 1, *De Statu Regular.* in 6°).

(31) Salm., 15, 7, 48; S. Alph., IV, 38. *Quod tamquam ius commune in Religionibus inductum est, ad cavendas anxietates et dubia* (Bouix, *De Iur. Reg.*, To. II, Par. VI, Cap. III, pr. 4).

(32) Salm., 15, 6, 45.

(33) Caiet., 2, 2, 88, 5; Salm., 15, 6, 101, ibiq. Suar., Pal., etc.; S. Alph., IV, 46.

(34) C. 6, *De Statu Monach.;* V. D. Th., 2, 2, 186, 3 - *Ex his*, etc; ergo quae pretio non aestimantur habere possunt; puta SS. reliquias, ius eligendi (Laym., VII, 2); immo et *manuscripta*, quod consuetudine est introductum (V. S. Alph., IV., 14). Et gratis aliquod, velut administratoris, *officium* gerere ex hoc capite non prohibetur (Suar., *De Relig.*, To. III, Lib. VIII, Cap. V, 31; Lugo, *De Iust.*, III, 155).

(35) Fagn., in C. 2, n. 2, *De Statu Monach.;* Reiff., III, 35, 2; Laym., VII, 12.

teri si R. P. eis permiserit (36): improprium omnes in his Institutis ubi id consuetudine est introductum; sive rerum mobilium, quae certa (37); sive immobilium, quae verior sententia (38) est. Qui proprium peculium habet, non prohibetur de eo disponere; ideoque nedum valide, quod nemo negat, sed et licite, si quid opinor (39). Qui improprium, eo *uti*, nempe ad necessitatem, pro statu paupertatis, non *frui*, debet (40); et precario tantum, idest ad nutum superioris (41): nihilominus permittitur aliquid ex eo erogare ob causam honestam, parce ac prudenter (42). Ad haec, et is cui datur aliquid certi ac definiti (quasi pensum anni, vel mensis, vel diei), ut suis necessitatibus ipse provideat, quin rationem de eo reddere debeat, permittitur ea, quae parcius vivendo sibi ex his resecat, erogare (43).

220. At aliis, aut aliter, nihil proprium habere fas est (44). Sane quae propria alicuius esse possunt haec sunt: dominium, usus, possessio. Non *dominium*, et hoc planum est: ideo earum rerum quae ad monasterium pertinent, licet ab ipso acquisita, nec aliis quidquam dare potest (45), ne utendum quidem, et nec fra-

(36). V. Bouix, *De Iur. Regul.*, Par. I, Sect. 3, Cap. 3, Prop. 3.

(37) Ex Brev. Clem. VIII, an.1602; et Inn. XI, 1691, ap. S. Alph., IV, 15, v. *Hoc.* Ut ecce penes Moniales ubi *communis vita* exsolevit.

(38) S. Alph., *l. c.*, v. *Ita;* Bened. XIV, Br. *Postulat humilitati*, an. 1724. Hoc habent cum primis religiosi beneficiarii (Navarr.; Less.; Moli., II, 279). Hi disponere possunt de omnibus beneficii fructibus ad pias causas, *ex iure canonico* (Ex Clem., 2, § *Sed et tales, De Vit. et hon. Cleric.*, Laym., VII, 17), non secus ac quivis alius beneficiatus (V. Navarr., *De Reditib.*, Qu. 3, Monit. 17, 33; Less., II, IV, 29). Et iniussu Superioris, quia Monasterio non acquiruntur (Ex Clem., 1, *De Statu Monach.*).

(39) Gury, II, § 155, illicitum putat, *ob votum paupertatis:* sed si ita esset, apage disponendi ius (V. § 217, n. 56).

(40) Ex Trid., XXV, *De Reg.*, n. 2.

(41) Moli., II, 276; Azor., Par. I, Lib. II, Cap. IX. Quare is non potest usum irrevocabilem concedere (Laym., VII, 19).

(42) V. Salm., 13, 6, 24. V. c., in eleemosynam (Sanch., *D.*, VII, 19, 104): benevolentiae, erga Religionem vel seipsum, captandae aut conservandae gratia; item remunerationis causa; qua de re etiam plus quam acceperint, dare possunt, sed non ultra quartam eorum partem (Salm., 92; S. Alph., IV, 21). Quin plures docent, eos posse annua quoque livella condonare debitoribus suis (V. Ferrar., v. *Monialis*, II, 13), quippe, concessa utendi eis facultate, id quoque tacite concessum videtur (Navarr., *Consil.*, 3, n. 46, *De Statu Monach*; De Luca, *De Regular.*, Disc. 56, 7).

(43) Sanch., *D.*, VII, 19, 100; Salm., 13, 6, 27. Ut ecce dapes, quas ad mensam accipit (S. Alph., IV, 23).

(44) C. 6, *De Statu Monach.*, Trid., XXV, *De Reg.*, 2.

(45) Salm., 13, 6, 21. Et si dederint, nihil agunt: utputa si debitoribus suis accepto tulerint, aut remiserint (S. Alph., IV, 20).

tribus eiusdem coenobii (46); nec sibi retinere, vel in suos non necessarios usus consumere (47). Non *usum*, nempe ius utendi (Par. II, § 166), quippe quod est quasi dominii pars (*dominium utile*): ideo nec ab extraneo, nec ab ipsomet superiore, quidvis commodatum accipere potest, nisi ad huius, et dantis nutum, idest precario (48). Non demum *possessio* (49); *civilis* inquam (Par. II, § 118, n. 3), quia fur esset: *naturalis* voto non repugnat, quippe est aliquid facti, non iuris (50). Proinde nemo, verius, prohibetur retinere penes se RES ALIENAS, utputa oblatas sibi, quoad a superiore obtinuerit licentiam eas acceptandi (51); vel depositas (52), vel in pias causas erogandas (53). Ceterum, superiore ex iusta causa consentiente, cuique permittitur accipere et alienare (54); et sufficit, in rebus levioribus licentia etiam *probabiliter praesumpta* (55). Sed utrum eas valide an invalide expendat, consumet in usus illicitos (v. c., in comessationibus, ludis), quaestio non mediocris est (56).

221. Qui proprium, quoquo modo ex dictis, aliquid habet, sacrilegii, et si quid alienum auferat invito domino, vel superiore monasterii *quoad substantiam* invito, furti quoque reus est (57). Porro quoties furtum non deest, gravitas sacrilegii aestimatur ex furto (58). Furtum autem quod monasterio fit, aut fieri intelligitur, aestimari debet, ut alias (Par. II, § 252), tum ex opulentia monasterii, tum ex persona religiosi, non quidem quasi filii familias, ceu nonnullis

(46) V. Lugo, *De Iust.*, III, 157; Salm., 39. Scilicet nemo commodare, credere potest nisi quod suum est; et ideo nec ad rem pertinet *cui* commodet, credat.

(47) Salm., 13, 6, 21.

(48) Less., II, 41, 80; Salm., 13, 6, 2, 5, 14. Proinde voti reus est qui, quod a Superiore utendum acceperat ad certum modum vel tempus, alias utitur (Laym., VII, 6), vel tardius reddit, eo invito (Gury); immo et is, qui a Superiore *exhibere iussus*, occultat, ne is citius repetat (S. Bonav.; et Salm., n. 18).

(49) V. Sanch., *D.*, VII 9; Laym., VII, 4.

(50) Suar., Cap. V, 38.

(51) V. Sanch., *D.*, VII, 19, 50; Lugo, *De Iust.*, III, 150; Suar.; Laym.; Salm. 13, 6, 16.

(52) Lugo, *De Iust.*, III, 150; Pelliz., n. 232.

(53) Laym., VII, 16.

(54) Lugo, *De Iust.*, III, 129; Salm., 13, 6, 74.

(55) D. Th., 2, 2, 38, 8 ad 1; V. S. Alph., IV, 18.

(56) S. Alph., IV, 30.

(57) Less., II, 41, 80. Porro quoad substantiam invitus intelligitur si factum; quoad modum si usus tantum, in quem expenditur, sit illicitus; ut puta si det scorto, si res pretiosas comparet (V. Lugo, *De Iust.*, III, 141, 168). Exinde patet quid iuris sit, si Religiosus aliquid ludis exponat: nam si ludus honestus est, et fit recreandi animi causa, innoxius erit; secus erit quasi *factum illicitum* (Sed V. S. Alph., n. 32).

(58) Navarr.: Azor.; Sanch, *D.*, VII, 30, 3; Laym., VI, II.

visum, nec quasi famuli, ceu visum aliis, sed quasi inter utrumque (59), quippe utriusque habet aliquid. Si furtum absit (ut ecce si quid commodet, credat, permutet), gravitas aestimabitur ex damno, quod vel monasterio, vel fratribus contingere potest (60); et si damnum absit, ex materiae gravitate aestimabitur (61). Ad haec, is qui *sic* aliquid accipit, expendit, consumit, suo nomine retinet, incidit in poenas *proprietarii* (62): et restitutioni obligatur et ipse, et is qui ab eo accepit, quasi possessor seu bonae seu malae fidei (63).

222. At vero non alienat is qui acquirendi occasione non utitur (64): proinde non violat paupertatis votum religiosus, qui aliquid sibi sponte oblatum recusat; etiamsi offerentem roget, ut det alii, ut puta amico, vel consanguineo (65); immo etsi ipse accipiat, huic daturus (66). Nec qui operas suas, quas monasterio non debet, praestat aliis, ut ecce docendo, pingendo, sculpendo, exscribendo (67); quippe magis *officium* praestat. Nec is, si quid opinor, qui res monasterii corrumpit, perdit, etc., quippe magis damnificator videtur; sed plures ex Nostris docent, hunc quoque violati paupertatis voti reum esse.

223. Ad haec, regulares, qui proprium sui ordinis habitum habent, tenentur ex iure canonico illum gestare; et si eum dimiserint liberius vagandi causa, letali non carent (68). Demum, ex

(59) Cf. Lugo, *De Iust.*, III, 162.

(60) Cf. Salm., 13, 6, 34.

(61) Cf. Salm., 13, 6, 43, etc. Sed heic graviori quam in furto; et si res agatur cum fratre eiusdem coenobii, adhuc graviori materia opus est, quam si cum extraneo ageretur; at quanta haec esse debeat, inter TT. non satis convenit.

(62) Trid. XXV, *De Reg.*, 2. Poena autem *proprietarii* hodie est privatio vocis activae, et passivae per biennium (Trid., *l. c.*), quae tamen est *ferendae* sententiae (Salm., n. 7); *latae* vero in muneribus dandis, vel accipiendis ex C. *Religiosae* Clem. VIII, et *Super* Urb. VIII, ubi receptae sunt, et adhuc vigent. Verum *proprietarius* is tantum est, qui iniussu Superioris aliquid *suo nomine* (*quasi suum*) retinet, vel expendit (Reiff., III, 35, 17; Salm., 13, 6, 6, ibiq. Pelizz., Sanchez, Pal., etc.).

(63) Cf. Salm., 13, 6, 99, etc. *Ipse*, nempe parcius vivendo, et impensius operando (V. Prol., § 171, n. 57); at non cogitur resecare ex his quae sibi dantur ad usum necessaria (S. Alph., IV, 26).

(64) L. 6, *Quae in fraud. credit.*

(65) S. Alph., IV, 20. Dum ne ipse illud prius acceptaverit (Salm., 13, 6, 23), quippe quod acceptatione iam Monasterio quaesitum est (Prol., § 104, n. 14; Par. II, § 517, n. 23).

(66) Salm., 13, 6, 15.

(67) Lugo, *De Iust.*, III, 149; Croix, IV, 132.

(68) Ex C. 6, *Ne Cler. vel Mon.*, quo excommunicatione plectuntur. Haec autem hodie cessat quia ad *internum regimen* non pertinet (Prol., § 389, n. 3).

consuetudine, hi qui choro sunt addicti, seu religiosi in sacris non constituti, nec beneficium adepti sed qua regulares sunt, seu moniales, tenentur horas canonicas recitare quotidie sub gravi (69). Nihilominus, ex quacumque rationabili causa, satisfacere possunt recitando laicorum, seu laicarum preces (70); vel per ipsorum antistites, etiam inferiores, penitus dispensari (71). Nec singuli tenentur in choro eas recitare (72), sed communitas (73). Amplius, si non adsint saltem quatuor expediti (seu professi, seu novitii), chorus cessat (74).

224. Hactenus de regularibus in religione manentibus: nunc pauca de his qui a religione discesserunt. Horum duplex genus est: unum eorum qui regulares esse non desinunt, alterum eorum qui desinunt; illi regulis manent obstricti, hi non item. Sed omnes tenentur voto castitatis, ut prius: item et paupertatis, sed aliter, ut mox dicam: at voto obedientiae, quod ad regulas pertinet, hi solum tenentur qui adhuc *regulis* sunt obstricti. Qui idcirco tenentur gestare habitum, et insignia ordinis propria. Porro regulares manent promoti ad episcopatum, apostatae, et profugi: non manent saecularizati, et eiecti.

225. Eorum qui manent regulares haud omnium par conditio est. Etenim Episcopos sequitur solum votum obedientiae, verum soli R. Pontifici; et votum paupertatis (75). Sed *hoc* aliter prorsus: etenim a confirmatione fiunt capaces dominii acquirendi, et recuperant iura successionum (76): verum non sibi acquirunt, sed ecclesiis suis cathedralibus (77): idcirco de quaesitis nec disponere, nec

(69) Cf. Salm., 16, 2, 9, etc.

(70) Ex Priv. Inn. IV, ap. Salm., 16, 3, 61, quo vel propria auctoritate licet uti (Peliz., To. 1, Tr. V, Cap. VIII, 129; Salm., 62). Rationabili, ut ecce *si monialis sit scrupulosa, si extraordinarie defatigata, vel occupata in utilibus ministeriis,* si religiosi *laxati sint ex itinere, vel concione* (S. Alphons., IV, 63).

(71) Salm., 16, 2, 20. Utputa studiorum causa (S. Alphons., IV, 142).

(72) Pelliz., Tr. V, Cap. VIII, n. 7.

(73) Clem., I, *De Celebr. Miss.*

(74) Salm., 16, 1, 6. *Expediti,* ideo *si sint legitime occupati, nec etiam si quatuor sint, ad chorum obligantur* (S. Alph., IV, 143).

(75) Ex C. 15, in fi., *De Vit. et honest. Cleric.;* D. Th., 2, 2, 185, 8. Promoti ad Cardinalatum eodem iure censentur (Suar., *De Relig.,* To. IV, Tr. VIII, Lib. III, Cap. 18, 4).

(76) S. C. C., 7 dec. 1639. Sive testatas, sive intestatas (Rot. Rom. ap. Ferrar., v. *Episcopus,* VII, 13). Eas quoque quibus renunciaverant: nempe a promotione delatas (S. C. C., in Neapolit., 3 dec. 1639, ap. Bouix, *De Iur. Reg.,* To. II, P. V, sect. 1, Cap. VIII, q. 7; *Acta,* I, 227; V. Par. II, § 335, n. 10).

(77) C. un., Cau. 18, 1; D. Th., *l. c.* Et omnia prorsus (Lugo, *De Iust.,* III, 232). Episcopi autem Ti-

testamentum facere possunt (78): sed possunt *uti, frui:* immo et de suis reditibus ecclesiasticis disponere inter vivos, perinde ac Episcopi saeculares (79). *Regulis* non omnibus tenentur, sed iis tantum, quae *Pontificale officium minime impediunt* (80): verum habitum pene omnes, ut prius, gestare debent (81). At *apostatae,* et *profugi* (qui eodem iure censentur) et votis, et regulis manent obnoxii, prout antea (82). Ad ultimum quod sive *illi,* sive *isti,* sive *hi* acquirunt, hodie, ipsis mortuis, pertinet ad Cameram Apostolicam, iure *spolii* (83).

226. Qui religiosi esse desinunt, sive *saecularizati* (84), sive *eiecti* (85), solvuntur *regulis,* et voto obedientiae (86), hoc excepto quod *eiecti,* si revocati fuerint, redire tenentur (87). Non item voto paupertatis (88): ideo nec testamentum facere possunt (89); nec

tulares debent ipsimet haec in pias operas distribuere (Suar., Cap. 17, 5): hac re testamentum facere prohibentur (D. Th., *l. c.* Nihilominus V. Ferrar., n. 14).

(78) D. Th., 2, 2, 185, 8 ad 3.

(79) Molin., *De Iust.,* II, 278; Less., II, IV, 29; Sanch., *D.,* VI, 6, 4. In S. C. C. 17 iul. 1723, ap. Bouix, *l. c.;* Laym., VII, 17.

(80) Bened. XIII, C. *Custodes,* 7 mart. 1725.

(81) Ben. XIII, *l. c.* Sed retento colore, possunt ea uti forma, qua Episcopi saeculares utuntur (S. R. C. 11 iun. 1605). At officium propriae Dioecesis recitare debent (S. R. C., 11 iun, 1605; Ferrar., n. 7). Sed, amisso episcopatu, necesse habent *redire ad eadem claustra;* secus olim a Pontificalibus, et a divinis suspendebantur eo ipso (Bened. XIII, *l. c.*). Idem pene iuris est in parochis (Ex S. C. C., 23 maii 1722; 7 iul. 1723; *Acta,* I, 227; S. Alph., IV, 4). Ideoque, et votis tenentur et Regulis, quae cum officio parochiali consistere queunt (Pal.; Sanch.; Salm., 15, 5, 40). Et si quid acquirunt ex beneficio parochiali, parochiae acquirunt (Salm., 13, 2, 297). Et habitum gestare debent, et dimisso beneficio ad suum monasterium reverti (Pelliz., Tr. V, Cap. VII, 39. Salm., 15, 5, 40).

(82) Reiff., III, 31, 251. Hi sunt qui propria voluntate discedunt; seu nunquam (*apostatae*), seu aliquando (*profugi*) reversuri.

(83) S. Pius V, *Grave Nobis,* 26 maii 1566; Lugo, *De Iust.,* III, 325.

(84) Suar., *De Relig.,* To. IV, Lib. II, Cap. 3, n. 5; Sanch., *D.,* VI, 6, 5, ibiq. Caiet., Less., etc.

(85) Suar., Lib. III, Cap. V, n. 11; Less., II, 41, 15; Salm., 15, 5, 94. Ideo non tenentur ieiuniis, vigiliis (V. S. Alph., IV, 81); nec horis canonicis, nisi fuerint in sacris (S. Alphons., 142, d. 1).

(86) Molin., D. 140; Azor., P. I, Lib. 12, Cap. 16, q. 11. Subsunt igitur Ordinariis, prout alii de clero (Less., II, 41, 114); nisi in indulto saecularizationis aliud comprehensum sit.

(87) C. 23, *De Reg.,* Et si, emendati, redire velint, recipiendi sunt (S. C. C., probante Urb. VIII, an. 1693; Cf. Bened. XIV, *De Syn.,* XIII, XI, 19, 20).

(88) Salm., 15, 5, 92. Nec his obligationibus, quae proprii Instituti peculiares sunt (Sanch., *D.,* VI, 9, 56; Salm., n. 94): v. c., docere pueros, ministrare infirmis.

(89) S. C. C., 23 ian. 1863. Ne Ordine quidem ipso canonice extincto (S. C. C., 13 maii 1679; *Acta,* I, 225). Et si cui factio testamenti activa

quidquam sibi acquirere, sed quidquid acquirunt, ipsis mortuis, devolvitur iure spolii ad R. C. A. (90): at interim administratio penes ipsos est, *nec cuiquam curae est, quomodo expendant* (91). Ad haec, *eiecti* necesse habent incedere in habitu et tonsura clericali et subesse Ordinario loci (92); ac perpetua suspensione tenentur (Prol., § 395, 5°); *sublata Ordinariis facultate eam relaxandi, aut moderandi* (93).

APPENDIX.

DE CLAUSURA.

227. Clausura dicitur totum illud spatium, quod septis Monasterii (seu virorum, seu mulierum) continetur (1): loquimur de clausura Pontificia. Clausura virorum duo praestat: ut nulli Religioso liceat excedere e monasterio sine licentia superioris, saltem praesumpta; interdiu sub levi, noctu sub gravi (2): utque nulli mulierum liceat in eam pedem inferre, nulli eas admittere; utrisque sub poena excomm. latae sententiae R. P. reservatae (3).

permissa fuerit, non ideo etiam passiva ei concessa intelligitur (V. *Acta*, I, 226).

(90) S. Pius V, C. *Grave Nobis*, 26 maii 1866; Lugo, *De Iust.*, III, 325. Ubi autem ius spolii non amplius viget, ad S. Sedem non pertinet, et planum est. Utrum vero ad monasterium pertineat, *in eiectis* dubitatum est (eoque magis in aliis dubium recipit): negativam sententiam tenuerunt Navarr. (*Comment.* II, 33) et Sanch. (*D.*, VII, 33, 26) quasi ab extraneo acquisitum: et probabile fuit Lessio (II, 41, 112). Nec immerito, ex L. 36, *De Stipul. servor.* Itaque, si usus aut lex civilis ad propinquiores deferat eorum hereditatem, reor hos non esse inquietandos.

(91) Less. II, 41, 113. Ergo in usus honestos licite, in turpes valide expendere, probabilis (Moli., D. 276; Less., *l. c.*), et forte verior, sententia est (§ 216, n. 39).

(92) Urb. VIII; V. Ferr., v. *Eiecti*, § 4.

(93) S. C. C., prob. Urb. VIII, 21 sept. 1624, ap. Reiff., n. 240. Ideo ad Superiores Ordines promoveri non possunt (Salm., 118). Quoad religiosas congregationes (Prol., § 107). sciendum est, vota in eis edi sub tacita conditione, *quamdiu dimissus non fuerit*, ideo, professo, ex iusta causa, vel mutuo consensu dimisso, ipso iure evanescunt (V. Lucidi, II, p. 24, 40; Bouix, *De Iur. Reg.*, To. 2, Par. VI, Sect. 3, Cap. 2).

(1) Greg. XIII, C. *Deo Sacris*. Tectum autem monialium extra clausuram esse censuit (S. C. Epp., 18 sept. 1609).

(2) S. C. C., ap. Fagn., in C. *Cum Capella, De Privileg.*, prob. Urb. VIII.

(3) Prol., § 391, VII. Sed utrum excommunicationem incurrant qui admittunt puellas septennio minores? Sane id a S. C. Epp. pluries vetitum fuit; nihilominus quia adhuc nonnulli leve esse putant (V. Ferrar. v. *Conventus*, III, 20; Bouix, *De Iur. Reg.*, To. II, Sect. V, Cap. 7), negandum videtur.

228. Clausura monialium longe arctior est; etenim iniussu R. P. eam, I. nulla earum egredi, nisi incendii, leprae, epidemiae (4), aut qua simili causa (5); II. nemo *ingredi* permittitur, cuiuscumque *generis, condictionis, sexus, aetatis;* praeterquam necessitatis causa (6). Causae huiusmodi sunt, 1° infirmarum cura; 2° sacramentorum administratio; et 3° commune servitium (7). Ex 1° licet medicis et chirurgis ad medendas aegrotas (8); ex 2° confessario ad ministrandum infirmis poenitentiam, euchar. (quoties haec datur sanis), et extr. unct.: nec non ad commendandas animas agonizantium (9): ex 3° operariis, baiulis, olitoribus, etc. (10). Verum non sufficit causa iusta, sed licentia quoque opus est. Haec

(4) S. Pius V, C. *Decori et honestati.* Epidemiae, idest cuiusvis morbi contagiosi (S. Alphons., VII, 229) quod coenobium, et non Urbem tantum, invaserit (S. C. Epp., 20 febr. 1720; Ben. XIV, *De Syn.*, XIII, 12, 31). Porro clausura, etiam in Monasteriis exemptis, curae et vigilantiae Episcopi (Alex. VII, C. *Felici*), tamquam delegati Sedis Apost. (C. un., § ult., *De Statu Reg.* in 6°). commissa est.

(5) Reiff., III, 35, 50; S. Alph., *l. c.* - *Simili,* velut inundatio, ruina, latronum incursus.

(6) Cit. C. un.; Trid, XXV, *De Reg.*, 5; Ben. XIV, C. *Salutare*, § 3. - *Cuiuscumque*, etc. (C. *Ap.Sedis;* Prol., § 391, VI); ideoque nec ipsi locorum Ordinarii, nisi visitationis aut necessitatis causa (qui hisce in casibus, cum paucis, iisque senioribus ac religiosis viris, ingredi debent, Greg. XIII, C. *Dubiis*); nec infantes, nec amentes (Sanch., *D.*, To. VI, 26, 5). Et amentes introducere grave est (Navarr.; Gallem., ad Trid., XXV, *De Reg.*, 5): utrum et infantes, multi probabiliter negant (Rodrig.; Sanch.; Barbo.; Laym.; Reiff., III, 35, 39; Schmalz., III, 35, 113; ibiq. Navarr., Suar., Azor.): sed vetari expedit (V. Ben. XIV, Not. 29, 24). Et hodie ne famulae quidem vel educandae sine licentia R. P. admitti possunt (Ben. XIV, C. *Per binas*). Quaestionis est, an monialis legitime egressa, v. c., ad curandam valetudinem suam, dum accedit ad locum, vel in eo moratur, admitti possit in Monasterio, saltem, eiusdem Ordinis: a negantibus allegatur Decr. S. C. C., 16 iunii 1585 (V. Ferrar., v. *Monialis*, III, 40).

(7) S. Alph., VII, 225.

(8) Reiff., III, 33, 53.

(9) Alex. VII, C. *Felici*, § 5. - *Quoties*, etc. Non item ex alia causa, utputa ad exorcizandas obsessas (S. C. Epp., 1 iul. 1606), ad exequias defunctae monialis peragendas (S. C. Epp., 10 mart. 1577). Et intrare debet cum cotta et stola (S. C. Epp., 22 dec. 1602); *et*, si *est regularis*, cum socio (cit. C. *Felici*, § 5), duabus monialibus usque comitantibus; rectaque via ire et redire, nec ad aliam monasterii partem, vel ad aliam monialem divertere (cit. S. C. Epp., 13 sept. 1887); nec refici, aut cibum aut confectas potiones sumere (S. C. Epp., 2 mart, 1865, prob. Pio IX). Et si necesse sit monialis, forte infirmae, confessionem excipere, excipienda erit patentibus cubiculis, et monialibus, quae ipsum comitatae sunt, ad valvas cubiculi sic consistentibus, ut tum ipsum, tum infirmam facile conspicere possint (cit. S. C. C., 9 mart. 1609; V. Ferrar., V, 1, 51, etc.).

(10) Gloss., in C. un., *De Stat. Reg.* in 6°. Verum satagendum est ut *hi* non sint in monasterio ante solis ortum, vel post occasum (S. C. Epp., ap. Pignat., To. VI, Cons. 85, 102).

nisi periculum sit in mora, monialibus ut *egredi*, a R. P.; aliis, ut ingredi, ab Ordinario semper, et, si monasterium sit exemptum, a superiore quoque eius Ordinis (nisi alius sit usus) danda est (11). Nempe speciatim (12), et quoties opus est; exceptis medicis, chirurgis et confessoribus ordinariis, quibus danda est ad tempus (13), et illa (*egrediendi*) praeterea in scriptis; alias pro non data erit (14). Egressis autem, vel ingressis, necessitate, vel officio defunctis, statim revertendum, egrediendum est; et si moram fecerint, illae post duobus tresve dies (15), hi post horae quadrantem (16) letali non carent. Qui violant clausuram, sive EXEUNTES (non item, hodie, eas comitantes, vel recipientes, ut olim), sive INGREDIENTES *cuiuscumque generis, conditionis, sexus, aetatis; pariterque eas* INTRODUCENTES vel ADMITTENTES *sine licentia*, incurrunt excomm. R. P. r. (17). Amplius, quoad moniales, accessus quoque ad earum monasteria cum eis colloquendi causa, quodammodo ad clausuram pertinet (18): ideoque vetatur et regularibus, et saecularibus. Et regularibus vetatur etiam quoad moniales sui ordinis, suisque praelatis subiectas, aliasve intra clausuram degentes (19); etiam ex causa quantumvis honesta et rationabili (20): nempe sub gravi, etiam *per quodcumque modi-*

(11) Urb. VIII, 17 iun. 1630; V. Ben. XIV, *De Syn.*. XIII, 12, 23.

(12) C. un., pr., *De Stat. Reg.* in 6°.

(13) S. C. Epp. ap. Lucidi, II, p. 138; 9 sept. 1586; V. S. Alph., VII, 226.

(14) S. Pius V, C., *Decori;* V. Prol., § 391, VI.

(15) Sanch., *D.,* VI, 16, 19; S. Alphons., VII, 289.

(16) Pelliz., X, 24; S. Alphons., 227.

(17) Trid., XXV, *De Reg.,* 5; S. Pius V, C. *Decori;* Greg. XIII, C. *Deo Sacris.* Dixi, 1° *sine licentia* (cit. § 391, VI), ergo, si haec non desit, excommunicatio, etsi quis ingrediatur *ad malum finem,* HODIE cessat. Dixi; 2° *egredientes, vel ingredientes,* etc., non aliter, quia versamur in poenalibus (S. Alph., VII, 228, d. 7): ideoque excomm. non incurrit quae rotam ingressa vertit se ad partem exteriorem, etsi peccet (Greg. XIII, C. *Deo Sacris*); quae supra tectum ascendit; quae rite egressa, vel ingressa, revertendi vel egrediendi moram facit, etsi letalem.

(18) Ex C. un., *De Stat. Reg.;* et Trid., XXV, *De Reg.,* 5; S. Alph., VII, 242.

(19) Xyst. V, Paul. V, Urb. VIII, Gregor. XV; C. *Inscrutabilis;* V. S. Alph., VII, 233. Sed cum monasterii antistita, hoc grave esse non immerito dubitatur (V. S. Alph., 238). Episcopi autem non possunt alicui eam dare plusquam quater in anno; nec is cui datur ea uti, nisi praesente confessario, diebus non festivis, et extra adventum, sabbata et vigilias (Decr. S. C. Epp., 20 nov. 1623, iussu Urb. VIII; Ferrar., V, IV, 15).

(20) S. C. C., 26 nov. 1672; Ben. XIV, *l. c.* Etiam si de his tantum colloqui velit (cum forte praedicationis apud eas munus obit) quae in concione tractaverit (S. C. C., 21 maii 1618; Ben. XIV, *ib.*). Excipiuntur superior, cui incumbit cura monasterii, visitatores, et confessarius, sive ordinarius, sive extraordinarius vel

cum tempus (21), et privatione vocis activae et passivae, inhabilitate ad confessiones audiendas, et amissione beneficii, si quod habent, *ipso iure* (22). Saecularibus vero (sive clericis, sive laicis) tantum vetitum est monasteria *frequentare sine manifesta et rationabili causa* (23); sed citra Ordinarii prohibitionem, verius, est leve (24): at, postquam is vetuerit, clerici suspensione, saeculares excommunicatione coerceri possunt (25). Ceterum ad moderandos rigores huiusmodi plurimum valet consuetudo (26).

Et haec de beneficiis ecclesiasticis, de obligationibus seu omnium seu singulorum Christifidelium, pro re nostra satis multa.

ad tempus deputatus (S. C. C., 1590, de mandato Xysti V, ap. Pelliz., Cap. V. 194, 195); sed tunc solum cum necesse habent suo officio defungi (S. C. Epp., 4 maii 1618, apud Pelliz., 175).

(21) S. C. C., 11 maii 1669. Idest ultra horae quadrantem (S. Alph., VII, 236).

(22) Clem. XII, C. *Rom. Pontifex*, 12 febr. 1782, apud Ferr., IV, 21; S. Alph., VII, 233, 234).

(23) C. 8, *De Vit. et hon. Cler.*

(24) Sanch., *D.*, VI, 16, 120; S. Alphons., VII, 235.

(25) Cit. C. 8. Et si Episcopus id vetuerit sub censura l. s., quia in his utitur iure delegati Sedis Apostolicae etiam in suis monasteriis (Greg. XV, C. *Inscrutabili,* 5 febr. 1591), regulares quoque ea tenentur (S. Alph., VII, 241). Non item peregrini (Prol., §§ 205, 312), quia iurisdictio haec recidit in ordinariam, quae territorio finitur (V. Prol., § 73, n. 23).

(26) Reiff., III, 35, 66. – Quae heic, et supra de beneficiis ecclesiasticis (licet supervacanea penes nos huc aetatis forte videri possunt), latius prosequuti sumus, primo quia iam ante hos annos prope quadraginta scripta erant, paucis exceptis; deinde quia non est abbreviata manus Domini.

LIBER III.

DE SACRAMENTIS

TRACTATUS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE

TITULUS I.

De Natura Sacramentorum Novae Legis.

229. Sacramentum (graece mysterium) scriptoribus sacris est res *arcana* (1); profanis *sacra* (2); TT. arcana, sacra, et sacrantis rei signum est (3). Definitur: « *Invisibilis gratiae visibile signum* » (4). *Signum*, quippe aliquid occultum significat; *visibile*, quia percipitur sensibus. Occultum autem huiusmodi est *gratia;* nempe habitualis, quae per antonomasiam gratia simpliciter dici solet. Sacramenta extitisse in lege naturae, nemo dubitat; quaenam illa fuerint, nemo scit. Extiterunt in V. T., extant in T. N. Utrorumque multiplex dissimilitudo: haec praecipua, quod illa gratiam significabant dumtaxat (5); haec et significant, et continent (virtualiter, ceu medicina salutem) et conferunt (6). Quocirca Sacramentum in N. T.

(1) Ut puta *Tob.*, XII, 7.

(2) Varr., *De Ling. Lat.*, Lib. 4. Et in primis iuramentum significat.

(3) D. Th., III, 60, AA. 1, 2. Et non tantum arcanae (ut somnus Adae), nec sacrae tantum (ut SS. Imagines) signum est.

(4) *Catechism. Rom., h. t.*, § 1.

(5) Eug. IV, in Conc. Flor. Decret. *Pro Union. Armen. - Dandam,* scilicet, per fidem passionis Christi, quem praefigurabant; ut Circumcisio, Agnus Paschalis, etc.

(6) Trid., VII, *h. t.*, Can. 6. Sive, ut in scholis loquimur, illa erant tantum *in genere signi*, haec sunt *in*

melius definitur: « *Res sensibus subiecta* » seu potius « *Signum sensibile, quod ex Christi institutione, gratiae tum significandae tum efficiendae vim habet* ». Dixi *seu potius,* quia res huiusmodi habet vim signi: et constat rebus, et verbis; sive, uti scholastici aiunt, materia et forma (7), in his duobus omnis vis signi, in signo omnis sacramenti vis posita est (8).

230. Sacramenta Novae legis haec sunt: baptismus, confirmatio, eucharistia, poenitentia, extrema unctio, ordo, et matrimonium: nec plura, nec pauciora (9). Omnia fuisse a Christo instituta, fide constat (10): ideoque, verius, immediate per se, non mediate, idest

genere signi, et *in genere causae* (efficientis); nempe *instrumentalis:* ut, v. c., in statua perficienda *scalprum;* nam causa principalis est mens et virtus agentis (V. D. Th., III, 62, 1). *Per quae omnis vera iustitia* vel *incipit,* vel *coepta augetur,* vel *amissa reparatur* (Trid., Sess. VII, prooem.).

(7) Guil. Antisiod., *Summ. Theol.,* anno 1210. Ex his autem *fit quodammodo unum, in quantum, scilicet,* per verba perficitur *significatio rerum* (D. Th., III, 60, 6, ad 2). Idest, quia haec significatio rebus inest subobscure, velut aqua in baptismo (qua utimur ad abluendum, ad refrigerandum, ad irrigandum); verbis autem perspicua fit et aperta: scholastici res materiam, verba formam (quae dat esse rei) dixerunt (V. D. Th., III, 60, 6; Salm., 1, 4, 18, etc.). Quare formam heic non accipimus, quasi aliquid accidentale, quod substantiae cohaeret, sed partem qua signum perficitur, vere essentialem, immo praecipuam, *quia ad esse rei principalius requiritur forma* (D. Th., III, 88, 7). Signum autem huiusmodi nec penitus naturale est, cum fuerit a Christo institutum; nec est penitus arbitrarium, quippe eius quod significat similitudinem habet (Lugo, 1, 29): quam si *non haberent omnino, sacramenta non essent* (S. Aug., Ep. 28 alit. 93, *Ad Bonifac.*).

(8) D. Th., III, 60, 1. Idest, *quodvis sacramentum significando efficit* (D. Th.); atque ideo omnia sacramenta (nempe uniuscuiusque materia et forma) *id efficiunt quod significant* (D. Th., in 4, D. 27, Art. 2, Sol. 3). Itaque quodlibet sacramentum, cum significat, ceteris paribus, necessario efficit id quod significat; sive ut ait Innoc. III (in C. 1, § 1, *De Sacra Unct.*). *Si digne sumitur, vel agit, vel auget absque dubio quod designat;* et cum non significat, nihil efficit. Significat autem cum primis gratiam (D. Th., III, 60, 3); et interdum (prout in baptismo) etiam gratiae et *causam,* nempe Passionem D. N. I. C.; et *finem,* idest vitam aeternam (D. Th., *l. c.*). Et ideo est signum *demonstrativum* gratiae, *rememorativum* passionis Christi, *praenunciativum* gloriae (D. Th., *l. c.*). Dixi *interdum,* nam *ea sola* significatio *est de essentia sacramenti, qua significatur effectus sacramenti* (D. Th., in 4, Dist. 30, q. 2, Art. 2, ad 2).

(9) Trid., *l. c.*, Cap. 1. Scilicet, quemadmodum in vita corporali opus est nasci, adolescere, ali, aegrotum sanari, contra hostes muniri in periculis, regi, ac multiplicari; ita et in vita spirituali. Et *baptismo* quidem nascimur, *confirmatione* adolescimus, *eucharistia* alimur, *poenitentia* ab infirmitatibus (peccatis) convalescimus; *extrema unctione* morituri roboramur ad pugnam, *ordine* ministri quibus Ecclesia regitur consecrantur, *matrimonio* christiana respublica conservatur (D. Th., III, 65, 1).

(10) Trident., *l. c.* Nempe baptismum, probabilius ante passionem suam

per Apostolos vel Ecclesiam; quod de baptismo, eucharistia, poenitentia, ordine, et matrimonio nemo unquam dubitavit; de confirmatione et extrema unctione post Tridentinum nemo amplius dubitat. Et licet nondum definiti iuris sit, utrum materias confirmationis, extremae unctionis et ordinis ipsemet Christus determinaverit in specie *atoma* (infima), an ea Ecclesiae determinanda reliquerit, definiti iuris est, ab Ecclesia mutari non posse (11). Acturi de sacramentis, dispiciamus primo quae ad naturam, deinde quae ad administrationem eorum pertinent.

CAPUT I.

QUIBUS SACRAMENTA N. L. PERFICIANTUR.

231. Sacramentum est signum conflatum ex materia (proxima) et forma. Verum materia proxima et forma non extant ex se, sed actionibus continentur, quibus ex utraque conficitur signum, seu sacramentum; ideo ministro praeterea opus est, qui ea conficiat: nec utcumque, sed *cum intentione* faciendi saltem quod facit Ecclesia (1): quamobrem intentio quoque ministri quodammodo ad sacramenti substantiam pertinet (2). Omnia igitur *sacramenta novae legis* duobus constant (3), et *tribus perficiuntur: rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Quorum* proinde *si aliquid desit, non perficitur sacramentum* (4). Deesse autem in-

(*Ioan.*, III, 4); eucharistiam, qua nocte tradebatur (*Matth.*, XXVI, 26); poenitentiam, quando excitatus a mortuis dedit Apostolis potestatem remittendi peccata (*Ioan.*, XX, 22); ordinem, tum in ultima coena, quando consecrandi (*Matth.*, XXII, 19), tum post resurrectionem suam, quando absolvendi eis potestatem constituit (*Ioan., l. c.*); matrimonium, quo tempore ad sacramenti dignitatem evexerit, utrum in Canae nuptiis, an cum illud perpetuum esse iussit (*Matth.*, XIX, 5), non satis constat (Cf. Pont. *M.*, Lib. I, Cap. VI). Nec satis liquet, quo tempore confirmationem et extrem. unctionem instituerit.

(11) Trid., XXI, Cap. 2: Pont., *M.*, IV, 3. Nam si ea determinavit Christus, ratio evidens est; sin Apostoli, functi sunt mandato (Prol., § 77, n. 55).

(1) Trid., VII, Can. XI. *Ministrum* vero accipere debemus eum, cui potestas ea administrandi, quodam quasi *mandato,* credita est.

(2) Lugo, II, 133; Salm., 1, 7, 9. Immo haec magis quam materia, et forma; etenim Christus non haec, sed ministrum per haec, gratiam praestare constituit (Suar., 16, 2). Dixi autem *quodammodo,* quia intentio, cum cogitatione lateat, *signi sensibilis* pars revera non est.

(3) Trid., XIV, Cap. 2.

(4) Eugen. IV, cit. Decr., § 9. Sed numquid non opus est etiam *subiecto* idoneo, et *intentione eius* recipiendi sacramentum si fuerit adultus? Ita porro, sed ut sacramentum vim suam

telligitur, nedum si absit omnino, sed etsi aliud pro alio adhibitum fuerit, vel substantialiter fuerit immutatum. Haec autem non sunt *physice*, sed moraliter aestimanda: quia effectum praestant, non ex indita naturali vi sua, sed supernaturali et divina (5). At iam singula dispiciamus. Verum quae hic dicturi sumus, non semper poenitentiae, raro autem matrimonio aptari possunt; quippe *illa* ad instar iudicii conficitur, *hoc* ad instar contractus.

ART. I. *De Materia.*

232. Materia Sacramenti dicitur *res* illa, vel *actio* qua, ex Christi institutione, Ecclesia utitur in sacramentis conficiendis, prout aqua in baptismo, impositio manuum in ordine (1). Diducitur in remotam, et proximam. *Remota* est *res* ipsa (in *actione* haec distinctio cessat) velut aqua: *proxima* est huius rei usus, velut ablutio. Ceterum quoties materiam simpliciter dicimus, remota intelligitur.

233. Uti igitur sacramento vis constet sua, ea materia adhibenda est, quam Christus instituit: qui aliam adhibet, ut puta vinum in baptismo, vel aquam in eucharistia, nihil agit. Alia vero esse cum primis videbitur, si, 1° vel *nondum* ita perfecta sit, ut usui naturali suo deservire possit (ut panis crudus, vel omphacium); vel contra, 2° ita corrupta, ut pristinam naturam perdidisse videatur (ut panis mucidus, vel acetum); vel 3° si admixtione alterius materiae immutata fuerit substantialiter (non item si accidentaliter tantum). Verum, quia hoc moraliter, non physice, aestimandum est (§ 223, n. 5), tunc substantialiter immutata censebitur, cum opinione hominum alia esse intelligitur: huius rei vero in primis indicium erit, si alio, ac antea, nomine nuncupetur (2). Plus; si materia extranea admisceatur, velut aqua vino, si utraque ex aequo, vel quasi, admisceatur, nec aqua, nec vinum intelligitur (3); ideoque nec consecrationi deservire poterit, nec baptismo (4); sin

exerat, non ut sua illi *per se* vis constet: sic, v. c., ignis, etsi non comburat amiantum, ignis est. Porro hic admonendi sumus, hoc decretum, non a Concilio Florentino, sed ab Eug. IV in *Sess. Ult.* illius Conc. editum fuisse, pro instructione Armenorum, Ecclesiae Romanae disciplinam scire cupientium; ideoque non dogmaticum esse, ceu visum multis, sed historicum: quod velim ne excidat.

(5) Cf. Suar., Disp. 2, Sect. 4; Laym., *h. t.*, IV, 4; Spor., *h. t.*, n. 82; S. Alph., VI, 9.

(1) D. Th., III, 60, AA. 5, 6.

(2) Suar., 2, 4, v. *Si vero;* Lugo, II, 104; Laym., IV, 4; Spor., n. 86.

(3) D. Th., III, 74, 3, ad 3.

(4) Ex Croix, VI, 1, 424.

autem extranea in minori quantitate fuerit admixta, sacramentum valet, dummodo haec nec alterius speciem solvat (5), quod planum est; nec, ut arbitror, usum depravet (6), nam si depravet usum, ubinam *signum?*

234. Hoc primum: praeterea si materia sit capax benedictionis, prius benedicenda est, ut sacramentum valere possit (7); exceptis baptismo et eucharistia; quia ipsemet Christus Dominus omnem aquam in usum baptismi, omnemque panem et vinum in eucharistiae usum, tunc consecravit, cum in Iordane baptizatus fuit, et cum haec in ultima coena consecraturus benedixit (8). Et a proprio ministro est benedicenda (9); et unaquaeque suo ritu: nihilominus si utaris materia benedicta a ministro, proprio quidem, sed alio ritu (idest alia benedictione), sacramentum valere multis probabile est (10).

Art. II. *De Forma.*

235. Forma igitur sunt verba quibus id, quod materia subobscure demonstrat, apertius significatur. Et ideo constat verbis (non literis, nutibus, signis): non quibusvis inquam, sed his quibus ex Christi institutione utitur Ecclesia. Omnis igitur vis formae aestimatur ex

(5) V. D. Th., III, 66, 4. Ut ecce, si consecratus vino debiliori aquae paullo minorem quantitatem infundas; vel, contra, baptizaturus infundas aquae meri potentioris quantitatem paullo minorem.

(6) Ex Lugo, *De Euch.,* IV, 4; Croix, VI, 1, 261. Idest, dum ne materiam suo usui faciat ineptam; ut ecce quae ex aqua facit atramentum. Sane perperam consecratur massa panis cruda; cur, nisi quia, licet crudi coctique eadem natura sit, non idem tamen est usus? Nisi forte, quia minimum pro nihilo est, res ad horam dumtaxat amiserit usum; utputa, si baptizares aqua coenosa, consecrares vinum gelu concretum (S. Alphons., VI, 105, 5; 207, q. 2).

(7) S. Alph., VI, 163, 709. Probatur exemplo tum Christi, qui panem et vinum quod consecravit prius benedixit; tum Ecclesiae, quae nunquam materiis non benedictis usa est; tum ratione, etenim videtur inconveniens, non his rebus sanctificari quae nondum profanae ipsae esse desierint (V. D. Th., III, 72, 3).

(8) D. Th., cit. Art. 3. Haec igitur quaestio ad oleum chrismatis, et infirmorum dumtaxat pertinet.

(9) Laym., *De Confirm.,* II, 2. Sane proposito dubio: *An in casu necessitatis Parochus, ad validitatem Sacramenti Extremae Unctionis, possit uti oleo a se benedicto,* S. U. I., die 14 septemb. 1842, probante Greg. XVI, respondit *negative ad formam* Decr. 13 ian. 1655. Quod probaverat Paulus V; qui contrariam sententiam explosit quasi *temerariam, et errori proximam* (*Acta,* I, 41; V. S. Alph., VI, 163, 709).

(10) Suarez, Henriq., ap. S. Alphons., VI, 709, d. 2; Laym., *De Extr. Unct.,* II, 2. Ut ecce, si oleo cathecumenorum confirmes infantem, vel ungas infirmum. Aliud putant Bellar., Valent., Pal., etc. (V. Salm., 7, 2, 8; S. Alph., VI, 163, d. 2; 709, d. 2).

significatione verborum (1). Age nunc: verba duo significare debent; effectum sacramenti, et actionem sacramentalem quatenus in re praesenti perficitur a ministro (2): significatio vero aestimari debet, 1° ex verbis ipsis; 2° ex eorum syntaxi; et 3° pronunciatione. Si quid igitur mutatum fuerit, siquidem forma adhuc *idem* significat, sacramentun valet; sin *aliud*, non valet: et si *incertum* videatur utrum significet idem, an aliud, sacramentum quoque in incerto erit (3). Tantum si inciderit aliquid *aequivocum*, vel *ambiguum*, spectanda erit ratio proferendi, et mens proferentis (4). Sed necesse est singula persequi.

236. Principio igitur utendum est, I, *his* VERBIS prorsus; nempe, 1° quibus Ecclesia catholica utitur, hisque, 2° *solis*, et 3° *omnibus*. Itaque (ex 1°) si *aliis* usus fueris, siquidem synonimis, ratum est sacramentum; sin minus, irritum; sin dubiis, incertum (5). Cete-

(1) D. Th., 3. 60, 8, ad 1. Ex hac enim *signi* atque ideo (§ 89, n. 8) efficiendi vim habet. Quamobrem si in forma alia forte verba contineantur, vel addita fuerint, si HAEC novam virtualiter propositionem contineant, ILLIS prolatis, regulariter, illico ceteris paribus, fit sacramentum. Itaque si in consecratione panis, graecus presbyter omittat ea verba, *quod pro vobis tradetur*, vel in consecratione vini latinus dicat, *qui pro* VOBIS *non effundetur*, consecratio utrobique valida est: quorum primum certum, alterum probabilius est (Lugo, II, 125, 127).

(2) Cf. Ronca, *De Bapt.*, Cap. V, q. 5. Proinde forma exsulat, ex 1° si dicas, v. c., in baptismo – *te absolvo* – aut, verius, in poenitentia – *te mundo* –; ex 2° si dicas in utroque – *ego volo te baptizare, absolvere*, etc. – Quid si dicas: – *Christus te baptizat, absolvit*? – Ronca. (*l. c.*) putat hanc formam irritam esse; Suar. (D. 32, Sect. 3, in fine), Reginald., (28, 13), Spor. (*De Poenit.*, 599), ratam; quia nihil refert, utrum actio ministri exprimatur in actu secundario (qui ab homine) an in primario, qui a Christo perficitur. Et est verius (Sed V. § 234, n. 1).

(3) Cf. Bonacin., *h. t.*, Disp. I, Quae. 2, P. 1, 16; et Lugo, Disp. II, Sect. VI.

(4) V. Suar., D. 2, v. *Ratio*, etc. Veluti *hoc corpus est meum*. Nam si ita pronunciaveris » hoc, corpus est meum » valet forma: sin ita « hoc corpus, est meum » evanescit. *Mens:* ut si dixeris in consecratione: *Hic est corpus meum.* Nam si illud *hic* quasi *pronomen* pronunciaveris, valet consecratio; sin quasi *adverbium* non item (S. Alph., VI, 224).

(5) Ex *Rubricis Miss.* Tit. V. n. 1. Utputa in baptismo, pro BAPTIZO, *abluo*, vel *aspergo* (S. Alph., *Exam.*, n. 7), vel *regenero*. Porro synonima accipimus, quae eamdem plane et actionem et effectum significant (Suar.; Croix, VI, I, 31). Itaque si effectum eumdem, non vero eamdem actionem, significent; ut puta si dixeris in baptismo: » *ego te* REGENERO *in nomine*, etc. », vel in poenitentia: « *ego te* MUNDO *a peccatis tuis* », neutrum valebit; aut, ad minimum, anceps erit utrumque. Illud non interest utrum verba omnia ex uno idiomate, an ex pluribus collecta fuerint; v. c., in eucharistia: *To est mon corpus* (Croix, n. 30; S. Alphons., VI, 110). Et iure prorsus (Ex L. 1, § ult., *De V. O.*), quia synonyma sunt.

rum error grammaticae regulariter non obest formae (6); nec obest corruptio verborum si forte obrepserit aut vitio naturali (ut blaesis), aut praecipitantia, aut imperitia (7), dummodo verba in subiecta materia non omnem significationem amiserint, vel in aliam abierint (8). Dein (ex 2°) si quid *addideris*, forma perit si hoc sensum mutat, aut aliquem contra ipsam formam errorem continet (9); secus stat (10), et si quid in ea aequivocum sit, pendebit ex intentione proferentis (11). Demum (ex 3°) si aliquid *detraxeris*, siquidem ea verba detraxeris quae significant actionem sacramentalem (12), aut subiectum (13), forma evanescit; secus si omiseris pronomen ministri, quippe inest tacite. Verum de hac re singillatim suis locis.

237. Deinde, II. utendum est EADEM SYNTAXI: nam, etsi utaris iisdem plane verbis, eorum sensus transpositione quandoque manet, quandoque intercipitur, quandoque anceps fit (14). Demum, III. quia sacramentum significando efficit (§ 229, n. 8), verba PRONUNCIANDA sunt modo consecratorio, ideoque praesentis temporis: seu indicativo, quo nos latini perpetuo utimur, excepta E. U.; aut saltem imperativo (15) non item deprecatorio, praeterquam in E. U. quippe Christus est qui conficit sacramentum; eoque minus historico, vel

(6) Suar., DD. 59, 2; 61, 2. Ut puta: *Hoc est corpus* MEUS (V. Croix, VI, I, 36).

(7) D. Th., III, 60, 7 ad 3; S. Alphon., VI, 110, v. c., *Ego te baptizo in nomina* PATRIA, FILIA ET SPIRITU SANCTA (*De Cons.* Dist. 4, C. 86). Scilicet his in casibus, quadam quasi tacita conventione, verba corrupta perinde ac integra accipiuntur (S. Alphons., VI, 110, 224: D. Th., *l. c.*).

(8) Bonac., Q. II, P. 1, n. 20. Perit igitur forma si dixeris: *Ego te* BAPTIZOR (Croix, VI, 1, 36, 37). *Ego te baptizo in nomine* MATRIS, etc. (D. Th., *l. c.*). Dices: cur igitur non perit in eo verbo FILIA? Nempe quia in subiecta materia potius *corruptum*, quam *aliud* intelligitur.

(9) Croix. 64 - V. c.: *Hoc est corpus meum aereum - Ego te baptizo in nomine Patris maioris, et Filii minoris, etc.*

(10) Croix, VI, I, 64. Ut ecce: *Ego te baptizo* HAC AQUA FRIGIDA: quamvis sit calida (Croix. *l. c.*).

(11) Croix, VI, I, 38. - V. c., *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et* B. MARIAE VIRGINIS. Nam si nomen B. M. V. addideris ex devotione, formae non oberit; secus si eo quoque nomine baptizaturus, quia talis sensus esset fidei contrarius (D. Th., III, 60, 8).

(12) C. 1, *De Bapt.* Puta si baptizes praetermissis illis verbis: *Ego te baptizo* (Alex. VII, 27).

(13) S. Alph., VI, 111. Velut: *Ego baptizo in nomine*, etc., quippe magis baptizandi munus quam praesentem baptismum, significant. Item si dixeris: *Ego baptizo illum* (Salm., 2, 3, 113).

(14) Lugo, II, 112; Croix, 32. Veluti in consecratione panis; *hoc meum est corpus: meum est hoc corpus: hoc corpus est meum.*

(15) V. Juenin, Q. 3, Cap. 4; Borang., § 12. Ut puta: *baptizetur servus Christi: absolutus sis a peccatis* (Reginal., 27, 26; Spor., *De Poenit.*, n. 599).

promissorio, vel interrogativo (16), vel concionatorio (17); alias sacramentum nullas vires habebit.

238. Amplius; verba proferenda sunt continuo, non interrupte. Longa interruptio obest formae (18): quae sit talis, in aestimatione viri prudentis positum est (19). Brevis, siquidem inter verbum et verbum non obest (20): sin inter syllabas eiusdem verbi quidam putant obesse; alii contra; alii, si facta fuerit alio verbo interiecto, illis; sin interiecta actione aliqua (utputa respiratione, oscitatione, tussi), his adhaerent (21). Hoc melius quidem, at non tutius.

ART. III. *De Intentione Ministri.*

239. Minister sacramentorum est ipse Christus (1); non autem ea conferimus quodam quasi mandato ipsius, quod in S. Ordinatione (praeterquam ad baptismum) confertur (2). Age nunc; ut quis *agere* aliquid videatur, necesse est ut agat compos sui (Prol. § 142, n. 2); ut *quasi mandatarius* agat, necesse est ut agat iuxta intentionem mandantis (3): ideo in ministro opus est intentione faciendi

(16) Juenin, *l. c.* - Ut: *absolutus es a peccatis tuis: absolvam te a peccatis tuis: absolvo te a peccatis tuis?*

(17) Suar., D. 2, 3; Lugo, II, 71. Concionatoria dicuntur, quae docendi causa usurpantur; quae idcirco aut nullum aut non praesens tempus spectant.

(18) D. Th., III, 60, 8 ad 3.

(19) Lugo, II, 112; Spor., n. 91. Vulgo brevem putant, uno *Pater*, aut *Ave*, interiecto.

(20) Lugo, II, 111; S. Alph., 11; Spor., n. 93.

(21) Spor., n. 94; V. S. Alph., *l. c.* Omnes fere mutationes formae his versiculis significantur: *Nil formae demas, nil addas, nil variabis - transmutare cave, corrumpere verba, morari.*

(1) *Ioan.*, IV, 2; S. Aug., in C. 46, Cau., I, 1. - *Nos instrumenta* (D. Th., III, 64, AA, 4, 5). Et evidens est ex forma consecrationis: *hoc est corpus meum.*

(2) I *Corinth.*, IV, 1; Trid., XXII, II. - *Quod*, etc. (D. Th.; contra Gentes, IV, 77, 1), atque ideo in persona Christi confertur (II *Corinth.*, II, 10; V. Croix, VI, 1, 53); eiusque non propria virtute (D. Th., III, 64, 9). Hac re cum quidam haeretici contenderent, se esse primarios baptismi ministros, non Christum, Ecclesia Graeca, ut eos refelleret re et facto ipso, baptizare coepit his verbis: *Baptizatur N. servus Christi in nomine Patris*, etc. Hinc, verius, inanis erit forma, si ex ea appareat ministrum alium a Christo esse; ut ecce, si dicas, in consecratione: « *Hoc est corpus Christi* » (Suar., 59, 2, in fi.; V. Croix, VI, I, 37). Ad haec mandato quoque Ecclesiae opus est (iurisdictione) ut licite conferri possint; scilicet ne ordo perturbetur ab ea constitutus: verum de hac postea.

(3) Lugo, VIII, 28, 35; Suar., D. 16, Sect. 2; V. D. Th., III, 64, 8. Faciendi quod facit et non intendendi quod intendit Ecclesia (V. Bellarm., *De Sacram.*, L. I, C. 27, n. 13); ideoque valide baptizant haeretici, qui vel nullum originale peccatum admittunt, vel putant non deleri baptismo.

quod Christus fieri vult; vel saltem quod facit Ecclesia (§ 231, n. 1), mentis Eius probe conscia. At vero intentio Nostris alia interna est, alia externa. *Interna* habetur quoties minister, quando perficit sacramentum, id efficere vult, quod eo sacramento efficiendum est; habetur *externa* quando omnem ritum externum obit serio, et quasi minister Ecclesiae. Si is igitur utramque voluntatem habeat, sacramentum valet; si neutram, non valet: ut ecce si ioci causa baptizet, absolvat (4): si internam *tantum,* valet adhuc (5): si *tantum* externam, quaestio olim insignis et gravis fuit, neque adhuc penitus dirempta est.

240. Porro inter omnes convenit, et certissimum est, in ministro requiri *intentionem saltem faciendi* QUOD FACIT ECCLESIA (6); quaestio igitur haec esse debet, quid faciat Ecclesia; utrum nempe peragat ritum dumtaxat externum, uti visum Catharino; an internum quoque sacramenti effectum praestet. Et quaestio haec expedita est: nam quid, sodes, *Ecclesiae* appellatione significatur? Utique Ministri eius (7). At, quaeso, quid facit minister, v. g., cum absolvit? Et profecto, si forma caret mendacio, peccata dimittit. Ergo Ecclesia non peragit solum ritum externum; ideoque minister qui sola externa intentione utitur, non facit quod facit Ecclesia: proinde si ei propositum sit, e. g., dum consecrat, ex duabus hostiis hanc tantum, non illam, consecrare; dum ordinat, eos non ordinare qui forte sui subditi non sint; si absolvit sub hac tacita conditione– *si restitueris* –, non consecrat (8), non ordinat (9), non ab-

(4) Trident., XIV, *De Poenit.,* Can. 9. – Vel exempli, aut devotionis gratia: utputa si parochus infantem mox natum abluat, non baptizaturus, sed ut baptizandi ritum obstetricem doceat; vel si nutrix, dum puerum mane de more abluit, dicat « ego te lavo in nomine Patris, etc. ».

(5) Lugo, VIII, 20. Ut ecce, si quis infantis morituri, infidelium filii, caput lavet quasi ei purgationem aut medicinam faciens, et demissa voce interim dicat: *ego te baptizo, etc.* (Lugo, n. 21; Serry, *Vindiciae,* Cap. 15, 3; Cap. 16, 4).

(6) Trid., VII, Cap. 11. Nempe *Catholica:* sed si quis tacere intendat quod alia ecclesia schismatica vel haeretica facit, si haec vere sacramentum facit, valet (Ex Trid., VII, *De Baptis.,* Cap. IV; Spor., n. 127; S. Alph., VI, 21).

(7) Lugo, VIII, 35, 53. Uti *Matth.,* XVII, 17. Et ideo formae sacramentales ab his *Christi nomine proferuntur* (Lugo, *De Poenit.,* XIV, 110).

(8) Borang., Cap. III, § 3; Ex *Rubr. Miss., De Defect.,* P. VII, 1, n. 1.

(9) Sane S. C. C. censuit, ordinatos ab Episcopo qui *ante* ordinationem palam proposuerat, nolle se ordines conferre his qui canonicae aetatis non essent; vel his qui essent ex genere *Mulactorum;* recepisse vacuam manuum impositionem (Ben. XIV, *De Sacrific. Miss.,* Sect. II, § 70; *De Syn.,* VIII, XI, 2).

solvit (10). Quare huic sententiae, quae statim ac orta est patronos tot tantosque nacta fuit, vix tenuis aliqua superest probabilitas (11). Itaque intentione, uti vocant, interna omnino opus est, ut sacramento vis constet sua. Ceterum sat est implicita (12), ut alias, et virtualis (13). Sed necesse est ut praecedat actionem sacramentalem, quippe haec ex intentione huiusmodi vim capit suam; idest ut antea eliciatur quam incipias materiam adhibere et formam proferre (14).

241. Et haec sunt quibus sacramenta N. L. perficiuntur. Horum igitur *si aliquid desit non perficitur sacramentum* (15). Nec deficiente, proderit quod minister vel subiectus nihil deesse existimaverint, quia nostra existimatio rei veritatem non mutat; vel quod in necessitate sit factum, quia nulla necessitas potest praestare aliis rebus, aliis verbis miram hanc, et prorsus inauditam, sanctificandi virtutem. Et, ex diverso, si nihil deerit, non obest sacramento quidquid ad ipsum ministrum singulariter pertinet, cum non sui, sed Christi personam gerat; ut puta si nec recta ei fides (16), haereticus forte vel atheus; nec probi mores (17) sint; si formam penitus non intelligat (18). Et in primis si falso aliquid putet, v. c., materiam esse inidoneam (Prol., § 147, n. 26); si circa formae significationem

(10) Trid., XIV, *De Poen.*, C. 6; S. Alph., VI, 26. Quod vel ipse Serry, Catharini sententiae propugnator acerrimus, fateri coactus est (*Vindic.*, Cap. 10). Amplius; quia minister fungitur Christi mandato, Eius personam gerit: qui, si id quod Christus vult, ipse nolit?

(11) Bened. XIV, *De Syn.*, VII, 4, 9; S. Alph., VI, 23. Et iam a saeculo XVI obsoleverat; et penitus obliterata iaceret, nisi eo saeculo illam suscitasset Io. M. Scribonius.

(12) V. D. Th., in 4°, Dist. 6, q. 1, q. 2, ad 1m; S. Alph., VI, 21; Ex Trid., VII, C. 7. Veluti si obstetrix intendat id facere quod parochus facit (Lugo, VIII, 36).

(13) S. Alph., VI, 18; Prol., § 143, n. 6; habitualis abest ideo *ad agendum* non sufficit (Lugo, VIII, 90), licet voluntas habitualis quandoque utilis sit (Prol., § 133, n. 7); actualis non est necessaria: prout nec attentio (Prol., § 145, n. 13); et sacramentum facere eum qui voluntarie et plane distrahitur, indubitati iuris est (S. Alph., VI, 14; IV, 75).

(14) Cf. Lugo, *De poenit.*, XIV, 41; Croix, VI, II, 687. Itaque si aliquis sine intentione baptizandi, confirmandi, abluat, ungat; ac statim post ablutionem, unctionem, hac intentione concepta, proferat formam, nihil agit (Lugo, n. 41, 42).

(15) Eug. IV, Cit. Decr. - Item si aliquid substantialiter immutatum fuerit.

(16) Ex Trid., VII, Can. V; D.-Th., III, 64; Contra Gent., IV, 77; atque ideo etsi putet, v. c., baptismum esse commentum superstitiosum, vel putet non delere peccatum (V. Ben. XIV, *De Syn.*, VII, VI, 9): idque in ipsa eius administratione palam effutit (S. U. I., *ad Vicar. Ap. Ocean.*, 18 dec. 1872).

(17) C. 5, Cau. 15, 8; Pius VII, *ad Episcop. Spiren.*, 16 decem. 1797.

(18) S. August., *Contra Donat.*, IV, 5; Suar., 2, 5; Lugo, II, 123,

erret (19); si materiam, vel formam, vel utramque immutaverit accidentaliter, ratus mutationem esse substantialem (20); etsi fecerit aliter sentiens quam Ecclesia Catholica docet (21). Eoque minus si erraverit circa personam suscipientis, quippe intelligitur sacramentum, ne sit irritum, praesenti personae, quaecumque illa sit, ministrare velle, excepto matrimonio (22). Quae et subiecto suo modo aptari debent: nam neque in eo *recta fides* requiritur: nec *mores boni* (23), praeterquam in sacramento poenitentiae; quippe in eo haec omnia ad sacramenti materiam pertinent. Nec demum obest si quid fuerit omissum ex ritibus, quae Ecclesia in administratione sacramentorum servari iussit; et planum est (24). Porro quae hucusque prosequuti sumus aptari debent sacramento matrimonii, cum grano salis; hoc enim magis contractus, quam sacramenti iure aestimatur.

CAPUT II.

DE SACRAMENTORUM VIRTUTE ET EFFECTIBUS.

242. Sacramenta N. L. id praestant quod significant: nempe gratiam. Haec duplex est, sanctificans, et sacramentalis. *Sanctificans* dicitur ea, quae iustitiam, et sanctitatem praestat: quae cum in nobis eam parit, *primae,* cum partam auget, *secundae* nomen subit. Baptismus et poenitentia instituta sunt ut primam conferant; ce-

(19) Spor., n. 127. Ut puta si Calvinista putet his verbis « *hoc est corpus meum* » mysticam tantum Christi praesentiam significari (Layman, IV, 5).

(20) Bonac., D. 1, Q. 2, P. I, n. 28. Veluti si graecus consecrando panem omittat ea verba « *quod pro vobis tradetur* » quae ipsi, rati necessaria esse, nunquam omittunt.

(21) Ex Respons. Nicol. I, ad Consul. Bulgar., Cap. 104; V. S. Alph., VII, 110. Quod autem quidam docent, sacramentum non valere si minister immutaverit aliquid accidentaliter ut novum ritum, vel errorem introducat, sic accipiendum est, quia is non creditur habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia (D. Th., III, 60, 8; Suar., *l. c.;* Lugo, II, 113). Quaestio igitur in praesumptionem recidit; et facti, non iuris, est (V. Laym., IV, 5).

(22) Lugo, VIII, 114; S. Alph., VI, 19.

(23) S. Aug., *De Bapt.,* Lib. III, Cap. XIV, 19; D. Th., III, 68, 8. Ut ecce, si incredulus sit, vel atheus, vel mysteriis non credat (Laym., *De Bapt.,* Cap. VI, 3), non item, verius, si ea prorsus ignoret (Ex 65. Innoc. VI; V. S. Alph., II, 2).

(24) Sane cautum est, et religiosissime observatur, ut presbyteri ordinentur ab Episcopo inter missarum solemnia ab ipsomet, non ab alio, celebrata: et nihilominus, hac ab alio celebrata, vel omissa, dubitare utrum ordinatio rata fuerit, *frivolum est* (Hallier, *De Sacra Elect. et Ordin.,* Par. 3, Sect. 8, Cap. 5, Art. 2; Ben, XIV, *De Syn.,* VIII, XI, 6).

tera ut secundam: inde illa *mortuorum,* haec *vivorum* sacramenta sunt appellata. Nihilominus, quia omnia sacramenta N. L. non ponentibus *obicem* conferunt gratiam (1), sacramenta mortuorum, si quis ea recipiat iam iustificatus, secundam tribuunt, et hoc certum est: contra sacramenta vivorum, si quis recipiat haec in letali, sed bona prorsus fide, conferunt primam (2), dummodo revera sit attritus. Et hoc quoque de extrema unctione certum est (3); de ceteris pie creditur (4).

243. Deinde inest singulis sacramentis gratia cuiusque propria, quae idcirco *sacramentalis* dici solet. At vero quaenam ea sit, non satis convenit. Nonnullis TT. est quaedam gratia actualis quae dabitur cum opus fuerit, ut quisque facilius implere possit obligationes, quas cum sacramento suscepit: aliis est ius ad eam, quoties opus fuerit, obtinendam (5): alii demum est gratiae habitualis modus distinctus, et vis propria, quae, v. c., in baptismo illuminat, in confirmatione roborat, in eucharistia nutrit, in poenitentia sanat, etc. (6). Primum displicet, quia sacramenta N. L. conferunt gratiam *ex opere operato*, atque ideo incontinenti; item alterum quia aliud est gratia, aliud ius ad gratiam; quare tertium videtur verum.

244. Praeterea baptismus, confirmatio, et ordo characterem imprimunt (7), ideo *characteristica* dici solent (8). Cumque character sit indelebilis (Prol., § 87, n. 1), ideo ea sacramenta quae characterem imprimunt, sine gravi sacrilegio, quia frustra iterarentur, iterari non possunt (9). Hinc sacramentorum in initerabilia, et ite-

(1) Trid., VII, Can. 6 et 7. – OBEX, *lata* significatione dicitur si recipienti intentio, *propria* si necessariae dispositiones desint: ille *sacramenti* obex, hic *gratiae.* Dicitur etiam *fictio,* quia id praestat, ne sacramentum efficiat id quod significat (V. D. Th., III, 69, 9 ad 3). Peccatum proprie non est obex, sed id quod per gratiam delendum est.

(2) D. Th., III, 62, 2; 72, 7 ad 2. Ut ecce si falso putet se esse contritum, vel rite absolutum, vel attritionem sufficere. Et hoc est quod Scholastici dixerunt *de attrito quem fieri contritum* (S. Alph., VI, 268): nempe quoad effectus sacramenti (Laym., *De Poenit.*, II, 2); et non quod *attritio fiat contritio,* ceu quidam existimarunt (V. Spor., 23; et *De Poenit.,* 217).

(3) Ex Trident., XIV, *De Extr. Unct.,* C. 2. – *Communissima* (Haine, *Principia theol. sacram.,* C. 3, d. 6, r. 3).

(4) Salm., 7, 4, 3.

(5) Habert; Borang., III, § 5.

(6) Salm., 1, 5, 16; Gury, II, § 145. Et ita sentire videtur D. Th. (III, 62, 2).

(7) Trid., VII, Can. 9.

(8) D. Th., III, 63, AA. 2, 3.

(9) Trident., VII, *h. t.,* Can. 9. Scilicet sacramentum frustra conferre, est eo *abuti*: quod heic grave sacrilegium est; nam est velut illudere ei qui sacramentum instituit (Lugo, *De Poenit.*, XVI, 558).

rabilia distinctio. *Initerabilia* itaque sunt baptismus, confirmatio, et ordo. *Iterabilia* eucharistia, et poenitentia: inter haec tenent extrema unctio et matrimonium, quippe quae durante solum eadem infirmitate, eodemque coniugio, perperam, atque ideo non sine gravi sacrilegio, iterantur.

245. Sacramenta N. L. significando efficiunt; ideo in eo instanti efficiunt id quod significant, in quo signum perficitur. Et vi, seu virtute ipsius signi, idest materiae et verborum, id efficiunt (10); sive ut in scholis loquimur, ex *opere operato* (11): proindeque verius non moraliter (quasi causae quaedam occasionales) uti Scotistae (12), sed physice, uti Thomistae (13), et necessario: atque ideo non merito ministrantis ea, nec suscipientis; et per se aequaliter in omnibus (14).

246. Verum ut sacramenta efficere possint id quod significant, necesse est ut *valide;* uti autem revera id efficiant, necesse praeterea est, ut *licite* recipiantur. Sacramentum recipitur *valide* quando nihil deest ex his quae ad substantiam eius pertinent; *licite* recipitur quando de necessariis dispositionibus in suscipiente deest nihil. Sacramenta quae valide et licite recipiuntur, gratiam conferunt protinus, ideo *formata:* quae valide, sed non licite (idest cum obice) non conferunt gratiam, ideo *informia* dici solent (15). De his quaeritur num, sublato postea obice, reviviscant; idest an *tunc* eam gratiam praestent quam ab initio sine obice praestitissent. Et baptismum reviviscere, quia non potest iterari (16), communissima:

(10) Borang., Cap. III, § 3.

(11) Trid., *h. t.,* Can. 8. Secus ac contritio vel caritas perfecta, quae eam conferunt ex opere operantis. *Opus operatum,* phrasis est invecta aevo Innoc. III.

(12) Sporer, *h. t.,* n. 47. Nempe movendo Deum ad gratiam elargiendam.

(13) V. Suar., 3, in Par. D. Th., 3, 3, Sect. 1, Disp. 7, 1, 6. Etenim sacramenta N. L. gratiam quam significant, et conferunt, et *continent* (§ 229, n. 6). Inde, v. c., aqua renascimur in baptismo (*Ioan.,* V, 5), quando illa « *corpus tangit et cor abluit* ». Ergo, dices, qui, v. c., baptizat sub hac conditione – *Si cras sol orietur* (V. Prol., § 41, n. 27), animo suspendendi effectum sacramenti, velit nolit valide baptizat (*Ib.,* § 143, n. 9): minime (V. Ballerini, Tom. IV, *h. t.,* n. 26) quia revera *causa* (sacramentum) hic deest, nam qui hic et nunc non vult abluere, mundare, is revera baptizare *non vult,* atque ideo non baptizat.

(14) D. Th., III, 69, 8. – *Per se;* nam per accidens augeri potest ex merito utriusque.

(15) Sporer, n. 25. Dixi id quod significant, nempe *gratiam* non characterem; quem etiam informia imprimunt, quippe qui cum peccato consistere potest.

(16) S. Aug., Lib. 1, *Contr. Donat.,* Cap. 13.

ideoque et confirmationem, et ordinem (17), probabilior: immo (quae probabilis sententia est) et extr. unctionem, et matrimonium; quippe illa durante eadem infirmitate, istud eodem coniugio, iterari non possunt (18). Obex autem removetur supplendo dispositiones, quae ab initio defuerunt: ideoque contritione imperfecta, si agitur de baptismo (dum ne interim grave aliquid admiseris); perfecta, si de reliquis agitur (19).

247. Haec de natura sacramentorum: nunc de necessitate eorum pauca. Itaque baptismus, poenitentia, et eucharistia necessaria sunt ad salutem; nempe eucharistia *necessitate praecepti;* baptismus vero non baptizatis et poenitentia lapsis post baptismum, si perfectae caritatis vel contritionis actum elicere nequeant, *necessitate medii*, secus *praecepti*. Et *sacramentum confirmationis sine gravis peccati reatu respui non potest ac negligi* (Ben. XIV., C. *Etsi Pastoralis*, n. 4; S. C. de Prop. Fide, 21 mart. 1774, probante Clem. XIV). Cetera sunt voluntaria. Sed morituro qui de sua contritione dubitat, vel sensibus destitutus est et confiteri nequit, vel confirmatio, vel extrema unctio, vel eucharistia pro poenitentia esse debet; atque ideo ei fit *sacramentum necessitatis*, nempe ut ex attrito fiat contritus (20).

TITULUS II.

De sacramentorum administratione et susceptione.

PRAENOTANDA.

248. In sacramentis tum conferendis tum suscipiendis duo semper ob oculos haberi debent: utilitas suscipientis, quippe huc pertinent sacramenta; et reverentia sacramentis debita, quia sancta

(17) D. Th., in 4, D. 49, Art. 2; S. Bonav., D. 1, D. 1, Art. 3; Lugo, *h. t.*, IX, Sect. 6.

(18) S. Alphons., VI, 87. Addunt eucharistiam, si obex removetur speciebus nondum consumptis (Suar., 28, 6); et poenitentiam, sed HOC mihi difficile est, quia si huic dispositio (attritio) *deest,* materia deerit; atque ideo nec formatum est, nec informe, sed omnino non est.

(19) Borang., Cap. III, § 10. Scilicet sacramenti indigne, et sacramenti digne suscepti eadem omnino ratio et natura est; ideo quae ut illud *extaret*, haec ut reviviscere possit, et opus et satis esse debent. *Dum ne*, etc.; quia foret *novum* obex (Cf. Lugo, IX, 50, 60).

(20) S. Alph., VI, 286, v. *Secunda* in fi. Sacramenta igitur N. L. dividuntur in sacramenta, 1° *mortuorum*, et *vivorum;* 2° *characteristica,* et *non characteristica;* atque ideo, 3° *initerabilia*, et *iterabilia;* 4° *voluntaria*, et *necessaria:* et necessaria iterum vel *necessitate medii,* vel *necessitate praecepti:* ac demum latissima significatione (quippe dispositiones, cum extra ea sint, distinctionem non faciunt) in *formata*, et *informia.*

sancte tractanda sunt: reverentiam autem accipere debemus vel tantum negativam (1). Alias aut utrique, aut certe sacramento, fit iniuria: utrique quoties sacramentum exponitur periculo nullitatis, invito suscipiente (2): soli sacramento, quando vel hoc in periculum nullitatis adducitur consentiente eo qui recipit (3), vel indigne, et cum primis sine debitis dispositionibus conficitur, aut (quod est gravius) suscipitur (4). Ex hoc capite oportet ministrum semper, subiectum vero, excepto baptismo et poenitentia, esse, uti aiunt, *in gratia:* quamobrem, si in letali sint, necesse habent elicere perfectae seu caritatis, seu contritionis actum (5): si eliciendae

(1) Lugo, VIII, 177, irreverentiam in positivam et negativam distinguit. Positiva eius est, v. c., qui ss. eucharistiam proiicit, proterit; negativa eius qui debitum alteri cultum omittit (V. Croix, VI, 1, 138, 517); velut eius qui sine debitis dispositionibus eam ex iusta aliqua necessitate conficit, suscipit. *Illa* natura atque ideo *semper* mala est; *haec* non item (Lugo, cit. n. 177; Croix, cit. n. 138). Sane David necessitate compulsus comedit panes sanctificatos (*Matth.*, III, 12); et piissimus rex Zechias ignoscendum duxit iis qui in angustia temporis non sanctificati comederant pascha (II *Paralip.*, XXX, 19). Cessat igitur irreverentia negativa si talis aderit causa, qua omnis species contemptus opinione hominum abesse intelligitur (Vasq., Tom. 2, in 3, Dist. 136, C. 30, n. 40; Lugo, VIII, 181; IX, 8; Pont., *M.*, V, 18, 33; S. Alph., VI, 86); ut ecce si quis dum accumbit in scamno communicantium recordetur se esse in letali.

(2) Salm., 1, 4, 78. Idest quando confertur aut suscipitur cum *materia* vel *forma* dubia, aut forte *incapaci* confertur: ut ecce cum absolvitur puer, de quo, an usum rationis attigerit; vel ungitur aegrotus, qui, an adhuc vivat non satis apparet. Porro iniuria quae fit *suscipienti* (sive contra iustitiam, sive contra caritatem ea sit), pro ipsius detrimento potest esse gravissima, gravis, levis, nulla: ut ecce baptizare infantem – ungere aegrotum cum materia dubia – cum forma dubia absolvere sola venialia confitentem – ordinare mulierem.

(3) Croix, VI, I, 104. Et in hoc potissimum huius sacrilegii gravitas posita est (Lugo, *De Poen.*, XIV, 110). Ideoque eo tenetur nedum minister, quod nemo dubitat; sed et suscipiens (Lugo, n. 111; Croix, n. 105), quod nonnulli absurde negant; ut ecce qui venialia sine ulla contritione (quae sacramenti materia est) confitetur (S. Alph., VI, 449): alias qui itesato sacramentum suscipit quod iterari nequit, innoxius foret. Quin minister quando sacramentum *actione* unum est, virtute autem multiplex, ut ecce cum quis plures hostias consecrat, plures absolvit una simul, etsi una tantum ex hostiis non sit triticea, unus ex absolvendis non rite dispositus, letali non caret (V. Suar., *De Poenit.*, 22, 10, 8; V. Lugo, *De Poenit.*, XIV, 119).

(4) D. Th., III, 64, 6; S. Alph., VI, 86. Et hoc quoque est grave, licet nullum sit damnum suscipientis (Lugo, cit. n. 111; S. Alph., VI, 449).

(5) *Contritionis:* et sat est vel solo *voluntatis* actu peccatum quasi offensam Deo devovere, improbare et dicere - *peccavi Domino* – sed vere et ex animo (V. I *Reg.*, XV, 24; II *Reg.*, XII, 13): nec inquietari aliquis debet quod nullam animi tristitiam, dolorem, moerorem sentit (V. Par. II., § 13, n. 13).

tempus non detur, sacramentum nihilominus impune conficitur, suscipitur, si vel periculum suscipientis sit in mora, vel sive is qui conficit, sive is qui suscipit non possit recedere citra infamiae periculum (6).

249. At vero, lex quae cavet reverentiae sacramentorum non plus urget quam ceterae divinae leges: proinde irreverentia quae fit sacramento non est gravior ea, quae in transgressione ceterarum legum divinarum continetur (7), ac proinde quibus in casibus cessat contemptus in harum transgressione, in administratione sacramentorum cessat. Amplius « *sacramenta propter homines* »: quoties igitur anceps est, ne aliquid desit valori sacramenti, vel dispositionibus suscipientis, licet nihilominus illud conferre si *iusta et rationabilis* seu necessitatis seu utilitatis suscipientis causa subsit, nempe sub conditione (de qua mox), qua reverentiae sacramenti prospicitur (8); et in summo discrimine rerum id licet etiam cum

(6) S. Alph., VI, 33, 86. – *Non datur;* quid si detur, et neque hoc praestare possit? Ut ecce si sacerdos coepta iam missa recordetur se esse in letali? Nam *neque* VOLENTIS *neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.*, IX, 16), cuius incomprehensibilia iudicia sunt, et nihilominus conficiat, suscipiat, utrum gravis irreverentiae sit reus? Res, Nostris non satis explorata esse videtur (V. S. Alph., VI, 33); neque ego ausim quidquam definire. At ii qui ex suscepto munere necesse habent sacramenta ministrare, velut parochi, si haec aliquando futura praesenserint, nescio quo modo excusari possint a letali, saltem in causa (V. Rit. Rom., *De Iis quae in sacr. admin. servanda sunt*, § 2, 3).

(7) Vasq.; Sanch., *D.*, I, IX, 32; S. Alph., VI, 612. Puta quae templa revereri, quae integram confessionem sacramentalem facere iubent. Alias *non est obligatio reddendi sacramentis reverentiam plusquam probabilem* (S. Alph., 633). Hinc recepta sententia est in confessione sacramentali reticeri posse circumstantias simpliciter aggravantes de quo suo loco; posse celebrare vel communicare eum qui dubitat num pridie coenam ultra mediam noctem produxerit (S. Alph., VI, 282), et communicare ex iusta causa eum qui letale aliquid admisit, praemissa contritione, si confessarii copia desit (de qua nemo certus esse possit), immo nec praemissa si dubitet seu negative seu positive an revera sit in letali (V. S. Alphons., VI, 475; *H. A.*, XV, 34); et excusatur regulariter is qui sacramenta confert cum materia dubia, coactus metu mortis (S. Alphons., *Exam. ordin.*, n. 8; V. Croix, VI, 1, 122). Et hoc maxime locum habet cum dubitatur de dispositionibus seu suscipientium seu ministrantium: tum quia in his gravis probabilitas pro certitudine est (Prol., § 130, n. 32), tum quia secus administratio et susceptio sacramentorum negocium foret sollicitudinum ac scrupulorum plenum et molestissimum; ideo ad sacramenta administranda vel suspicienda satis est accedere dispositum *probabiliter* (Croix, XI, 1, 119; S. Alph., VI, 57, 475).

(8) S. Alph., VI, 28; Ex Rit. Rom., *De Extr. Unct.*, § 11, quo aegrotus de quo dubitas an adhuc vivat ungi iubetur. Hinc licet in pe-

tenui probabilitate de valore sacramenti (9). Unum dumtaxat est sacramentum, quod in dubio gravi de ipsius validitate conferre non licet, *ordo;* et sacerdotium nec in levi; quia nulla heic subest necessitas nec utilitas suscipientis; immo Reip. Christianae periculum longe gravissimum.

250. At nunquam omnino *non est illicitum in sacramentis* CONFERENDIS *sequi opinionem probabilem de valore sacramenti relicta tutiore* (10): nam sine ulla prorsus causa, et non sine iniuria, vel damno suscipientis id fieret. Sed NEC IN SUSCIPIENDIS id licet propter reverentiam sacramenti, quae mihi verissima (§ 108, n. 2) sententia est (11). Et nedum probabiles sive *illic*, sive *hic* sequi non licet, sed nec probabiliores, quippe eadem ratio est (12); et in sacerdotio, vel baptismo, ne probabilissimas quidem (13); quippe irritum esse *illud* publice *hoc* privatim, et si postea ad sacerdotium ascenderet, adhuc publice perniciosum foret.

riculo mortis conferre extrem. unct. cum oleo cathecumenorum (S. Alph., 709, d. 2), et confirmationem cum oleo sine balsamo benedicto (*ibid.*, 162, in fin.). Et quia extrema unctio, si aegrotus confiteri nequivit, recidit in sacramentum necessitatis, dari potest sensibus destituto etiam cum tenui probabilitate, ut ecce ei qui defecit in actu minus licito, puta in rixa, in ebrietate; dummodo non constet esse in letali (*ibid.*, nn. 82, 732).

Heinc licet absolvere puerum vel semifatuum de quorum dispositionibus dubitatur, nedum in articulo mortis, sed et in paschate, immo et extra eam, ne forte diu maneant in letali (S. Alph., VI, 432, IV). Porro rationabilis conferendi sacramenti causa in primis haec est, si forte omissa praesenti occasione vel opportunitate, merito timendum est ne sacramentum amplius conferendum, recipiendum sit, v. c., in locis missionum ne missionarius pertransiens amplius sit rediturus. Hinc licet absolvere recidivum dubie dispositum, si prudenter timeatur ne inabsolutus dimissus sit amplius reversurus (S. Alph., *l. c.*).

(9) S. Alph., VI, 103, 480. Ideo necesse est baptizare moriturus etiam cum aqua rosacea (Spor., n. 9), vel in pede (Ex Rit. Rom., *De Baptiz. parvulis*), digitis, capillis (S. Alph., 107, 111, 751; V. Lugo, *Resp. mor.*, I, 12; Croix, VI, II, 2145).

(10) Innoc. XI, I. Nam et sacramento et subiecto fieret iniuria. Ideo numquam licet, v. c., cum suppetit aqua naturalis, baptizare aqua ex sale resoluto; poenitentem absolvere tribus verbis « *ego te absolvo* », confirmare cum sola intentione *externa*, ungere aegrotum quamdiu dubitatur, an aegrotet graviter.

(11) Lugo, *De Poeniten.*, XIV, 109, etc.; Viva, *hic,* n. 21; Croix, VI, 1, 105. Alias quidni liceat et ministranti ipso volente? Quin interdum laedit graviter caritatem contra seipsum, puta in recipiendo baptismo, vel absolutione in articulo mortis.

(12) Cardena, *hic,* n. 13; V. S. Alphons., I, 48.

(13) Hoc excepto, in ceteris probabilissimis regulariter uti sine ulla causa, leve est; ex aliqua, ne leve quidem. Contra Croix (VI, 1, 106), qui id putat letale: v. c., primam manuum impositionem omittere in confirmatione.

251. Verum ut his in casibus sacramenti quoque reverentiae caveatur quantum fieri potest, Nostri docent, illud sub conditione conferendum esse. Sub conditione scilicet improprie dicta, quae nullum contineat eventum futurum et incertum (V. Prol. § 41, n. 27); nam quae huiusmodi eventum continet, sacramentum nullum prorsus atque irritum redderet (14); atque ideo nunquam non est illicita. Sed nec omnis impropria conditio semper licita est; non enim licent illae quarum eventus humano modo scire non datur (15); nec illae quae ad rem non pertinent, quippe sine ulla causa adiicerentur, v. c., *Si pater tuus vivit.* Sed eas tantum quae pertinent ad dispositiones suscipientis, vel ad valorem sacramenti: et illae in sacramento quidem poenitentiae licite regulariter apponuntur; in ceteris vix, aut forte ne vix quidem, quia sacramentum sine scandalo iterari nequiret: has adiicere et licet et oportet (16). Et satis est eas animo et intentione concipere (17). Verum si quod aliud occurrat incommodum grave, quod per appositam conditionem removeri non potest, regulariter nec oportet nec licet conficere sacramentum; v. g., conficere eucharistiam cum materia dubia propter periculum idolatriae materialis, vel conferre ordines propter gravissima irritae ordinationis detrimenta.

ART. I. *De Ministro, et quae minister observare debet in sacramentis conferendis.*

252. Ministrum heic accipio qui divino mandato (§ 99, pr.) praeditus est, sive, uti aiunt, *ex officio:* quem et Ecclesiae mandato praeditum esse oportet (Cit. § 99, n. 2). Alias: sacramentis conferendis minister potestate ordinis, et iurisdictionis, regulariter opus habet. *Ordinis:* ex hoc capite triplex statutus est gradus ministrorum: in primo constituti sunt Episcopi, qui (quasi Ecclesiae Prin-

(14) Suar., D. 13, 3; V. Lugo, *De Poenit.*, XIII, a n. 107. Non enim tunc sacramentum valet cum ponitur materia, et forma, quia deest intentio; nec quum, purificata conditione, adest intentio, quia tunc materia et forma desunt (V. Prol., § 41).

(15) Cit. § 41, n. 27. V. ad haec S. Alph., VI, 26, 431. Ut puta, *si es praedestinatus.*

(16) S. Alph., I, 49; VI, 28, 29. Ut ecce in baptismo si dubites an aqua sit qua baptizas, in E. U., an aegrotus adhuc vivat, vel si iterare oporteat sacramentum de quo non constat an valide collatum fuerit.

(17) Ex *Rubr. Missal., De Defect.;* S. Alph., VI, 29. Scilicet *voluntas* (non eius significatio) *regit conditiones.* Et si metuenda sit offensio vel perturbatio suscipientis, non est verbis exprimenda (Voit, *h. t.*, n. 67; Haine, p. 275). Nisi forte adstantes existimarent sacramentum iterari quod iterare non licet (S. Alphons., VI, 29).

cipes) omnia conferunt sacramenta, sed in primis ea, quibus aliquod munus cohaeret, nempe confirmationem, et ordinem. In secundo presbyteri, qui, exceptis his duobus, reliqua conficiunt. In tertio vero diaconi qui administrant baptismum, et eucharistiam tantum; nec semper, sed, cum sint ministri extraordinarii et presbyterorum vices suppleant (Prol., § 89, n. 10), dumtaxat in necessitate gravi (1), et de mandato presbyterorum (2) saltem interpretativo (3): at in extrema necessitate licet ea ministrare etiam his invitis, ex interpretativo mandato Episcopi, vel Ecclesiae (4). *Iurisdictionis:* scilicet, ut dixi, ne ordo ab Ecclesia constitutus perturbetur. Et in sacramento poenitentiae haec necessaria est, ut sacramentum (quod ad instar iudicii ministratur) valide, in ceteris ut licite conferri possint; excepta eucharistia quae nullam, regulariter, iurisdictionem exigit; sed de hoc suo loco. Sine ordinis potestate nullum sacramentum valet, excepto baptismo; contra, sine potestate iurisdictionis, excepta poenitentia, valent omnia. At qui, iurisdictionem non habens, sine mandato saltem praesumpto aut interpretativo, sacramentum aliquod administrat, ut ecce si Episcopus extra suam dioecesim confirmet, ordinet, vel non parochus baptizet, E. U. aut viaticum praebeat, letali non carent (5). Amplius: Religiosi praesumentes ministrare E. U. aut viaticum clericis aut laicis absque parochi licentia, extra casum necessitatis, incurrunt excomm. R. P. reservatam (6).

253. Deinde minister curare debet ut valide et licite conficiat sacramenta. *Valide;* ideo necesse est ut intentionem administrandi saltem *virtualem* habeat (7), nempe internam (§ 239). Dein animad-

(1) S. Alph., VI, 116, 236. Utputa, *si adsit multitudo baptizandorum, aut si parochus sit graviter infirmus; vel excommunicatus, vel alias occupatus confessionibus excipiendis* (S. Alph., 116) *vel absit* (Croix, VI, 1, 276).

(2) C. *Diaconos*, 13, Dist. 93. Quod hodie ab eo solum dari potest, cuius est haec sacramenta ministrare.

(3) Prol., § 136. Et regulariter praesumitur cum abest is qui sacramentum ministrare debuisset (Suar., D. 22, 2).

(4) S. Alph., VI, 236.

(5) Ex Clem., I, *De Priv.*, 390, 14; Trid., VI, *R.*, 5.

(6) V. Prol., § 391, n. 14. *Religiosos* hoc loco accipere debemus eos qui *solemnia* vota edunt, ut antea (Clem., I, *De Privil.*); *clericos* autem, et *laicos* eos qui Regularium appellatione et iure minime censentur (*Ib.*, § 105); quamvis in suis monasteriis degant studiorum forte, educationis, aut valetudinis causa (S. C. Ep., 21 iun. 1848). *Licentiam* vero, si nec eis, nec infirmis, quibus haec ministrant, ab eo cuius est, data fuerit (Bonac., *De Censur.*, Disp. II, Qu. IX, 5, etc.).

(7) Suar., D. 13, Sect. 3; S. Alphon., VI, 18. Attentione opus est ut sacramentum licite conferatur

vertere debet ne quid materiae aut formae desit: ideoque, 1° ne qua mutatio substantialis alterutrius fiat; tum (quia signum sensibile est sacramentum), 2° ne utatur materia adeo exigua quae aciem cuiusvis intuentis effugiat (8), nec, ut opinor, formam proferat voce adeo demissa ut ne ab ipsomet quidem proferente audiri possit (9). Demum (cum ex materia et forma *unum* signum coalescat), 3° ut adhibeat utramque simul (10): verum hoc moraliter accipiendum est (§ 229), et ita ut altera ad alteram referri intelligatur; ideoque sufficit regulariter si una earum posita, mox alteram ponat (11): nec refert utram prius posuerit, utram posterius; excepta poenitentia.

254. Ut *licite;* idest cum debita reverentia; et praesertim ut non in letali versetur: et qui in letali conficit sacramentum *ex officio*, letali non caret (12). Quaestio est, an is qui successive sed

(V. Suar., in 3 P. XIII, III, 2), sed voluntaria distractio *per se*, prout in oratione, leve peccatum est (Croix, VI, II, 443; S. Alph., n. 14). Et *subiecto praesenti*, quisquis ille sit, ne, si falso alium putet, sacramentum fiat obnoxium periculo nullitatis (Sporer, n. 133): excepto matrimonio, immo et ordine si metuendum sit ne quis forte clam ordinationi se obtrudat (Gob., VIII, 305; Spor., n. 137). *Virtualem;* quia, nec *habitualis* sufficit, nec *actualis* est necessaria (S. Alph., VI, 16, 17).

(8) Lugo, *De Euch.*, IV, 115, 116.

(9) Nostri aliud docere videntur, quippe aiunt is *orat* (S. Alph., VI, 414); et oratio, cum sit adscensio mentis ad Deum, corde interius fieri potest. Ita porro, sed formae sacramentorum deprecatoriae non sunt, excepta extrema unctione.

(10) Ex Rit. Rom., *De Forma Baptis.;* D. Th., III, 60, 6 ad 2; Cf. Lugo, II, 99.

(11) Suar., D. 2, sect. 2; Laym.; Salm., 2, 2, 41; Lanedois, *h. t.*, c. 1, q. 3; S. Alphons., VI, 9. Ut puta si quis in collatione ordinis presbyteratus calicem et patenam tetigerit postquam Episcopus protulit verba « *Accipe potestatem*, etc. » (Lugo, *Resp. Mor.*, Lib. I, D. 33, 2). Dixi MOX, *non continuo, non e vestigio;* etenim brevis mora interiecta non nocet. Porro brevem moram Fagundez putat *unius Pater:* sed merito exploditur (S. Alph., *l. c.*, v. *Quaeritur*). *Regulariter;* nam in eucharistia conficienda mora ne intelligi quidem potest: in poenitentia longior interiecta non obest. Haec quoad materiam et formam: praeterea si sacramentum constat pluribus partibus, ut eucharistia vel E. U., notabili inter eas mora interiecta, sic, ut actio ministri non amplius *una* videri possit, aut ab initio repetendum erit, ut in E. U.; aut cessandum, ut in eucharistia.

(12) C. 5, Cau. 5, 8; Rit. Rom. *De Sacram. in gen.;* S. Alph., VI, 34. Dixi *ex officio;* nam utrum id exigat *officii* (V. D. Th., III, 64, 6 ad 3), an et rei (Lugo, VIII, 150) sanctitas, non satis liquet (S. Alph., VI, 32). Quamobrem is qui non confert sacramentum ex officio, idest ex potestate ordinis, non est damnandus letalis (Spor., n. 171): quod et S. Alph., (VI, 32, 884) probabile putat. Idest laicus, immo et sacerdos qui necessitate urgente privatim quasi laicus baptizat (D. Th., III, 64, 6 ad 3; Sot.; Suar.; Ronca., C. 3, q. 6); et (qua ministri) sponsi qui matrimonium contrahunt (Sanch., *M.*, II, 6, 4).

continue, plura confert sacramenta, v. c., baptizat plures vel confirmat vel absolvit, tot peccata committat quot sunt hi quos baptizat, confirmat, absolvit, an unum tantum; et si haec ex officii sanctitate metimur, hoc verius forte, *quia unum baptizandi, absolvendi*, etc. *ministerium exercet* (13).

255. Quaeri potest an duo simul possint idem sacramentum conficere. Et si unus materiam ponit, alter formam pronunciet, cum haec falsum *heic* dicat, sacramentum constare non potest. Secus si uterque totam materiam et formam ponat; seu *partis* tantum (cum sacramentum constat pluribus partibus, ut eucharistia, extr. unctio, et ordo), seu *totius* (ut is absolvant, consecrent una simul). Et in hoc posteriori casu ille sacramentum conficit, qui prior signum absolvit; et si uterque illud absolverit eodem momento temporis, uterque, quantum in se est, conficit sacramentum (14). Sed primum est grave, praeterquam in gravi necessitate; alterum semper (15). At proculdubio valet sacramentum quod unus confert pluribus una simul: quod ceteroquin in solo baptismo, et poenitentia fieri potest (cum nempe sub unica forma plures baptizat, vel absolvit); et in solo summo discrimine rerum, ut in incendio, ruina, naufragio, fieri licet (16). Nihilominus utrum in aliis casibus leve sit, an grave, non satis convenit (17).

ART. II. *De Subiecto, et quae subiectus praestare debeat in sacramentis recipiendis.*

256. Sacramentis recipiendis soli homines capaces sunt, quoad eis vita contingit. Nempe omnes baptismo; post baptismum susceptum, qui sint idonei, suis locis. Heic videamus, utrum qui ea recipiunt sint infantes, an adulti suae mentis. In *illis* (et, in his qui eis accensentur, *idiotis* et amentibus ab infantia – V. Prol., §§ 30, 31) nihil aliud requiritur, ut sacramentum recipere possint quam ut capaces eius sint: nec opus est intentione parentum, ne in baptismo quidem, idque certissimum est. Aliud iuris est in *istis:* hi nosse debent quae scitu necessaria sunt necessitate medii ut capaces habeantur eis recipiendis (1): ad haec, necessaria eis est intentio ut valide, et dispositiones ut licite ea suscipere possint.

(13) Sporer, *De Poenit.*, n. 435.
(14) D. Th., III, 67, 6.
(15) Ex *Rubr. Missal.* – Praeterquam in ordinatione presbyterorum.
(16) Ex Rit. Rom., *De Bapt. parvul.*
(17) S. Alph., VI, 29, in fi.
(1) Ex Inn. XI, 64; V. Par. II., § 3, n. 4.

257. Et primum intentio, seu voluntas recipiendi sacramentum (2). Scilicet in poenitentia, in qua poenitens ipse materiam praestat (3), et matrimonio quod ad instar contractus initur, nisi per procuratorem ineatur, virtualis. In caeteris, cum ipse nihil agat, habitualis (4); et in confirmatione, et E. U., quae multa commoda afferunt, nihil incommodi, satis est voluntas interpretativa (5). Si deest voluntas, sacramentum nullius momenti erit, sive nolit quis illud recipere (6); sive *non nolit,* idest si intentionem neutralem habeat (7).

258. Dispositiones omnium communes hae sunt: *fides,* et ut quis sciat ea quae scitu sunt necessaria etiam necessitate (Par. II, § 4, n. 8) praecepti (8): *spes,* et planum est: *caritas*, idest initium dilectionis Dei; et si versatur in letali, in suscipiendis sacramentis mortuorum attritio, in vivorum contritio, excepta eucharistia in qua confessione opus est (9). Demum requiritur ut nullo excommunicationis, vel interdicti personalis vinculo sit obstrictus (10): verum si is non possit abstinere a sacramento sine incommodo gravi (utputa sine scandalo vel infamia), licite accedit, quamvis a censura in praesens absolvi non possit (11).

(2) D. Th., III, 68, 7. Proinde si quis comederet hostiam, nesciens consecratam esse, perinde erit quasi panem comedisset (Lugo, *De Euch.,* XII, 23, 26). *Recipiendi,* et prout in ministro antequam suscipiatur: concepta post materiam et formam positam, quasi post *signum* absolutum, nihil valet (Lugo, *De Poenit.,* XIV, 46, 48). Sacramentum idest quod Ecclesia eo ritu praestat: quamobrem si quis dum baptizatur non sacramentum, sed medicinam recipere se putet aut velit, nihil erit actum.

Porro ut ministri, ita et subiecti intentio pura esse debet: quamobrem si velit sub conditione vel praeterita vel presenti quae defecit, aut deficit, aut futura et incerta, nihil actum intelligitur: etsi *haec* postea extiterit.

(3) V. Spor., *h. t.,* § 145.

(4) Lugo, IX, 119, 127; S. Alph., VI, 82; Prol., 145, n. 13. Dummodo non fuerit retractata (Cap. 3, § ult., *De Bapt.*). Ideo valide conferuntur dormienti (Cit. § ult.; Bened. XIV, C. *Postremo mense,* § 46). Nec oberit si quis ea suscipiat compulsus metu gravi, dummodo velit, quia metus non aufert voluntarium. (Cit. § ult.; Ben. XIV, § 49). Vel ob finem pravum, quia intentio rem non mutat (Reginald., 26, 50).

(5) Ex Rit. Rom., *De Extr. Unct.,* § 6; Croix, VI, 1, 169; S. Alph., VI, 81, 82; Vasq., D. 212; Lugo, IX, 122. Alias E. U. morituro sensibus destituto danda esset sub conditione, et, si is de ea recipienda numquam cogitasset, iteranda foret.

(6) C. 3, § *Item, De Bapt.* Quamvis specie tenus, serio et devote illud recipiat (Ben. XIV, C. *Postremo mense,* §§ 47, 51). Et de hoc nemo unquam dubitavit.

(7) Ben. XIV, *l. c.,* § 48; S. Alph., VI, 81 in fine, contra Caietanum.

(8) Salm., 2, 6, 50; S. Alph., VI, 139.

(9) V. S. Alph., VI, 83, etc.

(10) Ex Rit. Rom., *De E. U.,* Cap. I, § 8.

(11) S. Alph., VI, 265, *Quaer.* 2°.

259. Inter infantes et adultos suae mentis tenent hi, qui post infantiam in amentiam inciderunt, quamdiu amentia laborant; etenim in praesens nulla nec intentio nec dispositio exigi ab eis potest, sed retro agere oportet, et ad illud temporis momentum reverti, quo desierunt, aut iterum desierunt esse suae mentis: et si tunc neutrum eis defuit, sacramentum conferri poterit (12), sed conferri non debet nisi in probabili periculo mortis (13). His proximi sunt sensibus destituti, quibus sacramenta danda non sunt nisi in mortis periculo, et nec in periculo mortis si in *manifesto* peccato mortali decedunt (14). Dixi *manifesto;* nam in dubio dari debent; nempe baptismus et poenitentia tametsi vix probabile sit eos rite esse dispositos, confirmatio vero et extrema unctio si hoc sit vere probabile (V. § 249).

260. Postremo videamus quid iuris sit in surdis et mutis a nativitate; adultis, inquam qui in scholis non sunt instituti. Veteribus fere omnibus pro certo fuit, eos aliquatenus suae mentis esse et ea quae ad fidem pertinent sapere qualiter qualiter: ideo baptismo, poenitentia et matrimonio prohiberi eos non posse, *certa;* confirmatione, E. U. et eucharistia, *communior* sententia fuit: tantum de eucharistia, non satis conveniebant, utrum solum in mortis periculo danda esset, an etiam in Paschate, an saepius quoque. Dicam plane quod sentio: cum hodie admodum probabile sit eos esse instar infantium (V. Prol., § 30, n. 7), existimo posse eis dari baptismum et confirmationem, immo (cum non sit plane indubitatum, eos ignorare quae ad fidem pertinent) et absolutionem; verum omnia sub conditione: si quis autem et eucharistiam morituris dandam putet, quasi (ut olim) infantibus, non obloquar, dummodo omne irreverentiae periculum absit: at E. U., si quid opinor, danda eis non est, cum nec sit necessaria, et vix probabile sit validam esse.

(12) Ex D. Th., III, 80, 9; S. Alphons., VI, 139. Et generatim sufficit pie vixisse (S. Alph., *H. A.,* Tr. XII, 44). Et si non satis appareat utrum digni revera sint, an indigni, melius est forte indigno dare, quam digno negare. Sed absolutio, etsi eis defuerit utrumque, semper danda est sub conditione.

(13) Ex Rit. Rom., *De Bapt. Adul.,* § 10; D. Th., in 4, D. 6, q. 1, A. 2, q. 3 ad 1; S. Alphon., VI, 81, in fi.

(14) Ex Rit. Rom., *De E. U.,* § 8.

ART. III. *De his quae seu minister seu subiectus cavere debet alter alterius causa.*

261. Grave est sacramenta indigne ministrare, longe gravius ea recipere indigne; hoc enim regulariter per se malum est, illud, verius, non item, quia sacramenta et bene et male recipi possunt (1). Ne quis igitur fiat particeps alterius peccati, cavere debet, ne ea vel ab indignis petat, vel indignis conferat. Utrumque est grave. Principio igitur volenti sacramentum recipere cavendum est, ne illud petat a ministro nominatim excommunicato vel suspenso vel ab haeretico vel schismatico notorio, vel intruso (2), praeterquam in summo discrimine rerum, vel ab eo quem in letali esse constat (3): sed ab hoc caritas tantum id vetat; ideo excusat quodvis incommodum grave, immo quaevis iusta necessitatis, vel utilitatis causa (4).

262. Et, ex diverso, ministro cavendum est, ne sacramenta det indignis, quia oportet ipsum esse *fidelem dispensatorem* (5). Et in baptismo et ordine quae mutant statum suscipientis, et in poenitentia in qua ipse fungitur officio iudicis, explorare debet utrum is qui petit sacramentum eo revera sit dignus; in ceteris sufficit si non constet esse indignum (6). Quod si an quis dignus sit, an indignus utrumque anceps videatur, siquidem dubium est an peccaverit, arceri non debet; sin an poenituerit, non debet admitti (7). Indignis proxime accedunt hi qui ignorant ea quae scire debent. Hoc minister dimittat, ut quantocyus instructi redeant. Si non expedit, aut non potest eos dimittere, edoceat; si neque hoc potest, intererit utrum ignorent ea quae scire oportet necessitate medii, an ea quae necessitate praecepti, an ea de quibus disputatur utrum sciri debeant necessitate medii, an necessitate praecepti (Par. II,

(1) Lugo, VIII, 189, etc. Sane Christus communicavit Iudam; quis dixerit Christum rem fecisse materialiter malam?

(2) Pii VII, *Novae Lit.*, 19 martii 1792.

(3) S. Alph., VI, 88. - *Constat* (Ex C. 7, *De Cohab. Cleric;* Croix, VI, I, 216): itaque si de hoc dubitari possit, fas erit petere; sive dubites an ille peccaverit quod planum est, sive an poenituerit quod credendum est quoad constet oppositum; nisi versetur in occasione proxima peccandi, vel sit consuetudinarius (S. Alphons., VI, 89, v. *Certum est*).

(4) V. S. Alph., 89. Puta si is qui est in letali nolit alium confessarium, nec ad horam expectare, aut venialia confiteri vel indulgentias lucrari velit.

(5) I *Corinth.*, IV, 2; Suar., D. XVIII, Sect. 2; Lugo, VII, 164, 193.

(6) S. Alph., VI, 43.

(7) Croix, VI, 1, 142; S. Alph., VI, 48.

§ 4). *Illis* numquam det sacramentum, *istis* det si expediat, *his* tantum baptismum, et poenitentia sub conditione in articulo mortis.

263. Ad haec, in sacramentis conferendis, extra periculum mortis, offensionibus quoque fidelium cavendum est. Ex hoc capite, licet is qui confessus et absolutus fuit, ceteris paribus, nullo sit sacramento vivorum indignus, nihilominus si publicus peccator sit, et statim a confessione publice petat, v. c., confirmationem, eucharistiam, et videntes indigne ferrent, etsi expiatum sciant, arcendus erit, quamdiu vita meliore apparuerit emendatum revera fuisse (8). Hoc autem, cum in facto non in iure positum sit, in aestimatione ministrorum esse debet. Ut generaliter dixerim, lapsi semel vel iterum, etsi gravius, regulariter admittendi sunt: at qui in ea conditione versantur, in qua vel sine periculo, vel sine damno aut scandalo aliorum, remanere non possunt, removendi sunt tametsi haec lateant adstantes, si facile subinde resciri possint; nisi de emendatione eorum constet, et publico scandalo satisfecerint (9).

264. Quid si non possis negare sacramentum indigno sine eius infamia, vel sine tuae vitae periculo? Et ex primo capite licet dare (10), sed peccatori dumtaxat occulto publice petenti (11). Ex altero non licet si petatur in comtemptum Religionis, vel in odium fidei (12), vel si citra scandalum aut fidelium offensionem dari non possit (13). His remotis, multi adhuc negant, quia summa irreverentia est dare sanctum canibus (14); aliis affirmant, quia in tanto

(8) Ex Rit. Rom., *De Euch. Sacr.*

(9) V. Ronca., *h. t.*, Cap. IV, Reg. 4; V. Croix, VI, 1, 141; S. Alphons., VI, 46, 47. Itaque, v. c., puellae lubrico lapsae dari potest: meretrici, usurario, non item; nec ei qui concubinam domi fovet, nec *civiliter* nuptis; nec ei qui vetito sibi munere fungitur; nec ei qui aliquid retinet quod prius necesse est restituere; immo nec ei qui pravum habitum nondum coepit emendare, si quid gravissimum agitur; utputa blasphemis, luxuriosis, etc.

(10) Ex *Matth.*, XXVI, 26, 27; C. 2, *De Off. Ord.*; C. 4, *De Temp. Ord.* in 6°; D. Th., 3, 80, 6 ad 2. Doctrina certa; sed ratio difficilis (V. Lugo, VIII, 176).

(11) Ex Rit. Rom., *De Euch.*, § 9.; D. Th., 3, 80, 6. Ergo extra mortis periculum, I° neque peccatori publico danda est, sive publice petat, sive occulte; nisi de eius poenitentia, et emendatione publice constet (Rit. Rom., *l. c.*): ne eo quidem loco, ubi crimina eius latent, si facile eo innotescere possint (S. Alphons., VI, 46). Neque II°, occulto, quoties 1° petat occulte, vel 2° his tantum praesentibus, qui sciunt ipsum esse indignum (S. Alph., 44), vel, 3° praesente uno solum forte, vel altero viro *probo et taciturno* id scientibus (V. Croix, VI, I, 138, 139).

(12) V. S. Alph., VI, 49; V. Prol., § 178, n. 11. Huc recidit casus in quo sacramentum valide fieri non potest; ut ecce si cogaris baptizare cum vino, vel rite baptizatum iterum baptizare, aut extremam unctionem conferre sano vel infanti.

(13) S. Cyprian., Lib. I, Epist. 10.

(14) S. Alph., VI, 49.

discrimine rerum irreverentia cessat (15). Alii alia via rem expediunt: docent enim licitum esse simulare administrationem sacramenti (excepto sacerdotio); non quidem formaliter (16), sed materialiter (V. Par. II, § 297); nempe mutata substantialiter materia, vel forma (17). Sed, si neque hoc sine periculo vel sine scandalo fieri possit, mihi secunda sententia nullatenus displicet; quia sacramenta conferre indignis non est per se malum (§ 248, n. 1), sed caritas tantum vetat cooperare sacrilegio suscipientis: caritas autem non obligat cum incommodo gravi.

APPENDIX.

DE RITIBUS SERVANDIS IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM ET DE SACRAMENTIS NON ITERANDIS.

265. Supersunt nonnullae quaestiunculae. Et primo quae ministrum observare oporteat in administratione sacramentorum. Et profecto ea omnia, eaque sola servare debet, quae ab Ecclesia constituta, vel probata sunt (1). Et primo ut sacramenta conferat in Ecclesia; verum de hoc, cum non sit perpetuum, suis locis. Deinde ut in sacramentis administrandis utatur superpelliceo, ac desuper stola (2): sed in extrema necessitate baptismus et poenitentia sine his conferri possunt, immo et confirmatio, et E. U. (3); et ipsum viaticum deferre sine sacris vestibus, si absque offensione fieri possit, non est illicitum (4). Ad haec, necesse habet coerimonias adhibere ab Ecclesia praescriptas; easque, *nisi necessitatis causa, omit-*

(15) Lugo, VIII, 181: Suar.; Gobat, To. I, n. 273; Dicast., n. 292; Sporer, n. 188; Escob., n. 537. Nam aiunt, si mihi licet dare indigno ad *famam* ipsius tuendam, ad tuendam *vitam* meam quidni liceat?

(16) Ex Inn. XI, 29. Ibi: « *Urgens metus gravis est iusta causa sacramentorum administrationem simulandi* ». Hac propositione omnem simulationem damnatam fuisse tenet Cardenas: Viva solam formalem, et rectius (cit. § 297, n. 32): excepto baptismate, *quia baptismus est ianua sacramentorum et protestatio fidei, nec ullo modo fingi potest* (S. U. I., 6 sept. 1625, coram SSmo; Ben. XIV, C. *Postremo mense*, § 21. *Bullarium*, T. 2, n. 28).

(17) Viva, in Innoc. XI, 29, n. 11. Ut ecce si dicat « ego te *haud* absolvo » (Card., in cit. Pr. 29, n. 53), vel « *absolvam* » vel « *absolvo ?* » (V. S. Alph., VI, 59). Nempe, ut dixi, remoto scandalo.

(1) Trid., VII, *h. t.*, Can. ult. – Nec quidquam ex his mutari, aut detrahi, aut adiici, iniussu S. Sedis, eis potest (S. R. C., 1 maii 1612).

(2) Rit. Rom., *h. t.*, § 7. Non item super veste communi (Ex S. R. C. 10 ianuarii 1852, ap. Gury, II, 226); ne in sacramento poenitentiae quidem (S. R. C., 11 sept. 1847). Sed utrum sit grave non uti stola? Et in sacram. poenitentiae negandum videtur, ex Rit. Rom., *l. c.;* in eucharistia negant plures, nec improbat S. Alph. (VI, 241).

(3) Croix, VI, II, 2116; S. Alph., 184, 726.

(4) S. Alph., VI, 241.

tere (5), est grave. Demum ritu uti debet Ecclesiae quisque suae, seu latino, seu graeco; et est hoc quoque grave (6).

266. In baptismo praeterea, in confirmatione, E. U., et ordine, utendum est aqua et oleis eo anno solemniter de more benedictis. Veteribus uti, nisi necessitas cogat (7), grave est (8). Quae si deficere videantur, et alia benedicta haberi nequeant, adiici poterit in minori quantitate aliud oleum, aliave aqua non benedicta (9); nempe toties quoties opus fuerit, licet *sic* longe maior denique pars superaddatur (10).

267. Caveat igitur minister, ne quid ex his omnibus praetermittat, nisi forte sit in mora periculum sive suscipientis, sive ministrantis, sive alterius (11). Secus, si omiserit aliquid grave, non vacat letali; immo etsi minimum quid omiserit, vel immutaverit, vel addiderit, si fecerit studio novitatis, peccat letaliter (12). Ceterum si non recordetur se aliquid ex his dixisse aut fecisse, quae dicenda, facienda sunt, turbari ipse non debet, sed cetera persequi (13). Quin etsi certi meminerit omisisse, si non statim meminit, non oportet retro agere, nec quidquam supplere ordine praepostero (14): Nunc de sacramentis iterandis.

268. Sacramentum iterare heic accipimus, lata significatione, illud conficere vel conferre denuo; sive adhibita iterum materia et forma, seu repetita forma tantum. Principio igitur grave est sacramentum denuo conferre, nisi cum dubium est utrum fuerit collatum, vel utrum recte. Quoad dubium vero haec regula sancienda est: si hoc prudens est, sacramentum iterare licet (15); si est im-

(5) Rit. Rom., *De Bapt.*, C. I, § 2.

(6) Ben. XIV, C. *Etsi Pastoralis*, § 2; V. Rit. Rom., *De Bapt.* Etiamsi graecus inter latinos, vel latinus inter graecos versetur, vel latinus-graeco aut graecus-latino sacramentum ministret: etenim confessarios orientales in excipiendis confessionibus latini ritus uti debere forma et lingua propria approbati ritus definiti iuris est (S. U. I., 6 septem. 1865). Nempe si eo loci extet Ecclesia sui ritus; alias utitur utro maluerit (V. S. Alph., VI, 202, 203). Mutare ritum dioecesis leve est (Sot.; Valent.; Dicast.; Gob.; Croix, VI, I, 266).

(7) Rit. Rom., *De Bapt.*, Tit. *De Sacram.*, 10, § 3; et *De E. U.*, § 3.

(8) Ex C. 122, *De Cons.*, D. 4; S. Alph., VI, 708. Sed non est necessarium ut olea ipsa, consecranda, sint eius anni (S. R. C., 22 martii 1862. *Acta*, III, 660).

(9) Rit. Rom., *ll. cc.*

(10) S. Alph., VI, 708; V. Prol., § 45, n. 17.

(11) Salm., 7, 4, 2.

(12) Ex Trid., Sess. VII, *h. t.*, Can. 13.

(13) Ex *Rubr. Missal.*, Tit. V, n. 2.

(14) D. Th., III, 83, 6 ad 5; Suar., D. 85, Sect. 2. Haec Nostri quoad Missae Sacrificium: sed quidni ceteris aptari debeant?

(15) Rit. Rom., *De Bapt. Parvulor.*, Cap. III, 3. Sive, uti ait *Ru-*

prudens, non licet omnino (16). Sed cum agitur de baptismo, vel sacerdotio, *aliquale* dubium sufficit (17): cum de eucharistia et poenitentia, in quibus sola repetitione formae opus est, non prorsus inane (18). In dubiis autem huiusmodi sacramentum iterare, nedum licet, sed regulariter oportet; nempe sub conditione (19); et maxime baptismum et ordinem sacerdotalem. Et si omissum fuerit aliquid grave, licet ab Ecclesia serius introductum (20), *caute supplendum erit quod per errorem extitit praetermissum* (21). Sed utrum omnia ex integro sint repetenda? Quidam negant, quia in iure cautum est, *nihil* esse *iterandum* (22). Affirmant alii, quia *non intelligitur iteratum quod ambigitur esse factum* (23). Mihi si pars quae suppleri debet ab aliis separata est, ut in presbyteratu postrema impositio manuum, prior; sin minus, ut in confirmatione chrismatio, posterior sententia videtur verior (24).

269. Dubitari potest quid agendum sit, si is, qui sacramentum recepit, postea affirmet se specie tenus sine intentione illud suscepisse. Et siquidem id affirmat ut illud iterum sibi conferatur, fides ei habenda est, nisi probabile videatur sacramento illudere velle. Sin ut solvatur obligationibus quae sacramento (v. c., baptismo, ordini) cohaerent, res primum diligentissime exploranda est; et si non appareat manifeste intentionem defuisse, non debet ei fides haberi, licet iurato asserenti: sin autem hoc appareat manifeste, ac luce clarius, hortandus est *ut rite faciat quod iam irrite fecit, et si obstinate repugnet, nihil aliud superest, nisi ut dimittatur* (25).

bric. Miss., Tit. V, n. 2, *valde probabile* (V. S. Alph., VI, 28, 136).

(16) Bened. XIV, *De Syn.*, VII, VI, 2; Sporer, n. 97. Ne conditione quidem apposita (Catech. Rom., *De Bapt.*, n. 57). In dubio facti, v. g., utrum baptismus collatus fuerit, vel utrum aqua naturali, sufficit vel unus testis fide dignus (Prol., § 130, n. 31), foemina quoque (S. Alph., VI, 134).

(17) S. Alph., VI, 107, v. *Quaer.* IV, Sed non leve prorsus (*Ib.*, 134. Sed V. 751, in fin.).

(18) Ronca., Cap. IV, Reg. 3. Sed scrupulosi facile a letali, immo et a veniali, excusantur (Elbel, *h. t.*, n. 14; Gob., Tr. III, 94, Gury, II, 201, 3).

(19) Ex Cap. 2, *De Bapt.;* Rit. Rom., *l. c.*

(20) Reiff., I, 16, 12; S. Alph., VI, 758, velut impositio manuum in Subdiaconatu (C. 1, *De Sacram. non iter.*); tactus calicis vel patenae in Ordinatione presbyteri (S. Alph., VI, 751). *Serius:* eoque magis si ab Apostolis introductum fuerit; et adhuc magis si, utrum pertineat ad substantialia sacramenti vel accidentalia, disputatur.

(21) Ex C. 1, *De Sacram. non iter.;* Ex C. 3, in fi., *De Presbyt. non bapt.;* V. S. Alph., 758.

(22) CC. 1, 3, *De Sacram. non iteran.*

(23) C. 3, *De Presbyt. non bapt.*, in fin.; Gonzal., in cit. C. 3.

(24) V. Dec. S. U. I., 27 maii 1840; Scavini, III, 658, 8.

(25) Ex Ben. XIV, Cit. C. *Postremo mense*, § 51.

TRACTATUS II.

DE SACRAMENTIS CHARACTERISTICIS

CAPUT I.

DE BAPTISMO.

270. Baptismus (*ablutio*) definitur: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo* (1). Materia baptismi (remota) *valida* est aqua naturalis (2); seu quae scatet e terra, seu quae cadit e coelo, seu demum resoluta ex nive, grandine, rore, etc. (3). Verum, si alius liquor ei fuerit admixtus in minori quantitate, si hic speciem solvit aut usum mutat, erit materia ut dixi, *ad minimum dubia;* uti ius crassum, atramentum (4), potio ex faba americana (*caffè*), etc. Ea vero quae cum aqua naturali quamdam affinitatem habet, materia *dubia* est; ut aqua resoluta ex sale, vel quae vere manat ex vite aut arboribus (5), quae per alchymiam separatur ex floribus, herbis, etc. (6). At quae aquae tantum colorem habet, est materia prorsus *inepta,* ut saliva (7), lacrymae, sudor, succus stillans ex arboribus, expressus ex floribus, herbis (8), etc.

271. Materia proxima est ablutio: ablutio fieri potest vel mersione, vel aquae effusione, aut aspersione. Sed ut, effusione vel aspersione facta, ablutio vere dici queat, necesse est: 1° ut aqua corpus tangat; 2° ut fluat (9); utque, 3° ea copia fluat, qua quis vere ablutus dici possit. Proinde ut a posterioribus, quippe facilioribus, ordiamur, ex 3° baptisma erit dubium, si quis baptizatus

(1) Catech. Rom., *h. t.*
(2) *Ioan.,* III., Trid., VIII, *h. t.,* 2.
(3) S. Alph., VI, 3, 103.
(4) V. S. Alph., VI, 103; Croix, VI, 1, 261; Suar., 20, 1, 2; Laym., III, 1. Secus si neutrum praestet, ut aqua sulphurea, lixivium (D. Th., III, 66, 4 ad 4). Sed lixivium quidam dubiam materiam putant (V. S. Alph., *l. c.*).
(5) Croix, VI, 1, 261.
(6) Cf. S. Alph., VI, 104.
(7) C. 5, *h. t.* (*De Baptismo*).
(8) S. Alph., VI, 103, II.
(9) Bonac., Q. II, P. III, n. 14: V. Busem., ap. S. Alph., VI, 105, 4.

fuerit duobus tantum vel tribus aquae guttis (10), vel motu digiti madefacti. Ex 2° nullum erit baptisma collatum nive, gelu, grandine (11), aut madefactae manus applicatione (12). Ex 1° si aqua vestes non fuerit praeterlapsa, adhuc irritum erit, sin capillos aut secundinas, erit dubium (13). Nec corpus tantum contingere debet, sed praecipuam corporis partem, idest caput: si pectus ablutum fuerit, aut humeri, aut scapulae, communissima quidem, at non certa prorsus sententia est, baptismum validum esse (14): sin pes, aut digitus, dubium prorsus. Denique, cum nemo possit sacramentum sibi administrare, necesse est, ut baptista abluat baptizandum, alias baptismus ne intelligi quidem potest; ut puta si ille proferat formam, dum is ipse in flumen insilit, vel ab alio deiicitur, vel casu decidit. Quid si aliquem baptizaveris supponendo eum aquae dum e tecto casitat, vel quo ex alio loco defluit? Et siquidem aqua naturaliter casitat vel defluit, valet, quia vere solus abluis; sin alius eam fudit, non valet (15).

272. Forma baptismi continetur his verbis: « *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* ». Quibus tria cum primis (praeter ablutionem) significantur: 1° invocatio Sanctissimae Trinitatis; 2° unitas Divinae naturae; 3° distinctio personarum (16); et omnia ad formae substantiam pertinent. Primum et alterum significatur iis verbis *in nomine;* tertium ipsis personis singillatim nuncupatis. Quocirca perit forma, vel saltem fit dubia, ex 1° si dixeris: ego te baptizo *in Patre*, vel *in virtute* (17); aut *ex parte Patris* etc.: vel in nomine Patris per *Filium et S. S.* (18). Ex 2° si dictum sit *in nominibus* (19). At si dixeris: « ego te baptizo *in nomine* Patris, *in nomine* Filii, etc. », longe probabilius est formam

(10) V. Busem., ap. S. Alph., VI, 105, 4.

(11) Bonac., n. 5. Quamvis calore capitis eius, qui baptizatur, subinde resoluta fluant: non enim fluunt ex actione ministri.

(12) Laym., III, 1; V. Bonac., *l. c.*, n. 14.

(13) S. Alph., 107, q. III.

(14) Salm., 2, 2, 40.

(15) Croix, VI, I, 265; S. Alph., VI, 106. Et si ipse baptista eum in flumen proiiciat, dubium erit baptisma (S. Alph., *l. c.*, pr.).

(16) Suarez, Dis. 21, 2; Laym., IV, 2.

(17) V. S. Alph., VI, 108, etc. Refert Scavini (III, 59) a S. Poenitent. et a S. C. C., immo ab ipsomet Ben. XIV, die 7 dec. 1741, responsum fuisse, valere formam *cum nomine Patris*, etc.; sed quamdiu de his non constat authentice, non oportet recedere a sententia communi (V. Salm., 2, 13, 19). Eoque magis si dixerit *cum patre*, etc., si quid opinor.

(18) Busemb., ap. S. Alphon., VI, 108.

(19) V. S. Alphon., VI, 111, v. *Quid si.*

valere; immo etsi dixeris: « ego te *baptizo in nomine* Patris, ego te *baptizo in nomine* Filii, etc. » (20); quippe locutio catholica est (21). At, ex 3° perit forma si dicas: « ego te baptizo in nome Iesu Christi » (22) vel « in nomine *Sanctissimae Trinitatis* (23). Cavendum praeterea est ne quid demas, addas, varies, corrumpas. *Demas;* et si demeris tantum praepositionem *in*, nonnulli dubitant ne valeat forma (24). *Addas:* v. c., nomen *Beatae M. V.* (sed V. § 236, n. 11). *Varies;* et si dixeris: « ego te *mundo a peccatis tuis* in nomine, etc. » (25); vel « ego te baptizo in nomine *Genitoris*, et *Geniti*, et *Procedentis ab Utroque* », non immerito dubitatur an valeat baptisma (26). *Corrumpas;* et perit forma si dixeris: « ego te baptizo in nomine *matris* » (27).

273. Ministri baptismi vel ordinarii sunt, vel extraordinarii. Ordinarii sacerdotes (28): hodie regulariter parochi (29). Ideo nec parochus nisi fuerit sacerdos, nec sacerdos nisi fuerit parochus vel ex parochi mandato, permittitur baptizare. Parochus, nempe eius parochiae in qua mulier enixa fuit, si haec ibi domicilium habet; sin quasi domicilium, parochus huius paroeciae, vel domicilii; et si ibi nec quasi domicilium habet, quem parentes elegerint (30).

(20) Sot.; Suar.; Tolet.; Laym.; S. Alph., VI, 111, v. *Quid si.* Et S. U. I. pluries eam ratam habuit.

(21) Ex Rit. Rom., *Ordo Commend. Anim.*

(22) D. Th., III, 66, 6; Laym., IV, 3; S. Alph., VI, 112, d. 5.

(23) Laym., *l. c.;* S. Alph., VI, 111.

(24) V. S. Alph.. 112. Item si demas coniunctionem *et* Filii *et* S. S. Secus si dicas Patris, Filii, *et* S. S., ex indole linguae latinae (S. Alph., VI, 111, V) et italicae.

(25) Bonac., Q. II, P. 4, n. 17.

(26) S. Alph., VI, 109, v. *Utrum.* Secus si baptizes in nomine *Patris, et Verbi, et Spiritus Paracliti,* vel *Spiritus.* Item si pro *baptizo* dixeris: *Abluo.* Quid si dixeris *mergo,* vel *tingo?* S. Alph. (*l. c.,* v. *Hinc*) synonima haec putat: quod vereor ne verum sit. Nam alterum actionem quidem materialem (si per immersionem baptizes), at non sacramentalem; alterum neutram significat, nam tingere proprie est, colore aliquid imbuere: utcumque tutissima *heic* adhibenda sunt.

(27) Quod in primis obstetricibus contingere potest. Quamobrem expedit eas baptizare lingua vulgari, et vernacula. Sed ratas esse aiunt has formas: *io ti abbattezzo* (S. C. C., 12 maii 1753) – Ego te *baptismo* (S. U. I., 22 maii 1871); Del Vecchio, II, 425, 1) – Io ti *battesimo* – *Io ti battezzo nome di Padre* (*Ead.,* 12 sept. 1801); seu, *del nome del Padre;* vel, *in domine Patris* (Scavi., III, 217), *in nom. Patris* (S. Alphons., VI, 110).

Ad ultimum cavendum quoque est ne verba transponantur: sed hoc vix heic obest formae; ut ecce si dicas – in nomine *Filii et Patris* (V. S. Alphons., 110, 111).

(28) D. Th., III, 67, 2.

(29) Ex Rit. Rom., *De Min. Bapt.* – Et est grave (Ex Clem., I, *De Privil.;* Salm., 2, 4, 35, 36).

(30) Ex Cap. ult., *De Paroch.;* Croix, VI, I, 275; S. Alphons., VI. 114, 115.

Extraordinarii diaconi; quare et ipsi baptizant solemniter (31). At in extrema necessitate cuivis permittitur baptizare; foeminae quoque infideli. Nihilominus si plures adsint, parochus sacerdoti praeferri debet, is diacono, diaconus clerico, clericus laico, vir foeminae, etc., nisi aut pudor aliud suadeat, aut peritia baptizantis (32). Sed iurisdictionis, ordinis, et cognationis spiritualis tantum ratio habenda est sub gravi: ideo grave est tantum si praesente parocho baptizet sacerdos; vel hoc praesente, laicus (33); vel praesente quovis alio, pater aut mater (34).

274. Subiectus baptismi est omnis *homo* non baptizatus, etsi, verius, nondum in lucem editus (35). Quid igitur si mulier enixa fuerit massam carneam, vel ostentum, vel monstrum? (V. Prol., § 28). Et profecto *illa* baptizanda est sub conditione, nisi appareat manifeste exanimis (36). In ostento si habeat plura distincta pectora, et capita, unumquodque caput baptizari debet seorsum, et absolute (37). Sin plura pectora, caput unum, vel contra, plura capita, unum pectus, uno capite absolute baptizato, cetera seu capita, seu pectora, sub conditione sunt abluenda. Denique monstrum ex viro et muliere susceptum, si speciem humanam praefert capite, absolute; sin pectore, sub conditione baptizari debet: item si nec capite nec pectore, sed reliquis membris: at si humanam speciem nullatenus praeferat, baptizari non debet (38). Et in infantibus vel idiotis (V. Prol., § 30, n. 3) nihil aliud requiritur, ut baptismus valide conferri possit. In adultis intentione praeterea opus est, eosque invitos baptizare nedum sacrilegum, sed et contra iustitiam grave est (39), licet sint vix maiores infantes. Adultum vero accipimus *regulariter completo septennio* (40). In adulto sensibus destituto in periculo

(31) Laym., VII, 3.

(32) Rit. Rom., *De Min. Bapt.*, § 2.

(33) Salm., 2, 4, 22; S. Alph., VI, 117.

(34) Renzi, *h. t.*, II, 3, 2.

(35) V. D. Th., III, 68, 11. - *Verius;* nam olim disceptatum est (V. Ben. XIV, *De Syn.*, VII, 5, 2; S. Alphons., VI, 107).

(36) Cf. Baller., ad Gury, II, 247.

(37) Rit. Rom., *De Bapt. parv.*, § 6.

(38) Rit. Rom., *ib.*, § 5. Verum quidni possit baptizari sub conditione? Veterum opinio fuit, posse mulierem ex bruto concipere; sed recentiores physici contra putant, et animadvertunt in monstris huiusmodi semper aliquod humanae speciei vestigium reperiri (V. Prol., § 28, n. 10).

(39) Dist. 45, C. 5; D. Th., III, 68, AA. 5, 10.

(40) S. C. C., 16 iulii 1639; Bened. XIV, § 32. Nempe, utrum quis factus sit rationis compos, quaestio est facti, non iuris: et, si id non satis appareat, non est interim remittendus ad parentes forte infideles, sed retinendus et instruendus (Bened. XIV, 33, etc.); nisi incapax inventus fuerit (*Ib.*, § 40). Et filii in-

mortis sufficit intentio implicita, ea nempe quae continetur in voluntate dandi nomen Religioni christianae (41); et (forte), si hanc ignoret, vel solum faciendi quaecumque necessaria sunt ad salutem (42). In infantibus filiis infidelium, vel haereticorum, nonnulla observanda sunt, ut *licite* baptizari possint (43). Et in primis iustitiae, et religioni nostrae cavendum est: illi ne baptizentur invitis parentibus; huic *ne baptizati, post quam infantiam excesserint*, ad eorum religionem redeant. Verum quae hic dicturi sumus respiciunt pueros post baptismum apud suos remansuros (44), et nullatenus ad eos pertinent, qui perpetua amentia laborant (45); nec ad eos qui versantur in articulo seu periculo mortis (46). Sed quia infidelium et haereticorum non par est ratio, de utrisque seorsum agendum est.

275. Itaque grave est contra iustitiam pueros infidelium baptizare, invitis parentibus (47); nisi forte hi patria *potestate cecide-*

fidelium vel haereticorum licite baptizantur, nisi adsit *apostasiae certitudo* (S. U. I., in fer. V. 12 octobris 1600; fer. IV, 13 febr., 1867).

(41) Lugo, IX, 130.

(42) Croix, VI, I, 288; Gobat, Tr. II, 298. Immo et ea quae in sola attritione continetur (Spor., 156; Gobat; Dicast.; S. Alph., VI, 82). Et, rebus desperatis, recte; at cum sanam mentem receperit denuo, sub conditione, baptizandus erit; eo tantum excepto, qui veram et explicitam nec retractatam intentionem habebat.

(43) Haec olim solis fere Missionariis; hodie, proh dolor! nobis quoque scitu necessaria sunt.

(44) S. U. I., 29 nov. 1794: nam si penes ipsos baptizantes remansuri sint periculum cessat: et ideo baptizare eos et licet et oportet. Ceterum, etsi invitis parentibus abluti fuerint, non licet illis eos reddere, sed in loco tuto collocandi sunt, et catholice educandi (Ben.XIV, C. *Postremo mense*, §§ 23, 28, 30; *De Baptismo iudaeorum*, 28 februar. 1751; To II, 28; ex qua pene omnia hausimus quae heic dicturi sumus).

(45) D. Th., III, 68, 12. Licet materialiter adeant templa idololatrica vel haeretica et ritus peragant vel haereticos, vel idololatricos (S. U. I., 8 martii 1870; *Collectanea* etc., n. 218). His accensendi sunt idiotae (Prol., § 30, n. 2). Qui si aliqua edant rationis indicia, siquidem moraliter constat eos capaces, vel contra incapaces esse peccandi mortaliter, illi baptizari *non possunt*, hi *debent*, quamvis parentes infideles eos offerant baptizandos superstitionis causa, vel ut ab aegritudine aut morbo aliquo servarentur (Cit. *Postremo*, § 22). Si neutrum satis appareat, praevalet favor fidei et salutis eorum aeternae; et ideo regulariter baptizari possunt (S. C. de Prop., 17 april. 1777; *Collect.*, n. 219).

(46) C. *Postremo* § 8; S. C. De Prop., 17 april. 1777, n. 211. Periculo inquam in quo versatur is qui baptizandus est, et non communi, v. c., saeviente peste, licet ex 100 pueros 90 pereant (cit S. C., v. *Idem missionarius*). Et privatim sine ullis prorsus solemnitatibus baptizandi sunt (S. U. I. 21 jan. 1767; Pius VII, Instr. 27 iunii 1816).

(47) C. *Postremo* §§ 4, 14; ne principe quidem cogente (D. Th., III, 68, 10, ad 2; V. Lugo, *De Fide*, XIX, a n. 70) nisi forte *qua dominus servos* (Prol.. § 117, n. 2), ubi hoc ius adhuc viget (Ben. XIV. C. *Probe*

rint (48); vel nisi unus ex eis consenserit cuius aut est, aut praevalet potestas huiusmodi (Prol., § 53, n. 38): vel saltem avia paterna, licet omnis patriae potestatis expers (49). Sed longe gravius est eos baptizare, vel parentibus consentientibus, quoties *prudenter* DUBITARI *potest ne baptizatus tractu temporis a catholica religione desciscat* (50). Quod ad filios haereticorum, eorum nempe qui tales sunt nomine et re (51), in his locis in quibus Ecclesia non cogit eos baptizare ritu catholico, non licet eos abluere invitis parentibus si quid opinor; eo quod alias a parentibus avellendi forent (§ 274, n. 40). Sed, etsi parentes offerant eos baptizandos, nefas est eos baptizare neque in Ecclesia, neque domi; et licet puer sine baptismo sit moriturus (52). *Sed ita demum si* PROBABILIS SPES *subeat fore ut baptizatus possit suo tempore in vera fide instrui* (53); *et dummodo non constet parentes ob superstitionem filios offerre baptizandos* (54). Quid si nati fuerint ex altero parente haeretico vel infideli, altero catholico, qui, posthabita S. S. dispensatione matrimonium contraxerunt illicitum, vel nullum prorsus? Nempe si parens catholicus eos offerat baptizandos; *nullo superstitioso* (vel quo alio extraneo) *fine, sed unico salutis obtinendae voto* (55)? Nulla certa

te, §§ 15, 26). Porro appellatione parentum omnes adscendentes (Prol., § 49, n. 16) continentur (cit. C., § 22), sed in primis hi qui patria potestate gaudent, nec non tutores (cit. C., § 3). Verum patriam potestatem eum primis accipimus naturalem (Prol., § 53, n. 37); nam cum de bono spirituali agitur, *nulla est ratio habenda* patriae potestatis civilis (C. *Postremo*, § 16).

(48) C. *Probe te*, § 14. Ex hoc capite licet baptizare pueros a parentibus *derelictos ac destitutos* (cit. § 14), vel expositos (C. 1, *De Infant. expos.*).

(49) Ben. XIV, *Probe te*, §§ 17, 18; *nempe in favorem fidei.*

(50) C. *Postremo* § 28. Scilicet, signatos sigillo totius Trinitatis cultui, v. c., Maomethi vel daemonum devovere, perinde est ac facere *blasphemias grandes..... blasphemias magnas* (II *Esdr.*, IX, 18, 26): et, prout blasphemia, natura malum est.

(51) Scilicet, sunt haeretici nomine tenus, qui numquam baptismum, cuius necessitatem abnegant, receperunt vel invalide recipiunt: hos praetereo, quippe loco infidelium habendi sunt.

(52) S. C. De Prop., 21 ian. 1767, n. 216. Heic nempe cavendum est ne baptizati, exacta infantia, paternis erroribus imbuti, *fidem catholicam, quam per sponsores in baptismo profiteri debent eiuraturi sint* (cit. Decis., § *Prohibet*). Ergo si domi baptizati fuerint, cum, in cit. Decis. in fine, vetitum sit ecclesiae coeremonias, atque ideo sponsores adhibere, negocium, ni fallor, redit ad vetitam communicationem in divinis (Prol. § 110); alias nec ipsis Ministellis fas esset eos baptizare.

(53) Cit. Decis., n. 216; Suar.; Lugo, *De Fide*, XXI, 20. Scilicet heic mitius cum haereticis agendum esse Nostri docent, quia non abhorrent a Christo (Laym., *h. t.*, C. VI, 12; Croix, VI, I, 307; S. Alphon., VI, 12).

(54) S. C. De Prop., 1867, n. 214.

(55) C. *Postremo*, § 8.

regula heic statuta est; sed si is promittat, se filium in catholica religione instituturum, omnia esse debent in aestimatione presbyteri baptizantis (56): et, in primis, utrum ei fides haberi possit (57).

276. Baptismus obligat omnes. Adulti debent baptizari quam primum digne et commode possunt (58): infantium baptismum differre ultra 10^{m} vel 11^{m} diem sine gravi causa (59), ex gravi ultra sesquimensem, grave est (60). Conferendum est autem, et regulariter sub gravi, I° *in Ecclesia* (61): nihilominus licet baptizare domi, 1° filios Regum, et magnorum Principum (62), immo et Procerum, ubi usus obtinuit (63), sed in eorum Oratoriis (64); 2° eos qui publice baptizari nequeunt sine matris infamia (65); 3° baptizatos in Ecclesia, si postea necesse sit iterare baptismum (66). II° *Aqua baptismali*, et sacris oleis eius anni, vel, his deficientibus, superioris: non enim licet baptismum, ne ad breve quidem tempus, differre (67). III° Demum *solemniter*, idest adhibitis Ecclesiae ritibus, ideoque et patrino, sub gravi (68). Sed urgente periculo mortis baptizari potest quovis loco, quavis aqua simplici, algida quoque, tametsi infans exinde citius sit moriturus (69), et sine ulla solemnitate: immo, si sacerdos baptizet extra Ecclesiam, eas omittere debet quae baptismum praecedunt (70). Ceterum omissae si infans periculum evaserit, debent suppleri quamprimum (71);

(56) Cit. C., § 23.

(57) S. U. I., 12 oct. 1600. *Perpensis etiam infantilis aetatis periculis ob quae tertiam plerumque hominum partem completum decennium extingui ferunt* (C. *Inter omnigenas*, § 8).

(58) Suarez, in III P. D. Th., D. 31, Sect. 2. Qui id putat grave.

(59) S. Alph. VI, 118. Immo et tamdiu, si infanti metuendum sit.

(60) Laym., VI, 9.

(61) Clem., un., *De Bapt.*

(62) Rit. Rom., *h. t.*, Cap. VIII, § 3.

(63) S. Alph., VI, 118, Not. III.

(64) Rit. Rom., *l. c.*,

(65) S. Alph. VI, 142.

(66) S. Alph., VI, 136, in fi.

(67) S. R. C., 19 sept. 1859. Ideoque, his non expectatis, aqua baptismalis cum veteribus facienda est (Cit. Decr., et 23 sept. 1837; *Acta*, III, 628),

(68) Ben. XIV, C. *Inter omnigenas*, § 19. Et si aliquid ex his desit, v. c., ecclesia, patrinus, non ideo licet solemni privatum baptismum substituere, *sed possunt, immo tenentur uti illis coeremoniis quibus possunt* (S. U. I., 28 febr. 1663; S. C. de Prop., 8 sept. 1869, n. 269).

(69) S. Alph., VI, 106, in fin. At grave esset eum baptizare in flumen proiiciendo, quia hoc esset eum directo necare.

(70) S. R. C. 22 sept. 1820; Scavini, III, 83. Quod autem quidam praecipiunt uti aqua baptismali, quidam contra vetant, utrumque gratuitum est: sed consultius est, ea uti si fieri possit (Ex Rit. Rom., *l. c.*).

(71) Rit. Rom., *h. t. Ordo suppl.* etc., § 1,

immo etsi adhibitae fuerint, si postea apparuerit baptismum invalidum fuisse, eas *repetere*, remoto scandalo, tutius est (72).

277. Baptismus tria praestat: 1° delet omnem culpam; 2° cum sit regeneratio, remittit omnem poenam pro peccatis debitam, ex quo grave est baptizatis satisfactiones imponere; 3° demum imprimit characterem. Si de eo dubitetur, si dubium nullatenus est probabile, grave est iterum baptizare, quamvis ad cautelam, et sub conditione (73). Si non est prorsus improbabile, et licet et oportet (§ 268), sive dubites utrum revera collatum fuerit, sive utrum valide. Ex hoc capite rebaptizandi sunt baptizati ab obstetricibus non probatae peritiae (74), vel ab haereticis; de quibus non immerito dubitatur, an valide baptizent (75); ut ecce a protestantibus qui, rati baptismum non esse necessarium, vix rite baptizant, aut ne vix quidem (76).

278. Adhuc de vero baptismo, quem Nostri *fluminis* vocant. Est, lata significatione, aliud baptisma, quod *flaminis*; et aliud, quod *sanguinis* dicunt. Baptismus flaminis (Spiritus S.) est ipsa perfecta caritas vel contritio (77). Baptismus sanguinis est martyrium: hoc pro baptismo esse nedum adultis, sed et infantibus, sine temeritate negari non potest (78); verum ei recipiendo in adultis requiritur

(72) S. Alph., VI, 144. Quoad nomina baptizatis imponenda, quod Rit. Rom. cavet, hoc aut consilium est, aut praeceptum leve (S. Alph., 145). Et si is qui puerum baptizandum defert, nolit prorsus eum baptizari nisi imposito impii alicuius, vel Ecclesiae hostis nomine, non ideo fas est illi baptismum differre, sed baptizandus est addito submissa voce nomine alicuius Sancti (S. U. I., iunii 1883).

(73) Ex Ben. XIV, C. *Postremo Mense*, § 31 in fi. Qui vetuit rebaptizare infantes expositos, qui chartam praeseferunt collo appensam de collato baptismo, si appareat cuius manu scripta ea sit, et ei qui scripsit fides tuto praestari possit. Immo is qui natus est ex parentibus christianis *praesumitur* baptizatus, si inter christianos christiane adolevit (C. 3, *De Presbyt. non baptiz.*). Nisi gravis ratio aliud suadeat (Croix, VI, 1, 310); ut ecce si a daemone vexetur (S. Alph., 134): sed clam baptizari debet (S. C. C., 21 dec. 1733). Dixi *si inter* etc.; ideo pueri rapti a barbaris, si non constet baptizatos fuisse, baptizari debent (C. 110, *De Cons.*, D. 4). Idem de pueris a vagis derelictis, licet bimulis aut trimulis, recte aiunt Gouss., et Scavini (*h. t.*, § 75).

(74) Croix, VI, I, 318 - *Probatae* etc., quamobrem si tyrones sint in eo munere obeundo, non immerito dubitari potest, ne subito perturbatae deerraverint (Ronca., Cap. IV, q. 5, n. 2); nec facile eis credendum est id negantibus. At ubi nulla subest ratio dubitandi, baptismum denuo, vel sub conditione, conferre grave est (V. Ben XIV, Not. 8 et Not. 84, 3).

(75) S. U. I., 20 nov. 1878; Scavini, III, 65,

(76) V. *L'Ami de la Religion*, 26 iul. 1845, 6 ian. 1848,

(77) Croix, VI, I, 244.

(78) Suar., D. 29, 1; S. Alph., VI, 95.

tum intentio (79), tum dispositiones, prout in vero baptismo; et in primis contritio aut caritas (80), non quidem perfecta, uti putavit S. Bonaventura, sed imperfecta; quae mihi verior sententia est (81). At vero neque baptismus flaminis neque sanguinis characterem imprimunt.

CAPUT II.

DE CONFIRMATIONE.

279. Confirmatio est: « *Sacramentum quo per manus impositionem et unctionem chrismatis in verbo, datur robur gratiae ad profitendam fidem in baptismo susceptam* ». In hoc sacramento duplici materia UTIMUR, impositione manuum, et chrismate. *Impositione manuum:* ea nempe qua utimur *chrismando renatos* (1). *Chrismate:* chrisma conficitur ex oleo olivarum (2), et balsamo cuiusvis regionis (3): disputatur, utrum balsamum sit necessaria materiae pars; negantium sententia est forsan verior, affirmantium tutior (4). Utra vero ex his duabus materiis substantialis sit, sola ne manuum impositio, an sola unctio, an *utraque*, nostrum non est definire (5); utraque igitur utendum erit.

280. Forma apud Graecos haec est: *Signaculum doni Spiritus Sancti.* Penes nos haec: « *Signo te signo Crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* ». Plerique docent omnia haec verba necessaria esse, ideoque nullum sine gravi sacrilegio posse omitti. Nihilominus, si quid iudico, ea tantum – *confirmo te chrismate salutis* – substantialia sunt; priora enim characterem significant, quem forma significare non solet; posterioribus non utitur Ecclesia Graeca.

(79) Suar., Sect. 2, ex D. Th., II, II, 124, 1.

(80) D. Th., III, 66, 12 ad 2.

(81) Suar., 29, 1. Alias in quo a baptismo flaminis distat? Sane martyrium aut pro baptismo est, aut non; si primum etiam adultis sin alterum nec infantibus gratiam confert.

(1) Concil. Lugdunen., ap. Labbè, T. XIV, p. 509. Et prima illa protensio, sub ipsum sacrae functionis auspicium, caeremonia est ab Ecclesia introducta (S. Alph., VI, 164), *nec sub conditione*, repetenda, si fuerit omissa (S. C. De Propag., 6 aug. 1840, apud Del Vecchio, II, 473, 1).

(2) Eug. IV, in Decr. *Pro Union.*

(3) Ben. XIV, C. *Ex quo primum.*

(4) Sane ex privilegio Pauli IV, a S. Pio V dein renovato, Indis concessum fuit pro balsamo, nescio quo, alio liquore uti, quod balsamum vocant, sed balsamum revera non est (Cf. Aguille, *Collet. Max. concilior.* T. IV, ad Concil. Liman., an. 1583).

(5) Sane Ecclesia Graeca non utitur manuum impositione (Ben. XIV, C. *Ex quo primum*, § 50; To. IV, n. 299).

281. Hoc sacramentum chrismatione confertur (quae materia eius proxima est). Chrismatione duo continentur: impositio manus, et unctio (6). Unctio, ut valeat, digito est facienda, et in fronte (7), et, ceu multis visum, in crucis figuram ut formae respondeat (8): et pollice fieri debet; sed hoc, probabilius, est leve (9).

282. Minister ordinarius huius sacramenti est Episcopus (10); et ex delegatione (penes Latinos solius Romani Pontificis) quivis presbyter (11). Ille hoc sacramentum confert ex ordinis, cum primis Episcopalis, hic cum primis (12) ex iurisdictionis potestate; ideoque valide, *hic* si non excedat fines mandati, nec quoad territorium, nec quoad personas, nec quoad modum; *ille* omnibus et ubique, sed si extra suum territorium, gravi non caret (13). Episcopi autem necesse habent suos confirmare, et ob id circumire dioecesim; et si distulerint per octo vel decem annos, letali non vacant. Sed non adire morientes ad eos confirmandos; quia non caret incommodo, leve est; et ubi haec consuetudo viget, ne leve quidem (14).

283. Subiectus confirmationis est omnis homo baptizatus, necdum confirmatus, sive infans, sive adultus. Nihilominus hodie infantes confirmari non debent (15), nisi metuendum sit, ne alias sine hoc sacramento vita decedant (16). Quaestionis est, an hoc sacra-

(6) C. Un., *h. t.*, § *Per;* Cap. 4, *De Cons.*

(7) Ex Cit. § *Per;* Bened. XIV, *l. c.;* Salm., 3, 2, 27; S. Alph., VI, 166.

(8) Laym., Cap. III, 4; Salm., n. 25.

(9) S. Alph., VI, 165.

(10) Trid., VII, *h. t.*, Can. 3; Ben. XIV, C. *Eo quamvis,* § 8. A remotissima antiquitate presbyteri graeci, seu Orientales, quos baptizant, illos in baptismo ipso confirmant: ex delegatione utrum proprii Episcopi, an R. P., non satis constat. Et ratas esse confirmationes huiusmodi (ubi S. S. eas postmodum non improbavit, ut apud Bulgaros, Italo-graecos, etc.), post C. Ben. XIV, *Anno vertente,* 18 iunii 1759, nemo amplius dubitat, licet a schismaticis factas; quippe, quasi toleratis, post schisma Photianum iurisdictio non fuit adempta. Sed Episcopis latinis haec delegandi potestas iam a saec. VIII adempta est; ideo delegando nihil agunt. At vero nemo qui confirmandi potestate gaudet, valide confirmat, nisi cum oleo ab Episcopo consecrato (V. Ben. XIV, *De Syn.*, Lib. VII, Capp. VI, VIII, IX). Graecos autem valide confirmare vel extra baptis. vix dubium est, sed a S. U. I. nunquam definitum fuit.

(11) Inst. S. C. de Prop., et S. U. I. per Sacr. Congr. NN. EE. EE. praepositam 30 maii 1888.

(12) Cf. Latini, *Elem. Iur., Can.,* Lib. II, Par. I, Tit. III, § 6; Suar., in III Partem D. Th., T. III, D, 36; Bellarm., *De Confirm.,* L. II, C. XII.

(13) S. Alph., VI, 171. In sua vero dioecesi licite confirmat extraneos; quod consuetudine, et tacita Episcoporum consensione, est introductum.

(14) S. Alph., VI, 175.

(15) Ben. XIV, *Eo quamvis,* § 6.

(16) V. Salm., 3, 3, 20. Et in primis cum *praevidetur futura diutina absentia Episcopi, aut si facilis in posterum Episcopo non sit*

mentum sit necessarium necessitate praecepti; quidam negant, alii affirmant et grave esse putant (17): ergo lex dubia est.

284. Confirmatio potest conferri minus solemniter *quocumque die, hora et loco, ex causa ad arbitrium Episcopi* (18). Hoc sacramentum gratiam secundam confert, qua adolescimus in viros perfectos, et confirmamur ad pugnam contra visibiles Fidei hostes: et imprimit characterem, quo signamur quasi milites Christi.

APPENDIX.

DE PATRINIS.

285. In baptismo solemni, et in confirmatione, adhibendi sunt patrini, si commode haberi possint; et est grave (1). Patrinos infantibus designare parentum est (2); et si hi neminem designaverint (aut eum quem non licet), parochi, vel Episcopi (3). Non licet autem designare in baptismo plus quam unum, et unam; et in confirmatione unum tantum (4). Patrinus autem quis fit suscipiendo baptizandum, vel confirmandum, eo destinato animo ut patrinus

futurus accessus. vel propter eorum distantiam a civitate, vel propter itineris difficultatem (Bened. XIV, *De Syn.*, VII, X, 5, 8). Atque ideo, cum sacram visitationem obeunt, eos praeterire regulariter nec oportet nec expedit. Neophyti adulti confirmandi non sunt, nec in periculo mortis, si omnino rudes sint et vi morbi defatigati instrui nequeant, nisi saltem habeant aliquam intentionem suscipiendi confirmationem ad robur animae adiiciendum (S. U. I., et Congr. De Prop., 10 apr. 1861; *Collect.*, 311),

(17) V. S. Alph., VI, 181, 182. Nec Const. Ben. XIV *Etsi Pastoralis*, § III, n. 4; 6 maii 1742, hanc litem (ad quam nec pertinet; Scavini, Gury, II, 270, ibiq. Ballerinius) diremit: quod ex ipsomet Ben. XIV *De Syn. Dioec.* (VII, 10, 9), post eam Const. (V. *Ibid.*, IV, 8, 8) editum, palam, si quid opinor, intelligere licet.

(18) Pontific. Rom., *h. t.* – *Hora, loco;* ideoque etiam non ieiunis (S. Alph., 174): etiam in Ecclesiis regularium (Bened. XIV, C. *Confirmandis*, § 6; *Bullar.*, To. I, 109).

(1) S. Alph., VI, 159, 185. In baptismo privato laudabiliter adhibetur, ut servetur sacramenti (regenerationis) significatio (Sanch., *M.*, IX, 26, 3; S. Alph., 147).

(2) Ex Trid., XXIV, *Ref.*, 2.

(3) S. Alph., VI, 146, III. Et si quem obtruserit sine iusta causa (v. c., impatiens morae, dum designatum expectat), peccat graviter (Croix, VI, I, 362; S. Alph., 146).

(4) Trid., *l. c.* Et alium a patrino baptismi, nisi forte necessitas cogat (C. 100, *De Consecr.*, Dist. 4). Et qui in baptismo designant, acceptant, admittunt praeter numerum vel sexum, si cognatio contrahitur, letali non carent (S. Alph., VI, 155, d. 2). In confirmatione autem ubique patrinus designari solet ejusdem sexus, sed et alterius designari potest ex rationabili causa. *In Christo* enim *Iesu* (sicut dicitur Coloss. III, 2) *non est masculus et foemina, et ideo non differt, utrum masculus vel foemina teneat aliquem in confirmatione* (D. Th., P. 3ª, Q. 72, a. 10, ad 3um.

eius fiat. Duobus igitur cum primis opus est, ut quis patrinus fieri possit: nempe hoc munere defungi animo susceptoris (5); et eum qui baptizatur, confirmatur (dum abluitur vel ungitur) tenere aut manibus contrectare (6). Hoc primum; deinde necesse est ut baptismus et confirmatio valida fuerint (7): hac re cognatio non contrahitur, infante prius baptizato, quum solemnitates in Ecclesia supplentur (8). Sed non omnibus datur hoc munere seu valide, seu licite fungi.

286. Principio patrinus est quasi tutor in spiritualibus baptizati, vel confirmati, et cum eo spiritualem cognationem contrahit. Ideo hoc munere *valide* fungi nequeunt, qui non sunt compotes sui, velut infantes (9), non baptizati (10), et in confirmatione non confirmati, quod vix non definiti iuris est (11). Nec *licite* hi qui vel su-

(5) S. C. C., 20 apr. 1589; Sanch., *M.*, VII, 58, 4; *De Bapt.*, IX, 2; Salm., 2, 7, 53. Ideo cognationem non contrahit obstetrix quae infantem super ulnis sustinet dum baptizatur; nec qui, ea casu, v. c., subito morbo correpta, vice illius manibus puerum susciperet. Et quia *nulla voluntas errantis est*, si quis teneat filium Caii putans filium Seii, eam cum Caio, et parentibus eius, verius, non contrahit (Sanch., n. 6; Bonac., *De Matrim.*, P. V, § II, n. 18; *De Iust.*, II, V, 56; Sed V. S. Alph., VI, 152). At qui patrini munere defungitur sciens volens, cognationem contrahit, velit nolit, quippe quae ex eo necessario descendit (Sanch., VII, 5, 84; Prol., § 143, n. 9).

(6) Suar., D. 67, 8; S. Alph., VI, 146. Nec sufficit tactus momentaneus digiti, vel manus (Sanch., *M.*, VII, 56, 4; Pont., VII, 39, 9). Sufficit autem baptizatum suscipere e manu, non alterius quidem susceptoris (S. C. C., 27 febr. 1601; Ferar., v. *Baptismus*, VII, 23), sed baptistae, vel (quod Nostri communiter negant) obstetricis, uti censuit S. C. C., 20 dec. 1653; 18 decem. 1688; Giral., *E. I. P.*, Par. II, Sect. 112, nn. VI, VII); et ideo de hac re dubitare amplius non licet. Quod si quis per procuratorem patrinum egerit, uti plerumque fieri solet (Sanch., *M.*, VII, 594), putat neutrum cognationem contrahere, neque mandatarium quia non vult, neque mandantem quia non tangit: sed proculdubio tenendum est *hunc*, nisi medio tempore intentionem revocaverit (Croix, VI, I, 365), cognationem contrahere; non *illum* (S. C. C., 15 mart. 1631, 11 iun. 1881; *Acta*, XI, 413, 416).

(7) V. Sanch., *M.*, VII. 62, 5, etc. Et si baptismus, quia de priori non improbabiliter dubitatur, denuo conferatur alio patrino adhibito, dubia erit utriusque cognatio (V. S. Alph., VI, 151).

(8) S. C. C., 13 iul. 1624, ap. Ferrar., n. 22; Sanch., *M.*, VII, 62; V. Prol., § 66, n. 26.

(9) S. Alph., VI, 146; Rit. Rom., *De Bapt. rite administr.*, Tit. *De Patrinis*, § 3, in baptismo *puberes;* et S. U. I. in confirmandis non minores anno 14 (Instruct., 20 maii 1888, edita per S. C. NN. EE. EE.) patrinos desiderant. Illud non inquiritur, utrum sit maior aetate eo qui baptizatur, vel confirmatur (Salm., 2, 7, 29).

(10) Ex C. 102, *De Cons.*, D. 4.

(11) Ex Cit. C. 102; Et S. C. C., 13 iun. 1624; Reiff., IV, XI, 27. Et est grave (S. Alph., VI, 186; V. Sanch., *M.*, VII, 60, 20; Pont., *M.*, VII, 40, 2): at alii plures contra putant. Sed *procuratorem* confirmatum non esse nihil obest (S. C. C.,

scepto officio defungi nequirent, ceu muti (12), regulares (13); vel eo sunt indigni, prout haeretici, criminosi, infames etc. (14); nec demum parentes, ob reverentiam matrimonii (15). Quae in hac materia scire maximi refert, ea sunt, quae pertinent ad cognationem spiritualem: de hac quorsum pateat, ubi Tridentinum viget, alias dixi (16). Heic alia quaerenda sunt.

287. Et, 1° an patrinus non designatus cognationem contrahat; 2° an eam contrahant qui forte adhibiti fuerint ultra numerum legitimum; vel, 3° (ut ita dixerim) non legitimi sexus. Iure veteri nulla opus erat designatione patrini, et quotquot hoc munere fungebantur, et cuiusvis sexus cognationem contrahebant (17). In confirmatione nihil immutatum videtur (18): in baptismo quidam putant opus esse designatione, alii contra (19). Si autem plures tetigerint baptizatum, soli designati cognationem contrahunt (20); et si vel omnes designati fuerint, vel nulli, quotquot (verius) priores una simul tetigerint (21). Etsi vel duo mares vel duo foeminae fuerint adhibitae, uterque cognationem contrahit, cum Tridentinum super hac re nihil innovaverit. Haec quoque cognatio, prout naturalis, cum semel fuerit contracta perpetua est; nec baptizati vel confirmati morte finitur (22). Et duo praestat, impedimentum nuptiis coeundis, de quo serius, et obligationem docendi baptizatum vel confirmatum ea quae

29 mart. 1582; Ferrar., n. 19): et iure prorsus (Par. II., § 433, n. 8).

(12) Gobat. 555; Croix, VI, I, 355.

(13) C. 103. D. 4. Nisi autem ipsi facti sint Episcopi (S. Alph., VI, 156); aut confirmandus sit monachus (Croix, 397).

(14) Rit. Rom., *De Patrin.*, § 4. Nempe (quia leges Ecclesiae non obligant cum incommodo gravi), si removeri possint sine gravi damno (ex S. Poenit., 10 decem. 1860; V. S. Alphons., VI, 156, IV).

(15) Ex C. 2, *De Cognat. spirit.* Et est grave citra necessitatem (C. 7, Cau. 3, 1). Verum toro non prohibentur (Cap. 2, *De Cognat. spirit.*; Croix, VI, I, 3, 158). Dixi *reverentiam* etc., quia non prohibetur alter alterius, vel communem filium baptizare, tenere, post matrimonium solutum alterius morte (Lugo, *Resp. Moral.*, I, 5, 5; Gobat; Croix, 357); vel ante illud initum; sed si baptizaverit, tenuerit, cognationem contrahunt (Fagnan., in cit. C. 2).

Demum non debet idem, in utroque sacramento, eidem patrinum agere; sed est leve (Ex S. Alph., 187, V. n. 3).

(16) Prol., § 66. *Ubi Tridentini decretum locum non habet, fideles disciplinae in suis regionibus vigenti se conforment* (Cit. Instruct. 30 maii 1888).

(17) C. ult., *De Cogn. Spirit.* in 6°.

(18) Trid., XXII, *R. M.*. 2, in fi. Utrum vero ea quae Concilium statuit de baptismo ad confirmationem trahenda sint, dubitat vel ipse Sanch. (*M.*, VII, 57, 9).

(19) V. Salm., 2, 7, 36, 37; S. Alphons., VI, 154.

(20) Trid., XXIV, *R. M.*, 2, S. Alphons., VI, 154. Canonistae, contra, omnes cognationem contrahere putant (Giral., Sect. 712).

(21) Sanch., VII, 57, nn. 13, 14; S. Alph., VI, 154.

(22) Sanch., *M.*. VII, 54, 8.

ad fidem et mores pertinent. De hac expedita res est: principio enim praesumendum est id praestare ipsius parentes si catholici sint (23); his non praestantibus, tenetur patrinus baptismi; eo deficiente, confirmationis patrinus: baptizato autem vel confirmato semel edocto, quasi pupillo maiore facto, haec obligatio finitur; nec, si postea illa dediscat, reviviscit (24).

CAPUT III.

DE SACRA ORDINATIONE.

ART. I. *De Materia et forma singulorum ordinum.*

288. Ordinatio est: *Ritus sacer, quo gradus alicuius potestatis confertur ad altaris ministerium* (1). — Gradus huius potestatis dicuntur *ordines:* suntque hi: *ostiariatus*, *lectoratus, exorcistatus*, *acolythatus*, *subdiaconatus, diaconatus*, et sacerdotium, quod in *presbyteratum*, *et episcopatum* diducitur (V. Prol., § 89), Quatuor primi minores, tres posteriores maiores sunt, nomine et re, et hierarchici sunt: hypodiaconatus re minor, nomine et obligationibus (a saeculo XII) maior (2). Per omnes in sacerdotium (3), atque ideo in altaris ministerium tenditur, ideo omnium est una potestas, cuius pars singulis tribuitur; idcirco unum, ex omnibus, sacramentum constat (4).

289. Materia ordinationis non una est: nam in plerisque utimur instrumentis, in nonnullis impositione manuum, in aliis utraque. Instrumenta sunt potestatis, quae ordinatione confertur, symbola; et ipsa quidem sunt materia *remota,* traditio autem eorum *proxima:* materia autem proxima (traditio) non intelligitur, nisi minister haec praebeat ordinando, isque, verius (neque enim sat esse videtur ea praebuisse), illa accipiat, aut manu tangat (5). Haec generatim: nunc singula prosequamur.

(23) D. Th., III, 67, 8.

(24) Konin.; Sa; Laym., *De Bapt.*, IX, 1.

(1) Laym., *h. t.*, Cap. II, n. 1.

(2) Innoc. II, in C. 4, Dist. 60. Hierarchici, quippe a Domino qui in Ecclesia sua hierarchiam constituit, procul dubio instituti.

(3) Trid.; XXIII, Can. 2.

(4) Tonsuram praetermisi; cur, V. Prol., § 88, n. 6. Est autem: *Ritus sacer ab Ecclesia institutus, quo quis ex laico fit clericus.* Confertur tonsione capillorum, vel comae adscitiae (Ex S. R. C., 25 sept. 1846).

(5) Suppl. D. Th., III, 34, 5 ad 3. Ceterum, sufficit una manu tangere; et vel chirothecis obtecta (S. Alph., VI, 743). Si quis hostiam non patenam tetigerit ratam esse ordinationem *probabilissimum* est, et fere certum; nihilominus consultum est eam iterare (S. Alph., VI. 751).

290. Principio igitur materia minorum ordinum constat solis instrumentis: nempe ostiariatus Ecclesiae clavibus, lectoratus sacrarum lectionum vel Scripturarum libro, exorcistatus libro exorcismorum, acolythatus urceolis et candelabro cum cereo extincto. Subdiaconatus calice cum patena vacuis (6) et libro Epistolarum. In hierarchicis materia diaconatus est impositio manus, et liber evangelii; presbyteratus item manuum impositio, et calix cum vino, ac patena cum hostia; in episcopatu sola impositio manuum. Sed in illo et in isto utra sit essentiali, an sola traditio instrumentorum, uti visum Soto ex Decreto Eugenii IV: an sola impositio manuum, ceu Morino, quippe qua sola usa est Ecclesia Graeca semper, Latina usque ad saeculum VIII, an utraque uti Bellarmino? Soti sententia videtur erronea (7), Morini verior (8), Bellarmini tutior: haec sequenda.

291. Verum, hac admissa, cum in presbyteratu utraque materia sit multiplex, novae quaestiones oriuntur. *Instrumenta* duo sunt; sufficit ne a ministro alterutram poni, seu patenam cum hostia seu calicem cum vino, quia potestas consecrandi individua est et tota in alterutra specie continetur; an oportet tradere utramque, quia ordinatione datur potestas offerendi sacrificium, quod ex utraque specie necessario consistit (9)? Sufficit ne ordinandum tangere alterutram, quia utraque porrigitur per modum unius, et vel solum moraliter tangere; an utraque, et physice tangenda est (10)? Ad extremum quia instrumenta sunt sacrae potestatis symbola, si calix et patena non fuerint consecrata, vel execrata fuerint, utrum ordinatio

(6) V. Croix, VI, II, 2150; S. Alphons., VI, 747. Quaestionis est, utrum calix cum patena debeant esse consecrati, ut valeat ordinatio. *Is* affirmativam sententiam sequitur, *ille* negativam probabiliorem existimat; omnino veriorem, quippe non est ordo hyerarchicus; et maioribus in Ecclesia latina serius adscitus. At proculdubio si una ex eis defecerit, vel fuerit inepta, ordinatio ex integro est repetenda.

(7) Ex *Actor.*, XIII, 2; *Timoth.*, IV; V. C. 3, *De Sacram non iterand.*; Juen., *De Sacram.*, VIII, III, 47.

(8) V. Bed. XIV, *De Syn.*, VIII, 10; S. Alph., VI, 749. Alias qui valida Graecorum ordinatio, vel infantium? (§ 154, n. 13). Porro manuum impositionem *physicam* esse oportet, idest ut legitur in sacramentario Gregoriano, oportet *caput manibus tangere.* Et Gregor. XVI iussit iterum ordinari sub conditione diaconum aliter ordinatum. Et ita quoque censuit S. U. I., 19 au. 1851.

(9) V. S. Alph., VI, 750.

(10) V. S. Alph., VI, 752, 753. Nec recte P. Gury (II, 102) existimat, quaestionem hanc iamdiu a S. R. C. diremptam fuisse (V. Baller., *ibi* et *Vindic. Ligor.*, P. IV, Quae. III). Porro, etsi alias liceat conferre idem sacramentum pluribus una simul; heic instrumenta, in singulis seorsum repetita forma, accipienda tradenda sunt (S. R. C., 12 nov, 1831; Scavini, III, 659).

rata sit non plane liquet. Itaque tutiora heic omnino tenenda sunt. *Manus* autem ter *imponit* Episcopus; primo post recitatas litanias cum adstantibus presbyteris, nihil dicens; dein mox cum ait: - *Oremus fratres carissimi* etc.; demum post Communionem cum dicit: - *Accipe Spiritum Sanctum;* et de his quoque disputatur utra sit essentialis. Sane hac ordinatione datur potestas consecrandi et absolvendi; et uti olim a Christo (§ 90, n. 9), seorsum datur: ea igitur impositio, qua neutra datur, ad essentiam non pertinere: contra eam pertinere, qua datur alterutra, utrumque (ni fallit) manifesti iuris est: atqui priori nulla, posteriori absolvendi a peccatis potestas traditur; ergo illam non pertinet ad essentiam (11); haec pertinet (12). Quaestio igitur secundam spectat: et quaestio haec est, utrum potestas consecrandi per eam detur; an tunc detur cum Episcopus tradens instrumenta dicit: *Accipe potestatem offerre sacrificium*, etc. (13); vel an tunc explicetur potius.

ART. II. *De Ministro et subiecto.*

292. Ministri ordinationis sunt Episcopi. Et valide quivis Episcopus confert ordines; licite *suus* tantum (1). Suus autem Episcopus dicitur ratione vel originis, vel domicilii, vel beneficii, vel famulatus (2); alius suus Episcopus est is in cuius dioecesi ordinandus natus est, aut nasci debuit (Prol., § 82, n. 2); vel perpetuam habitationem sibi constituit (3); vel congruum, detractis oneribus, pacifice

(11) S. Alph., VI, 748. Et certum est, ait *ib.*, V. *Tertia, apud omnes.* Verum eam non differre a secunda, sed hanc eius extensionem esse, non immerito (ex Trident., XIV, 5) retur Martene (Bened. XIV, *De Syn.*, VIII, 10, 4). Priori igitur praetermissa, satis dubia ordinatio dicenda est.

(12) Ex Trid., XXIII, *h. t.*, Can. 4; Salm., 8, 3, 41, ibiq. Sanch., Pal.. Dicast.; Bellasm., *De Sacram. Ordin.*, Cap. 9; Silv., in suppl. 37, 2, 4; Reiff., Lib, I. Tit. XVI, 13, 15. Sed, contra, substantialem haud esse tenent alii - *cuius,* aiunt, *altum silentium est in vetustissimis libris ritualibus* - (Bened. XIV, *l. c.*, n. 5). Illis igitur verbis - *Accipe,* etc. - data potestas *explicatur.* Et ita etiam Morinus et Natalis Alexander.

(13) V. Ben. XIV, *De Syn.*, VII, 10, 4. Quin plerique existimant, hanc solam esse adaequatam ordinationis materiam; eaque et consecrandi, et absolvendi potestatem contineri: et hoc Doctori nostro videtur probabilius (S. Alph., VI, 749, v. *Tertia*), ex Trid., XIV, *De E. U.,* Cap. 3, quo docemur, ministros E. U. esse sacerdotes ordinatos *per impositionem manuum Presbyterii.* Sane antiquum Pontificale Rom. iubet instrumenta tradi *in manibus* ORDINATI (Ben. XIV, n. 6).

(1) Trid., XXIII, *Ref.*, 9. Et tonsuram (C. 4, *De Temporib. Ordin.* in 6°).

(2) CC. 1, 3, *De Temp. Ord.* in 6°; Trid., XXIII, *R.*, 9.

(3) Innoc. XII, B. *Speculatores,* § 5. Sed is praeterea iurare debet

beneficium *possidet* (4); vel quocum, at non *titulari* tantum (5), etsi forte nondum Episcopo (6), commoratus, et a quo altus fuit per triennium (7). Verum *hic* necesse habet conferre ordinato congruum beneficium, infra mensem ab ordine vel a tonsura ei collata (8). Itaque ordinando integrum est eligere ex his quem malit, et subinde in unoquoque ordine variare (9). At vero is qui eligitur, prohibetur eum ordinare sine *testimonialibus* Episcopi *et* domicilii, *et* originis (10), *et* eius loci in quo fortasse tanto tempore moratus est ut impedimentum huiusmodi contrahere ibi potuerit (11). At ei qui

se *vere* et *realiter habere animum* in eius diocesi perpetuo manendi (cit. § 3).

(4) Cit. B., § 3. - *Congruum;* nempe iuxta taxam synodalem, quae viget eo loci, si inde non sit discessurus; quae in loco domicilii si eo reversurus sit (Inn. XIII, C. *Apostolici Ministerii;* Ben. XIII, C. *In supremo,* 23 sept. 1724). Itaque si aliquid desit, non poterit suppleri ex patrimonio in eadem (Cit. B., § 3), vel ex alio beneficio in alia dioecesi (Ex C. *Apostolicae Sedis;* Prol., § 395, n. 3). - *Possidet:* ideo clericum iam esse oportet. Illud non interest, utrum residentiale sit beneficium, an minus (S. C. C., 26 maii 1598; Lucidi, *De Visitat.,* To. I, p. 159). Eum vero qui in duabus dioecesibus beneficium habet., utrobique ordinari posse palam est (Espen, *I. E. U.,* P. II, Tit. IX, Cap. II, n. 25).

(5) Trid., XIV, *R.,* 2.

(6) S. C. C., 9 nov. 1589; Lucidi, *De Visitat.,* To. I, p. 168, § 96.

(7) Trident., XXIII, *R.,* 9; Cit. B. *Speculatores,* § 6, - *Commoratus,* nempe familiaritatis, non qua alia, puta studiorum, amicitiae, necessitudinis, gratia (S. C. C., 11 sept. 1608. *Acta,* XIV, 404). Per *triennium;* etsi non continuum, dum ne diu interruptum (Giral., Lucidi, *ll. cc.*).

(8) Trid., *l. c.;* cit. B., § 6. Hoc eo spectat ut ordinandus cessante familiaritate, habeat unde vivere possit: ideo non interest qua in dioecesi beneficium positum sit (S. C. C., ap. Gallemard, ad Trid., *l. c.*). Et si is aliud beneficium aut patrimonium habeat, haec necessitas conferendi ei beneficium cessat.

(9) Devoti, *Inst. Can.,* Lib. I, Tit. IV. § 14.

(10) Cit. B., §§ 3, 4, 5, 6, 12, 13. Nempe si a loco originis discesserat ea iam aetate, qua potuisset aliquod canonicum impedimentum contrahere.

(11) Pius IX, C. *Apostolicae Sedis;* V. Prol., § 395, 4° Idest saltem sex circiter menses, prout in matrimoniis contrahendis. Porro testimonialibus opus est *ad ordines suscipiendos,* et non generatim datis (Ex S. C. C., 8 aug. 1733. *Acta* XIV, 401). Amplius; ordinandi *ab Episcopo beneficii, si in suam dioecesim reversuri sunt, Episcopus domicilii debet eos examinare ante concessionem literarum testimonialium* (Innoc. XIII, C. *Apostolici Ministerii,* § 5; Ben. XIII, C. *In supremo*). Porro haec omnia locum habent etiam in piis congregationibus, in quibus vota simplicia dumtaxat nuncupantur (S. C. Epp. 6 maii 1864. *Acta,* I, 366). Regularibus iam solemniter professis unus *suus* Episcopus est, nempe coenobii ubi degit ordinandus. Tantum si Episcopus absit, vel ordinationem non sit habiturus (quod ex Vic. eius. Gen., aut Cancellarii testi monio constare debet), poterit Praelatus Regularis dimittere ordinandum ad alium Antistitem; dum ne ex industria ordinationem in id tempus distulerit (Ben. XIV, C. *Impositi Nobis,* 25 feb. 1747), et cum testimonialibus sui Episcopi, quae verior sen-

non est suus Episcopus grave est *cuivis vel tonsuram conferre* sine *dimissoriis* Episcopi sui (12).

293. Ordinibus valide recipiendis soli mares idonei sunt, infantes quoque (13). Sed ut licite recipiantur opus est vocatione (14), animo clericandi (15), uti Nostri aiunt, *et testimonium habere oportet bonum ab his qui foris sunt* (16): et quia ordinandus exemplum seipsum praebere debet in doctrina, in integritate, in gravitate, his cum primis. Integritate (17): et ante omnia oportet esse *pudicum, continentem* (18), quique *speret Deo auctore continere sè posse* (19).

tentia est (Fagn., in C. *Cum Secundum*, n. 54, *De Praeben.*). Dixi *solemniter*, etc.; nam hodie durante triennio post tyrocinium ante professionem solemnem, non licet eis concedere dimissorias, nisi ad tonsuram et minores ordines tantum (S. C. C., *Super Statu Regular.*, 12 ianuar. 1858. *Acta*, I, 363) ab Episcopo suo dumtaxat (V. S. Alph., VI, 765), ut opinor (Ex cit. Decr. 6 maii 1864), conferenda.

(12) Trid., VII, *R.*, 10; XXIII, *R.*, 10. Seu Vic. Generalis, Episcopo diu (C. 3, *De Temp. Ord.* in 6°) quod in ipsius Vicarii aestimatione positum est (Reiff., I, XI, 127), in remotis agente; seu Vic. Capitul.: sed V. Prol., § 97, n. 55. Dari autem possunt cuivis Episcopo catholico (S. C. C., 16 mart. 1624); praeterquam ei qui Episcopatui renunciavit, si et loco et dignitati cessit (C. 1, *De Ordin. ab Episc. qui renunc.*). Et si uni nominatim datae fuerint in gratiam ordinandi, huic integrum est, eo praetermisso, alium adire (S. Alphons., VI, 788, not. 11). Habentur autem instar *gratiae factae*, ideo non expirant resoluto iure dantis (S. Alphons., 787, n. 2); neque suspenduntur eo suspenso (Salm., 8, 4, 59; Prol., § 222, n. 6); nisi in tempus definitum datae, vel revocatae fuerint (Reiff., I, XI, 182).

Praeter Episcopos, ordines conferunt hi quibus a R. P. concessum fuerit nominatim. Quaestionis fuit utrum possent committere presbyteris potestatem conferendi diaconatum et presbyteratum (V. S. Alph., VI, 762): affirmantium sententia, hodie, *communi fere suffragio reprobata est* (Latini, *Elem. Iuris Canon., h. t.*, § 5): et speciali privilegio Abbates regulares vere *nullius* cum mitra et annulo ab Episcopo benedicti, sed minores tantum (necnon tonsuram), et Regularibus tantum suis subditis (Trident., XXIII, *R.*, 10; Bened. XIV, *De Syn.*, II, 2, 14).

(13) Ben. XIV, C. *Eo quamvis*, § 20.

(14) *Hebr.* V, 4.

(15) Ex Trid., XXIII, *R.*, 4, idest permanendi (non superius ascendendi) in eo statu; sed est leve (S. Alph., VI, 785).

(16) I *Ad Timoth.*, III, 7.

(17) *Ib.*, v. 2. Et bonitate morum, *nec qualicumque, sed eminenti* (D. Th., Suppl. 35, 1, ad 3.)

(18) *Ad Timoth., l. c.*, vv. 2, 8.

(19) Trident., XXIII, 13. Nempe deinceps quoque, ut interpretor. Et nihilominus Nostri certant, utrum absolvi possit clericus *habituatus* in lasciviis (occultis), cui statutum fixumque est ad ordines sacros, confestim, nullo praemisso experimento emendationis, accedere: quod alii negant, affirmant alii. S. autem Alph. (V, VI, 63, etc.), ita demum admittit si e coeno vitiorum confestim emerserit, n. 70, a quo recedere nefas duco. Sane is, licet extra hunc casum licite absolvi posset, in praesens indignus est qui hunc honorem sibi su-

Doctrina: et pro tonsura sat est si praeter rudimenta fidei, sciat legere et scribere; pro minoribus ordinibus opus est ut linguam latinam intelligat; pro subdiaconatu et diaconatu ut sciat literas, et ea quae ad ordinem exercendum pertinent: pro presbyteratu ut queat populum docere necessaria ad salutem, utque noscat quae ad conferendum baptismum, eucharistiam et E. U. nosse oportet, et aliquam circa poenitentiae sacramentum peritiam habeat (20). Demum gravitate: atque ideo arcentur minoribus ordinibus infantes; subdiaconatu, diaconatu, et presbyteratu qui 22, 23, 25 aetatis annum nondum attigerint; Episcopatu qui 30 nondum excesserint (21): quique demum quavis irregularitate, vel impropria, laborant: et in primis coniugatus, invita uxore, ne tonsuram quidem recipere potest (22).

ART. III. *De Sacra ordinatione rite peragenda.*

294. Ut sacra ordinatio rite peragatur, his prae ceteris opus est: 1° ut ordines suo tempore recipiantur, 2° ut gradatim, 3° ut servatis interstitiis. *Suo tempore.* Tonsura quovis die conferri potest, et quavis hora. Minores ordines diebus tantum festis de praecepto, idest, non in quibus fit officium, sed in quibus utrumque praeceptum servatur a populo (1): et in Missa eos conferri decet. Subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus sabbatis quatuor temporum, et ante dominicas Passionis et Paschatis (2), et infra Missam

mat; et merito dubitari debet, utrum ad hunc honorem vocatus sit: et ne, sacerdotio suspecto, in gravius periculum coniiciatur.

(20) Trid., XXIII, *Ref.*, CC. 4. 11, 13, 14: Salm., 8, 5, 44. Sed V. S. Alph., 790, etc. Quocirca si missi fuerint ordinandi alieno Episcopo, siquidem ab alio Episcopo, Ordinans *potest;* si a Praelato Regulari, *debet* eos iterum examinare (Ben. XIV, *l. c.*).

(21) Trid., XXIII, *R.*, 12. Ad haec oportet confirmatos fuisse (Trident., XXIII. *Ref.*, 4), et ordinem prius susceptum exercuisse (Trid., *ib.*, CC. 11, 13); sed utrumque sub levi (S. Alphons., 786, 801).

(22) C. ult., *De Tempor. Ordinat.* in 6°.

(1) S. R. C., 23 maii 1836; Gury, II. § 712.

(2) C. 3, *De Temp. Ordin.* Nihilominus ex iusta causa Ordinator permittitur partem ordinationis differre in dominicam sequentem, continuato ab ipso, et ab Ordinandis sabbati ieiunio (CC. 13. 15, *Eod.*) ecclesiastico (S. Alph., VI, 796); ideo licet utrisque, omisso prandio, ientaculum sumere (Reiff., I, 11, 39).

Religiosis e S. I., ex privilegio eis concesso a Gregorio XIII, conferri possunt ordines sacri quibusvis diebus festis de praecepto. Utrum et aliis Regularibus, disputatur: itaque res arbitrio Episcopi permissa est; et eo nolente ordinare, non licet alium Episcopum adire (Clem. VIII, 15 mart. 1569; V. Ben. XIV, Not. 23).

ipsius celebrantis, non alterius (3), sunt conferendi sub gravi: episcopatus diebus dominicis, vel natalitiis Apostolorum, et hora diei tertia. *Gradatim*: promotio per saltum non caret letali. Demum *servatis* ab acolythatu, subdiaconatu, et diaconatu *interstitiis*, nempe in singulis unius anni: sed Episcopus permittitur ab eis dispensare (4), *dum ne* eidem, eodem die, duos ordines, alterum minorem alterum maiorem (5); vel duobus continuis, duos maiores conferat (6).

295. Ad haec, nemo permittitur ordinari in sacris (exceptis religiosis solemniter professis) absque titulo (v. Prol., § 412, n. 42); idest sine aliquo beneficio, vel capellania, vel patrimonio aut pensione, cuius reditibus (sufficientibus, certis et perpetuis) decenter vivere possit (7). Verum ex patrimonio nemo ordinandus est, nisi id Ecclesiae necessitas vel commoditas exigat (8). Hoc primum: deinde patrimonium ex iure constitutum esse oportet; atque ideo, I. In re immobili frugifera, vel ea quae instar immobilis ex iure est (9). II. Ea lege tacita vel expressa, ut ordinatus statim ab or-

(3) V. Ben. XIV, *De Synodo*, VIII, XI, 5.

(4) Trid., XXIII. *Ref.*, 11, 13, 14, 16. Non item Praelatus Regularis (Bened. XIV, *De Syn.*, IX, 16, 6). Nam eius est dispensare, cuius est ordinare (Reiff., 1, XI, 153).

(5) C. 2, *De eo qui furt. ordin.*

(6) C. 13, *De Temp. Ordin.* Et est grave.

Porro quae poenae hodie teneant male promotos, quae cessent, V. Proleg., § 394, VI, 397, II, 412.

(7) Ex Cap. 16, *De Praebend.*; Trid., XXI, *R.*, 2. - *Pensione*, nempe reali. SUFFICIENTIBUS, nempe iuxta taxam synodalem suae dioecesis, et non eius in qua bona sita sunt (S. C. C., 9 iulii 1701. *Acta*, XIII, 9); nisi agatur de beneficio, quod *residentiam continuam et praecisam* requirit (Innoc. XIII, Const. *Apostolici Ministerii*, § 5; Ben. XIII. C. *In Supremo*). Ceterum si beneficium, etc., insufficiens est, alterum suppleri potest ex altero (S. C. C., ap. Ben. XIV, Not. 26, 10). Et si desit minus quinta redituum parte, eam non supplere leve est (S. Alph., VI, 815, n. 2); ideoque ex iusta causa ne leve quidem. Quaesitum fuit: utrum ex reditibus deducenda essent onera personalia, ut ecce legata missarum; et, post multas varietates res permissa fuit conscientiae et arbitrio Ordinarii, tametsi deductis his oneribus nihil supersit (S. C. C., 17 iul. 1723; Bened. XIV, *De Syn.*, XII, 4, 6). CERTIS; ideoque non computatis *stolae incertis*, quae vocant: nihilominus ex *distributionibus quotidianis* titulum constitutum, canonicum esse Nostri non dubitant (S. Alph., *l. c.*, Not. 3). PERPETUIS; quamobrem si capellania *manualis* fuerit, constituenda est in patrimonio ea lege, ut auferri nequeat ordinato, *donec provideatur* (Ben. XIV. Not. 26, 11).

(8) Innoc. XI. Encycl. 13 maii 1679. Verum hoc in aestimatione Ordinarii positum est (Ex Trident., XXI, *R.*, 2).

(9) S. C. C., 29 nov. 1670; Engel. 1, 14, 21. - *Vel quae*, etc.; ut puta ex versuris publicis (Ex S. C. C., 29 iunii 1704): vel ex censibus, dummodo censuarius promittat, se, cum voluerit censum redimere, sortem depositurum penes virum probum, ut iterum collocari possit emptis novis

dinatione percipiat fructus, saltem donec alio titulo provideatur: quamobrem si constitutum fuerit sub ea conditione, ne fructus a constituente decedant, vel ut ad ipsum redeant vivo ordinato nec alias proviso, conditio, siquidem contrahentes dolo fecerint et Ordinantem deceperint, pro non scripta erit, quia fraus et dolus nemini patrocinari debent (10); sin minus, quasi turpis, immo et contra naturam actus, actum vitiat (Par. II., § 307, n. 2). III. Demum ut instrumentum, quo patrimonium constituitur, conditum sit in forma iuris valida (11).

296. Quae autem poenae teneant, nempe ipso iure, seu ordinantem, seu ordinatum, si ordinatio rite peracta non fuerit, V. Prol., §§ 394, 412. Nec aliae supersunt post C. *Ap. Sedis;* et quae in hac Constitutione continentur, ad tonsuram non pertinent, quia tonsura non est ordo (12).

censibus aut praediis (S. C. C., ap. Ben. XIV, not. 26, 12); et penes nos, hypotheca eorum *inscripta* (Par. II., § 511, n. 5). Sed constitui omnino non potest in re mobili (S. C. C., 29 nov. 1670; Bened. XIV, n. 8); vel ex his quae clericus lucratur officium aliquod exercendo, v. g., cantoris, ludimagistri (S. C. C., 23 maii 1609; Bened. XIV, n. 7); vel super obligatione personali alendi clericum donec provideatur, quamvis regia (S. C. C., 8 iulii 1704, ap. Riganti, *Ad Regul.* XXIV, § V, n. 122).

(10) Ben. XIV, Not. 26, 18.

(11) S. C. C., an. 1573, ap. Bened. XIV, *l. c.*, n. 13. Civilis quoque; alias in hoc foro pro infecto erit. Quamobrem si donatione, v. c., sit factum, donatarii acceptatione, publico instrumento (Par. II., § 517, n. 26), eiusque transcriptione (*Ib.*, § 415, n. 62) opus est. Quid si fieri velit a parentibus, qui alios filios habent? Nam ipsis mortuis corruet ex parte, si ceterorum filiorum forte *legitimam* minuit. Et in Regno utriusque Siciliae nihilominus constitui potest: alibi existimo rem permittendam esse arbitrio Ordinarii. Porro, clerico ad subdiaconatum promoto, nihil quoad patrimonium innovari potest iniussu Episcopi: ideoque nec renunciari (Trid., XXI, 2), quamvis (verius) ordinatus sibi alias comparaverit unde vivere possit (Ex cit. C. 2; S. Alph., VI, 824); ut ecce si beneficium ecclesiasticum sufficiens fuerit adeptus (S. C. C., 4 febr. 1652, ap. Ben. XIV, Not. 26, 29). Nec bona eius alienari possunt (S. C. C., 6 mart. 1638, ap. Bened. XIV, n. 28), nisi forte in tempus resoluti patrimonii; nec pignori obligari (S. C. C., 15 mart. 1642. Sed V. S. Alph., 824); vel permutari (S. C. C., 20 iul. 1629, ap. Ben. XIV, n. 30, etc.). Tantum si constitutus sit *donec* ordinatus alio titulo *provideatur*, eo proviso, sive in totum sive ex parte, necesse est ad constituentem sive totum sive ex parte reverti (S. C. Epp., 26 mart. 1868. *Acta,* III, 534); non tamen ipso facto, quamvis id convenerit, sed ex Decreto Ordinarii (S. C. C., 12 iul. 1687; 8 aug. 1602; 25 iunii 1705. V. *Acta, l. c.*, et X, 178).

(12) Prol., § 88. n. 6; Tolet., I, 44, 4.

TRACTATUS III.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE

TITULUS I.

Ex quibus poenitentia consistat.

PRAENOTANDA.

297. Poenitentia et virtus est, et sacramentum N. L. *Illa* nil aliud est, quam – *De peccato commisso animi dolor* –; *hoc* est – *Sacramentum quo, confessi et contriti, per sacerdotem absolvimur a peccatis post baptismum admissis* –. Institutum fuit ad instar iudicii (1), ideo et sacramenti et iudicii vim habet; sacramenti quoad *substantiam*, iudicii quoad *formam*. Poenitentiae obiectum materiale sunt peccata (materia *circa quam*): nempe quoad sacramentum sub una generica ratione peccati (2), quoad iudicium, uti singula sunt: partes autem essentiales, et velut quasi materia (*ex qua*) actus poenitentis, nempe contritio et confessio (3). Ex his peccata pertinent ad poenitentiam et qua sacramentum et qua iudicium, contritio qua cum primis sacramentum, confessio qua iudicium cum primis est (4). Verbis absolutionis continetur *forma* et sententia; qui absolvit ministri et iudicis, qui absolvitur subiecti et rei personam gerit. Satisfactionem *heic* praetermisi, quippe extrinsecus accedit, et ideo magis ad integritatem pertinet.

(1) Trid., XIV, *h. t.* (*De Poenitent.*), Cap. 2, 5, 7.

(2) S. Alph., VI, 480.

(3) Trid., *l. c.*, Cap. 3. - *Quasi;* non quia verae materiae rationem non habeant, sed quia eius generis materia non sunt, quae extrinsecus adhibetur; ut aqua in baptismo, chrisma in confirmatione (*Catech. Rom., h. t.*). Porro Scotus existimavit, totam substantiam huius sacramenti in sola absolutione consistere; contritionem vero, non *materiam ex qua,* sed *contritionem* esse; Durandus ex confessione et absolutione; Sotus (si vera refert Suarez) ex contritione, confessione et satisfactione (V. Lugo, *h. t.*, XII, Sect. 2).

(4) *Cum primis:* nam et confessio per consequens pertinet ad substantiam sacramenti, quippe quod sine iudicio constare non potest; et contritio est conditio, sine qua nemo in hoc iudicio potest absolvi.

298. Est autem in hoc seu sacramento, seu iudicio, aliquid singulare. In *sacramento*, quia cum cetera recipi queant valide, quamvis illicite, hoc solum, nisi licitum sit, nullum est; scilicet dispositiones poenitentis in contritionem, atque ideo in materiam, recidunt. In *iudicio,* quippe quod ad reum absolvendum cum primis spectat; et ideo exigitur ut is ipsemet sit accusator, et testis; cui proinde regulariter credendum est tum contra se, tum pro se (5). Hoc autem inter iudicium et sacramentum distat maxime, quod in his quae pertinent ad iudicium non est illicitum, quasi *in probabilitate iuris,* sequi opiniones probabiles, omissis tutioribus, salva forma iudicii (6): in his quae pertinent ad valorem sacramenti cum damno suscipientis, quasi *in probabilitate facti*, non licet. Ceterum, post susceptum sacramentum, *in dubio* (heic quoque) *standum est pro valore actus:* immo heic magis; nam si confessio irrita fuit, alio sacramento suscepto, aut certe alia confessione rite peracta, peccata delentur (7). Verum haec regula exsulat in articulo mortis, in quo tutiora tenenda sunt (8).

299. Et haec generatim; nunc singula ingrediamur: longa heic doctrina est, ambages longae, quas attingere oportet non obiter prorsus. Sed liceat ordinem rerum exponendarum nonnihil immutare: et (quia in hoc seu iudicio, seu sacramento, quaedam solius sive rei, sive subiecti sunt partes; quaedam solius sive iudicis, sive ministri; quaedam utriusque simul) liceat eas hoc eodem ordine seorsum prosequi, atque ideo liceat primum agere de confessione et contritione; tum de iurisdictione confessoris et absolutione; demum de satisfactione, et si quid sive a confessario, sive a poenitente erratum sit, de hoc emendando: post haec transgrediar ad ea quae Nostri vocant *adiuncta* poenitentiae; nempe sigillum sacramentale, et sollicitationem.

(5) D. Th., Quodl. I, Art. 12. *Omnes;* S. Alph., VI, 631.

(6) S. Alph., VI, 468 in fin., v. *Non obstat* 3°. Ut ecce in his quae pertinent ad integritatem confessionis, ad iurisdictionem confessoris, etc. *Salva,* etc., quia *forma* (heic iudicialis), quae *dat esse rei,* pertinet ad valorem iudicii, et ideo ad sacramenti valorem pertinet (Ex Innoc. XI, 1).

(7) S. Alph., VI, 450, 505. Seu dubium sit *iuris,* ut ecce si poenitens doluit ob metum poenarum temporalium, si accusatio non fuit dolorosa; seu *facti,* puta si dubitet, ne satis diligenter conscientiam excusserit, ne confessario defuerit iurisdictio.

(8) V. S. Alph., VI, 505; in eo enim rerum discrimine supremo, et irreparabili, lex naturalis tutiora exigit (V. Salm., 6, 7, 18); et ideo confessio obligat nedum ex necessitate praecepti, sed etiam ex necessitate medii.

SECTIO I.

De his quae pertinent ad poenitentem.

CAPUT I.

DE CONFESSIONE PERAGENDA.

300. Confessio sacramentalis est: – *Suorum accusatio peccatorum, facta proprio sacerdoti, ad absolutionem virtute clavium obtinendam* –. Duo heic tractanda sunt: 1° quaenam peccata sint obiectum materiale (seu materia circa quam) poenitentiae: 2° quemadmodum eorum confessio sit facienda.

301. Principio igitur obiectum materiale poenitentiae sunt peccata, quae quis admisit postquam Ecclesiae subditus, per baptismum, esse coepit (1). Atque ideo, non ea quae ante baptismum admisit, quae certa; nec ea quae admisit in ipsa susceptione baptismi, quae vera sententia est (2); sed ea solum, quae post illum susceptum (3) admisit. Ex *his* autem quaedam sunt materia necessaria, quaedam libera, quaedam insufficiens. *Necessaria* – letalia omnia nondum confessa rite ac recte (4); *libera* – omnia venialia (5) et letalia alias rite confessa; *insufficiens* – ea, super quibus ab-

(1) Ex Trid., XIV, *h. t.*, 2; D. Th., III, 84, 2; Prol., § 110, n. 8.

(2) S. Alph., VI, 427; e. g., si adultus sine fide, sine spe, baptismum susceperit; vel si, dum baptizaretur, turpe aliquid perpetrare constituit, vel concupivit.

(3) Trid., Sess. VI, Cap. 14, 1. An igitur haereticus, qui reversus ad fidem rebaptizatur, debeat confiteri quae admisit *ab ultima confessione* ante repetitum baptismum? Negarunt olim Nostri, quia S. U. I. olim id magis suadere, quam praecipere videbatur; verum die 17 decembris 1868, consulentibus Angliae Episcopis, censuit, confessionem a neoconversis *in Anglia*, eamque integram, exigendam esse. Nihilominus, quoad alias regiones, adhuc probabile puto quod antea Nostri docuerunt, 1° quia Angliae Episcopi inter alia renunciaverant - *Iuniores de Clero Anglicano fideliter servare ritum baptizandi... plerosque eos esse, de quorum baptismatis infantilis valore non licet dubitare*, etc., - 2° quia S. U. I. cautissime respondit - *a neoconversis* IN ANGLIA, etc. - Dixi *quae ab ultima*, etc., nam ante illam admissa, si valuit baptisma in haeresi susceptum, remissa sunt; si non valuit, non sunt materia sacramenti (Gury, II, 419).

(4) Ex C. 12, *De Poenit.* Licet contritione perfecta iam deleta, vel in confessione omissa inculpabiliter (Alex. VII, 11).

(5) Trident., XIV, *h. t.*, C. 5, et Can. 7. At vero quae sint letalia, quae venialia, aestimari debet, ex conscientia poenitentis, tunc cum ea admisit (Prol., § 254); et ideo quae falso levia esse putavit (etsi letalia) *libera;* contra quae gravia (etsi levia) *necessaria* materia sunt.

solutio dari non potest, quin sacramentum periculo nullitatis obnoxium fiat; idest omnia peccata incerta, seu dubia (6).

302. Confessio autem, seu accusatio, et integra et sacramentalis esse debet. *Integra.* Porro, qua poenitentia est sacramentum, satis esset confiteri vel unum, et leve; immo et *in genere*, nempe dicendo *peccavi* (7); etenim si haec est vera accusatio (et quis neget?), salva est forma iudicii (8). Quamobrem, si nec dolor (materia), nec absolutio (forma) desit, ceteris paribus, necesse est sacramentum fieri, eoque facto omnia remitti (9); nempe ea quae poenitens confitetur singillatim *directe* et per se, cetera omnia *indirecte* et per consequens (10). At qua iudicium est, oportet confessionem integram esse; quia nullum iudicium exerceri potest incognita causa; et ut confessarius de statu poenitentis recte iudicare, et aequas satisfactiones decernere possit (11). Verum lex (divina) quae confessionem et confessionis integritatem praecepit, 1° *positiva* est, et adeo gravis est, ut, si Christus illam reliquisset arbitrio nostro, Ecclesia non posset eam praeceptis suis comprehendere (12); et, 2° ad poenitentiam qua est *iudicium* pertinet: ideo *illinc* humaniter, prout ceterae positivae leges, et pro fragilitate hominum accipienda est (13), *hinc* fas est heic sequi ut alias opiniones vel tantum probabiles (14).

303. Uti autem confessio integra fieri queat, poenitens necesse habet conscientiae suae latebras prius explorare diligenter, et eorum, quorum post diligentem sui discussionem meminit (15), I. unum

(6) Trid., *ll. cc.;* Croix, VI, II, 599. At materia prorsus inepta, cum non sint peccata, sunt imperfectiones, pravique habitus, v. c., iracundia, avaritia, etc. (Bona, *De Miss.*, Cap. IV, § 2); nec quod quis obsequutus non fuerit divinis inspirationibus, quoad ea quae meri consilii sunt (Croix, V, 211).

(7) Suar., 23, 1, 18; Vasquez; Lugo, 17, etc.; S. Alph., VI, 480, 482, 8; *H. A.*, XVI, 39, 6. – *Communissima* (Croix, VI, II, 620).

(8) Ex S. Alph., VI, 504. – Ibi: *Formalis* CONFESSIO *est de essentia, non materialis.*

(9) Lugo, XVII, 9.

(10) Ex Trid., XIV, *h. t.*, 5. Uti igitur peccatum *directe* absolutum, ceteris paribus, dici possit, duo sunt necessaria; ut te confessum fuerit, licet quasi dubium vel in confuso (S. Alph., VI, 478, 504); et confessario *super eo iurisdictionem* habenti. *Indirecte* absolutum dicitur. quod vel inculpabiliter omissum fuit, vel reservatum erat (V. Croix, VI, I, 597).

(11) Trid., XIV, *h. t.*, 5.

(12) Lugo, XV, 91; Croix, VI, II, 2017.

(13) Suar., 34, 21; Lugo, XVI, 535. Verum hoc accipiendum est cum grano salis (V. Prol., § 178, n. 7).

(14) V. S. Alph., *H. A.*, XVI, 29; V. § 161, n. 5.

(15) C. 12, *De Poenit.;* Trid., XIV, *h. t.*, Cap. 5. – *Diligenter* et non diligentissime (Lugo, XVI, 591; Prol., § 133, n. 42). Ea vero, quae memoriae non occurrunt, impune reticentur.

quodque prodere prout illud admissum fuit coram Deo; II. si illud iteravit, quoties admisit; III. si plura peccavit, omnia simul. Et, I. *prout admissum fuit coram Deo;* atque ideo prout est, seu potius fuit in conscientia (16); cavens ne confessarium decipiat neque pro se, neque contra se (17). Ex hoc capite explicanda erunt, 1° uniuscuiusque peccati *species infima;* et, si infima desit (Prol., §§ 278, 279), vel excidit, *suprema*; et si haec quoque excidit peccatum in genere (18). 2° *Actus* (si non defuerit) *externus*, quippe internum integrat, et ab eo differt moraliter (19). 3° *Circumstantiae*, ex quibus novum exsurgit peccatum letale; idest quae speciem mutant (20), vel aggravant in infinitum (Prol., § 294). An et *effectus*, nempe voluntarii in causa, ante confessionem iam sequuti?

(16) § 302, n. 5. Itaque si inculpabiliter putavit peccatum non esse, confitendum non est: contra confitendum est, quod falso putavit peccatum esse.

(17) S. Alph., VI, 497. Et utrumque est grave in re gravi. *Contra se;* ut ecce si dicas te blasphemasse decies, cum blasphemaveris novies (V. Lugo, XIV, 125); vel percussisse Seium clericum, laicum putans (Suarez, 23, 3, 15); vel Caium ut tuereris, vel in motibus primo primis, et haec reticeas (Croix, VI, II, 958); vel dubium quasi certum (Dicast.; Spor., 441). Sed in his facile excusat bona fides: quod cum fit non oportet haec postea confiteri, nam quid accusabis? (Lugo).

(18) Laym., VIII, 7; Lugo, XVII, 10. *Communissima* (Spor., 378, 470). V. c., *detraxi - peccavi contra iustitiam – peccavi letaliter.* - Quamobrem ei, qui materiam necessariam non habet, satis est dicere: *peccavi* (Cf. cl. Apicella, Scafati 1877).

(19) Suar., 23, 3, 1; Lugo, XVI, 437. Hinc ei qui fornicatus est, non sufficit dicere: *peccavi graviter contra castitatem* (Alex. VII, 25); ei qui telo hominem occidit dicere: *proieci in hominem sagittam, ut eum occiderem* (Lugo, cit. n. 437). Et hunc quoque in specie sua *infima.* Ex cit. Alex. VII, 25. Ibi: *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit dicens, commisi cum soluta grave peccatum, non explicando copulam.* At ei qui, v. c., ter fornicatus fuerit, sive cum una sive cum tribus, sat erit dicere, se ter fornicatum fuisse (Bonac.; Lugo, XVI, 508); dummodo sola et simplex fornicatio versetur.

(20) Trid., XIV, *h. t.*, 5 – V. c., si sororem cognovit (Par. II., § 69, n. 58). Nisi per se appareant; ut ecce si is, quem confessarius novit esse coniugatum aut sacerdotem, dicat se alienae commiscuisse. Multorum sententia fuit confitendas esse etiam circumstantias, simpliciter quidem, sed multum aggravantes. Quod negarunt D. Th. (Opusc. VIII, Q. 6), Lugo (Disp. XVI, Sect. III), S. Alphons. (VI, 468). Et post *Inst. pro parvul.*, etc., Par. IV, ad calcem Conc. Romani editi iussu Ben. XIII, de hac re nec disputandum puto. Difficilior quaestio est: utrum confitendae sint illae de quibus non satis convenit, utrum multiplicent peccata ex obiectis externis? (Prol., § 286). Affirmat vel ipse Suaresius, negant alii (Vasq.; Lugo, XVI, 135; Spor., 409): reor confitendas esse quoties poenitens eas reticendo vix non mentiri *videretur.* Puta; si is qui uno ictu tres occidit, vel rem pluribus communem surripuit, diceret: *commisi homicidium, furtum.*

Plures tenent confitendos esse prout actiones externae, quia sunt mali saltem in causa, et peccatum complent (21); plures negant, quia sunt mali tantum denominative (22). Mihi, si effectus huiusmodi novum peccatum faciant, et ex his sint qui ex causa posita sequi possunt, et non possunt, illorum sententia verissima est; secus, horum probabilis (23). Illud non ambigitur et hos, et circumstantias simpliciter aggravantes, confitendas esse, si, 1° vel *censura* eis cohaereat, quia et poenitens absolutionem petere debet, et confessor scire quid absolvat; vel, 2° *reservatio*, ne forte confessarius non possit eum absolvere (24); vel, 3° is (qui nedum iudicis, sed et medici officio defungitur) de illis interroget poenitentem (25).

304. Tum, II. *quoties admisit*: ex hoc capite, numerum eorum quae iteravit explicare debet. Si id non possit, dicat quoties *circiter*, vel *plus minus* (26): verum adiectiones huiusmodi modicum aliquid continent (27); Nostri docent sic accipi - *ter circiter* intelligi 2, vel 4; *decies* 8, vel 12; *tricesies* 27, vel 33; *centies* 95, vel 105 - (28). Et si neque hoc definire possit, dicat quoties *circiter per diem*, vel per *hebdomadam*, vel per *mensem* iteravit: et si neque hoc possit, dicat quamdiu his haesit; v. c., quanto tempore odium fovit (29).

305. Demum, III. regulariter, *omnia simul. Regulariter* - scilicet heic quoque excusant, ut alias, 1° impossibilitas, 2° gravior causa (30), et, 3° quidquid divinam confessionis legem faceret graviorem. Quocirca (ex 1°) ei qui non potest omnia confiteri, ceu muto, sat erit ea omnia confiteri quae potest, et si vix unum confiteri possit (ut ecce si animam agat, si immineat praelium, naufra-

(21) Sanch., *M.*, IX, 45, 29; Laym., *De Act. Hum.*, III, 5; Sot.; Salm., 20, 10, 28.

(22) Vasq; Suar.; Azor.; Lugo, XVI, 440; Sporer, 383.

(23) V. Prol., § 156. Proinde ei qui domum - e. g., alterius - incendit, veneno hominem sustulit, abortivum sumpsit et eiecit, sat erit dicere: *domui alienae ignem admovi, Titio venenum dedi, abortivum sumpsi.* At - si propter ebrietatem omisit sacrum die festo, vel blasphemat, vel occidit - debet significare se, vino indulgendo, haec pericula subiisse; et revera ebrium omisisse sacrum, blasphemasse, occidisse.

(24) Lugo, XVI, 256, 453; Croix., VI, II, 944.

(25) Ben. XIII, *l. c.*; Lugo, XVI, 50, 123; S. Alph., VI, 585, 3.

(26) V. Lugo, XVI, 78. Dixi si non possit; nam qui certo meminit se, v. c., ter blasphemasse, si dicat, *ter circiter*, gravi non vacat (Croix, VI, II, 922; Spor., 442).

(27) L. 192, *De V. S.*

(28) Lugo, XVI, 97.

(29) S. Alph., VI, 466; Spor., 446.

(30) Lugo, *De Euchar.*, XIV, 87, 89. Heic Nostri integritatem in materialem et formalem dispescunt; *materialem* vocant, cum quis omnia

gium, etc.), sufficit unum confiteri, nempe grave; sed quodcumque, etsi non gravius (31). Tum (ex 2°) si alicuius peccati reticendi iustissimam causam habeat, hoc citra culpam omittitur (32): ideo excusat poenitentem damnum, seu temporale seu spirituale, grave et vere probabile, sui (33) vel ipsius confessoris (34), vel alterius (35): nempe si nequeat alium confessarium adire, vel differre confessionem absque incommodo gravi (36). Demum (ex 3°) quia D. N. I. C. peccata *semel* tantum et *uni* et *clam* confiteri iussit, si confiteri necesse habeat (de quo serius) aut velit is qui *habet reservata* et non reservata, si confiteatur inferiori, illa omittit impune (37); ei

confitetur quae sibi post diligentem excussionem occurrunt, licet aliqua ipsum praetereant; *formalem,* cum omnia quae in praesens potest, cetera opportuno tempore confessurus.

(31) Lugo, *De Poenit.*, XVII, I. *Grave,* quia cum gravia sint in praecepto, si potest, debet (Sporer, 462, etc.). *Quodcumque;* nam quoad legem confessionis omnia letalia sunt paria (Croix, VI, II, 1146).

(32) Vasq.; Suar., 33, 1, 18; Lugo, *l. c.*

(33) Laym., XII, a n. 3; Croix, VI, II, 1143; V. S. Alph., VI, 487, 448. Seu corporis, ut puta si confessio poenitentem (aegrotum) nimium fatiget (Henriq.; Bonac.; Lugo, XVII, 1); seu existimationis, ut ecce si infirmi (ad quem SS. Eucharistiam detulisti) volentis reconciliari (S. Alphons., VI, 260), vel sani qui *absque nota* a communicando vel celebrando abstinere non potest, prolixior confessio non levem adstantibus suspicionem ingereret (S. Alph., VI, 485). *Damnum,* extrinsecum dico (Prol., § 178, n. 7); ideo non potest atrocissimum aut foedissimum aliquid reticere, ne existimationem apud confessarium amittat (Croix, VI, II, 1142).

(34) Suar., 23, 1; Lugo, XVII, 1. Ut puta si proseda graviter metuat, ne confessario scandalo sit, si is animi sui lubricum animadverterit (Busemb., ap. S. Alph., 487); vel ne odium concipiat adversus aliquem (Ronc., Cap. III, Quae. I, r. 2).

(35) Suar., 22, 2; Lugo, XVI, 526. Ut ecce, si metuat, ne confessarius, suspicatus famulam suam peccati complicem, eam domo eiiciat. At ex hoc capite, verius, non excusat regulariter *alterius,* puta comphcis, infamia penes confessarium. quia detrimentum modicum est (Par, II., 260, n. 19); ut puta, si quis commiscuerit filiae, vel matri (S. Alph., VI, 489).

(36) S. Alph., VI, 490, 585. Puta si confessarius longe distet; quod varie ex personis, tempore, locis, aestimari convenit (S. Alph., 264); vel nequeat eum convenire sine scandalo, vel infamiae nota (S. Alph., 585). Item si velit communicare *urgente necessitate* (S. Alph., *H. A.*, XV, 27), vel in Paschate (Ballerini, ad Gury, II, 497). Immo quidam putant grave incommodum esse carere indulgentiis, quae confessus, eo die lucrari posset (Suar., 23, 2, 7; Gury, II, 500). Grave quoque incommodum est adire confessarium indoctum (Suar., *l. c.*); aut existentem in letali confessionem differre vel in crastinum (S. Alph., 490).

(37) S. Antonin.; Navarr.; Diana; Lugo, *De Euchar.*, XIV, 86. Nihilominus S. Alph. (VI, 265) putat confitenda esse *per accidens,* si vel poenitens ipse sit in ea recidivus, vel haec ei relabendi proximam occasionem praebeant; nempe *ut confessarius de sua dispositione recte possit iudicare.* Hoc satius utique; sed heic quaerimus, an sit necessa-

vero qui *per interpretem* confitetur sufficit vel unum prodere et leve; eoque magis sufficit ei qui palam confiteri necesse habet (38). Sed et confessario licet, ad grave sui damnum vitandum, non integram confessionem audire (39).

306. Hactenus de peccatis certis, nunc de dubiis; dubiis peccatis, inquam, et non de his quae quis admisit dubitans, utrum gravia essent an levia (Prol., § 290, n. 14). Et videamus quid poenitens dubitet; nempe, 1° an peccatum admiserit; 2° an illud confessus fuerit; an, 3° veniale sit per se aut mortale. Si primum, confessio cessat, quia libertas possidet (40); secus sin alterum, quia possidet lex (41); sin tertium, non poenitentis, *sed confessoris* erit discernere inter lepram et lepram (42). Ceterum haec varie ex personis

rium (Cf. Ballerini, ad Gury, II, 578): itaque sententia nostra tuta est (Sporer, 757).

(38) S. Alph., VI, 479, II. – Quin TT. communissime putant, *huic* satis esse (S. Alph., *H. A.*, XVI, 39, 6), ideoque reor et *illi*, dicere generatim *peccavi*. Amplius; si, progressa iam confessione, sacerdos animadvertat poenitentem, aut poenitens confessarium obtusum auribus esse, et prope sit aliquis, potest – reliquis praetermissis - *ille* dare absolutionem (S. Alph., VI, 644, v. *Petes*), *hic* eam petere.

(39) Lugo, XVII, 1. Puta si poenitens morbo contagioso laboret (S. Alphons., VI, 485). Sed non item *ratione magni concursus poenitentium, vel die magnae alicuius festivitatis, vel indulgentiae* (Innoc. XI, 59): quamvis instent alii poenitentes qui, si non confessi discedent, non erunt rediturі (Card., Croix). Et licet Superiori fas sit, auditis extra confessionem reservatis, reservationem tollere; nefas tamen est, auditis in confessione reservatis, absolvere poenitentem, et pro non reservatis ad inferiorem remittere (Salmant., 6, 8, 132) – nisi *ob iustum impedimentum integram eius confessionem audire non possit* – nempe nisi poenitens graviter ferat haec ei extra confessionem prodere, vel (si confiteri coepit) bis confiteri (Laym., XII, 8; ibiq. Sylv., Caiet., Navarr., Suar., etc.). Et quia *contrariorum eadem est ratio*, quando non licet confessario minus integram confessionem audire, nec poenitenti licet eam non integram facere. Nihilominus si is bona fide aliqua praetermiserit, vel confessarius, abrupta confessione, eum absolvat, ratam esse absolutionem palam est (Busemb., ap. S. Alph., VI, 488; Bonac.; Gob.; Spor., 465); nam et salva est *forma iudicii*, et sacramento deest nihil.

(40) Ex Trid., XIV, *h. t.*, 5. Qua cavetur peccata confitenda esse quorum quis *conscientiam*, idest *certam scientiam* (S. Alph., VI, 464), habet. Ideoque nedum si, 1° quod illa admiserit, et quod non admiserit, aliqua, vel 2° nulla utrinque (Croix, VI, II, 598, etc.; S. Alph., VI, 473, 474); sed etsi, 3° aliqua inde, nulla hinc probabilis ratio subsit. Nihilominus V. Lugo, XXI, 61, etc.

(41) Salm., 1, 8, 34, ibique Navarr., Suar., Sanch.; S. Alph., VI, 477. Sed et hunc, si probabile sit confessum fuisse, excusant alii, in his Dicast., Lugo (XVI, 95), Croix (VI, II, 603); ut ecce si coeperit dubitare diu post (Holzm., 614).

(42) D. Th., in 4, D. 21, q. 1, Art. 3. Alias idem esset reus et iudex. Per se; nam si dubitet num illud admiserit plena advertentia, res aliunde aestimabitur (Prol., § 150).

aestimari convenit; et his qui Deum timent et mandata Eius observant, non facile persuasum esse debet, se vel in letale aliquid incidisse, vel illud confessos non fuisse. Itaque horum confessione abstinere, homines *pios* expedit, *scrupulosos* oportet; nisi *hi* iurati asserere possint, se aut fecisse revera peccatum huiusmodi, aut omisisse eius confessionem; scilicet ne scrupuli foveantur (43).

307. Deinde confessionem *sacramentalem* esse oportet (§ 161); alias deerit forma iudicii, atque ideo sacramentum deerit. Ex hoc capite necesse est: 1° ut fiat quasi in iure, idest coram iudice (44): facta absenti per internuncium, vel per epistolam, pro infecta est (45). 2° Ut fiat ad absolutionem obtinendam (sive modo, sive postea) virtute clavium (46). Quaestionis est an 3° dolorosa quoque esse debeat: multi affirmant, eo quod alias non accusatio sed narratio rei gestae videretur; alii negant, quia et haec narratio cadit sub sigillo (47). Prior sententia omnino tenenda est ante confessionem, ne sacramentum periclitetur. Ceterum pene omnes docent, his verbis « *Me accuso de his quae tibi alias dixi*, vel *quae tu alias nosti* » quamdam quasi compendiosam confessionem contineri (48): quamobrem si Caius peccata enarraverit confessario nihil dolens, vel Seius ea illi, quasi amico, prodiderit, et serius coram eo quasi confessario steterit, probabilior sententia est utrumque absolvi posse: Caium si *dolens* dicat « *de his me accuso* » (49),

(43) Croix, VI, II, 612. Hinc, v. c., si homo pius est, et dubitet an fecerit plena advertentia; si in suis recensendis peccatis diligens est, et post aliquot confessiones dubitet, an hoc vel illud peccatum confessus fuerit, inquietari non debet (V. S. Alphons., VI, 477; *H. A.*, XVI, 33).

(44) Lugo, XVI, 635; XVII, 72.

(45) Ex Decr. Clem. VIII, 20 ian. 1602. Quo vetitum fuit vel docere: *licere absenti sacerdoti per literas, vel nuncium sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem accipere.* Haec propositio condemnata fuit *in sensu diviso* (Paul. V, 14 ian. 1605); et in primis propter eos (Palud., Medin., Petr., Sot., etc.), qui docebant confessiones absentibus fieri posse (Laym.; Spor., 659).

(46) Lugo, XXIII, 45; Salm., 6, 14, 11, etc.; S. Alph., VI, 502, 649; v. *Sic.* – *Proinde* si qua alia causa sit facta, puta consilii petendi aut veniae ab eo quem laeseras impetrandae gratia, ad absolutionem obtinendam nihil valet. Sed non desinit esse sacramentalis, si poenitens inabsolutus recesserit (Suar., 33, 28); v. c., quia noluit odium deponere, ablata restituere; *vel* si facta sit sacerdoti iurisdictione carenti (S. Alphons., 502).

(47) V. Suar., 20, 4, 31; S. Alphon., VI, 445, 502, v. *Secundo.* Ideo *hi* sufficere putant si dolor eliciatur post accusationem peccatorum, nec opus esse aiunt, ut poenitens dolorem eliciat interea dum confitetur (Lugo, XIV, 13; Spor., 283).

(48) Vasq., Qu. 91, Art. 4, d. 4, n. 6; Suar., 22, 6, 5; Lugo, XVI, 638.

(49) Croix, VI, II, 1217; S. Alphons., VI, 445, in fi.

Seium si dicat dolens: « *me accuso de his quae iam tibi alias prodidi* » (50).

308. At vero confessio non fit nisi audienti; quamobrem pro non dictis erunt quae confessarius non percepit aure (51). Sed postquam poenitens confessus est peccatum prout ipse illud admisit, et sacerdos illud percepit uti poenitens confessus est, *confessioni* deest nihil. Quae autem ad *existimationem* ipsorum pertinent, ad *confessionem* non pertinent, sed omnino extra eam sunt, veluti si poenitens, vel confessarius, vel uterque ducat levia esse quae gravia sunt (52); aut confessarius stipes adeo sit, ut nesciat discernere inter veniale et mortale ne in casibus quidem obviis, aut species et numerum peccatorum non calleat. Scilicet iudici non est scientia necessaria, sed iurisdictio, ut sententiae vis constet sua; maxime in hoc iudicio, quod alias prope infinitis anxietatibus obnoxium foret, et molestissimum (53). At enim qui talem eligit ne gravitas peccatorum suorum animadvertatur, quia hoc letali non caret, irritam confessionem facit (54).

309. Hactenus de his quae ad confessionis substantiam pertinent. Quoad modum, confessio *per se* fieri potest voce, nutibus, scripto; veruntamen consuetudine est introductum ut fiat voce, et est grave, nisi excuset causa gravis (55). Ideo nutibus nemini licet confiteri, nisi ei qui alias confiteri nequiret (56); neque de scripto, nisi ex *gravi causa* (57): et ea lege ut poenitens, postquam ipse vel con-

(50) Konin.: Lugo, 638, 640; V. Ballerini, ad Gury, II, 515, 6.

(51) Lugo, XVI, 605. Et qui confitetur sacerdoti obtusae auris, vel dormitanti, vel ebrio, sacrilegam confessionem facit; nisi bona fides ipsum excuset (V. Suar., 28, 2, 18; Lugo, 606; S. Alph., VI, 499), aut necessitas gravis, velut in periculo mortis; aut si alias diu sibi confessione carendum foret.

(52) S. Alph., VI, 478 in fi., 500.

(53) S. Alph., VI, 500.

(54) Suar.; Salm., 6, 9, 27, 28; 12, 11; S. Alph., *l. c.*

(55) D. Th., Quodl., 1, 10; Suar., 21, 3; Salm., 6, 7, 11; S. Alph., V, 429, in fi.

(56) S. Alph., *l. c.* Ut muto, vel ignaro idiomatis.

(57) S. Alph., VI, 493. Ut ecce, si poenitens linguae impedimento, aut respirandi difficultate laboret; si puella, prae maxima verecundia peccata sua verbis proferre non valeat; si scrupulosus putet se melius sic peccata sua explicaturum, etc. (S. Alph., 429, 479, 493). Sed an mutus, qui literas scit, scripto confiteri debeat, remoto quovis evulgationis periculo? Affirmant Vasq., Lugo, Salm., S. Alph. (VI, 479), etc., quia obligatus ad finem tenetur ad media. Negant Tolet. (Lib. III, 65), Sot., Navarr., Victoria, Palaus, etc. (apud S. Alph., *l. c.*), quippe hoc extraordinarium aliquid est; alias quidni et is qui memoria labitur teneatur? Ergo lex dubia est.

fessarius omnia perlegerit, confessario dicat: *de his me accuso* (58). Ad haec Nostri exigunt, ut confessio sit *simplex, humilis, discreta, fidelis,* etc.; haec omitto, expedita enim sunt. Unum adverto: si poenitens dum confitetur admittat aliquod veniale (e. g., si alicui detrahat in re levi, si confessario tantisper succenseat), hoc sacrilegium esse prout cetera omnia, idest leve in re levi (59). Idem prorsus dicendum erit, si forte in confessione mentiatur; dum ne mentiatur aut in his quae necesse est confiteri, si confessarius interroget; aut in his quae sunt necessaria absolutionis (§ 164, n. 6), etsi non confessionis, materia (60).

CAPUT II.

DE CONTRITIONE.

310. Poenitentia, seu qua iudicium est seu qua sacramentum, sine contritione penitus consistere nequit; in *illo* enim est conditio prorsus necessaria, ad absolutionem obtinendam; *huius* quasi materia est. Definitur: *animi dolor, et detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero* (1). Inest non animali natura (Prol., § 123), sed rationali (2); et *est voluntatis actio* (3), ac proinde in detestatione essentialiter posita est (4): dolor autem ma-

(58) Salm., 6, 7, 11, ibique Vasq., Pal., etc. – *Postquam;* nam antea satis non esse retur Lugo (XV, 82).

(59) V. Lugo, XVI, 98; S. Alphon., VI, 496.

(60) Cf. Lugo, *l. c.* Utputa, si unum tantum peccatum confiteatur, quod non admisit (Laym, VIII, 15). Secus si neget ea quae non sunt necessaria confessionis materia, utputa letalia alias rite confessa (S. Alph., VI, 496); vel quae in praesens reticere permittitur (Lugo, XVI, 100). Quid si mentitur quoad tempus admissi peccati? ut ecce si fornicatus, vel furatus Apicio libellam ab ultima confessione, dicas *antea* haec fecisse; vel occidisse Seium, cum occideris Caium? Quidam putant te et graviter, et bis mentiri; quia et quod fecisti negas, et affirmas quod non fecisti. Sed, si probe animadvertamus, non peccatum, quod semper idem est, sive ante sive post confessionem fuerit admissum (Lugo, XVI, 47), sed magis peccati circumstantiam negas; cumque haec neque speciem mutet, neque aggravet in infinitum, undenam peccas graviter? (V. Ballerini, ad Gury, II, 488). Secus vero si ab ultima confessione tu maritus, aut Apicius mendicus evaserit; vel clericus sit Caius, Seius laicus. Exinde patet eo minus ex hoc capite graviter peccare eum, qui confessionem generalem faciens, ita peccata sua confitetur, ut confessarius animadvertere nequeat, utrum ab ultima confessione, an antea, fuerint admissa (Bonac.; Sanch., *D.*, I, 10, 71; Suar., D. 22, 9); quamvis ea data opera confessionem generalem faciat, ne confessarius tempus admissi criminis animadvertat (Gary, II, 488).

(1) Trid., XIV, *h. t.*, Cap. IV.

(2) D. Th., 2, 2, 84, 1; *Suppl.*, 1, 3.

(3) *Catech. Rom., h. t.* n. 24, v. *Quod autem.*

(4) D. Th., *Suppl.*, 3, 1; *Catech. Rom., l. c.* Quae proinde ab eodem

gis ad naturam animalem seu sensitivam pertinet, et magis contritionis comes, seu effectus est, quam contritio (5). Ceterum, uti vulgo, ita heic, et nos contritionem et dolorem promiscue accipimus. Obiectum materiale contritionis est *peccatum*, idest actio mala, *qua est offensa Dei* (6); quamobrem si quis qua alia causa motus doleat, contritio ne intelligi quidem poterit. Cumque peccatum sit aversio a Deo et conversio ad creaturas, dolor seu contritio debet esse aversio a creatura et ad Deum conversio: atque ideo inde, vitae anteactae dolorem parere debet; hinc, propositum novae vitae ineundae: de contritione primum.

311. Ante omnia contritio varie distinguitur: 1° ex motivo; 2° ex cognitione huius motivi; 3° ex obiecto. I. Ex MOTIVO dolet quis cum primis vel propter Deum, vel propter seipsum. Propter Deum, si ideo displicet ei peccatum quia Dei amicitiam amisit: haec contritio perfecta est, et *contritio* simpliciter appellatur (7). Propter seipsum, si dolet mala quae sibi ex peccato ascivit: nempe vel ob peccati turpitudinem, vel ob metum gehennae et poenarum (8): haec est imperfecta, et *attritio*, proprio nomine, dici solet.

Angelico definitur: *displicentia seu reprobatio facti* (peccati) *praeteriti, cum intentione removendi offensam Dei* (D. Th., III, 85, 1 ad 3).

(5) *Comes* (S. August., ap. *Catech. Rom., l. c.*); *effectus* (D. Th., *l. c.*) *Et non est virtus, sed passio.* Et separari possunt. Sane beati solius detestationis capaces sunt, bruta animantia solius doloris, homo utriusque. Et quando nos ita natura comparati sumus, ut comes, seu effectus huiusmodi vix unquam desit, et cum non deest, regulariter, exterius proditur, saltem tristitia, aut demissione vultus: si haec indicia desint, verendum est, ne decipiat confessarium.

(6) D. Th., III, 85, 2; Lugo, V, 141. Sane poenitentia est sacramentum reconciliationis cum Deo; quae autem duorum reconciliatio, nisi unius voluntas ad voluntatem alterius iterum accedat? (Lugo, XIV, 7).

(7) Cf. Lugo, V, nn. 2-129, ubi latissime. Perfecta, nempe ex parte tum *obiecti,* qui Deus est; tum *sui,* quippe ratio nil amplius praestare potest, licet sensus ulterius progredi possit (V. D. Th., *Suppl.*, 3, 2). Sane, prout *voluntas* nunquam offendendi Deum graviter, est caritas perfecta (Par. II, § 13, n. 12) ita et *displicentia* (detestatio) quod eum graviter offenderis *contritio* PERFECTA est: scilicet contrariorum eadem est ratio.

(8) Trident., XIV, *h. t.*, Cap. 4; Croix, IV, II, 718. *Turpitudinem:* non eam, inquam, quae parit infamiam; nec, verius, eam quae vitio naturaliter inest (V. Prol., § 140); sed eam quae Dei oculos offendit, vel quae animam foedat ad eius imaginem, et similitudinem conditam (Suar., 20, 2, 8; Lugo, V, 141). *Gehennae,* idest inferni (*Matth.*, X, 28); *poenarum,* nempe temporalium, sive Purgatorii, sive huius vitae (Croix, 786). Si quae autem sunt alia attritionis motiva, ad haec reducuntur (Lugo, 132): ut ecce cum quis peccatum devovet propter motivum vel alicuius virtutis, v. c., iustitiae (Cf. Suar., Disp. IV, Sect. 2); vel alicuius divini attributi, velut misericordiae (V. S. Alph., VI, 436); vel ob iacturam aeternae beatitudinis (Lugo, III, Disp. V, 132).

II. Ex COGNITIONE huius motivi: si haec quae te ad dolendum movente ex FIDE nosti, aestimas, pendis, *supernaturalis;* sin ex RATIONE, *naturalis* dolor est (9). III. Ex OBIECTO, si quae peccasti vel omnia doles, vel ex motivo qui omnibus convenit, dolor *universalis* (illinc *formaliter,* hinc *materialiter);* sin aliqua tantum, vel ex motivo qui eis solis convenit, *specialis*, seu *particularis* dici solet (10).

312. Principio igitur poenitentia, et qua sacramentum et qua iudicium est, sine dolore ne intelligi quidem potest. *Vero* inquam, ideoque non existimato (11), nec virtuali (12); non quidem perfecto, quippe is cum voto sacramenti remittit peccata vi sua (13), sed imperfecto. Et qua poenitentia est sacramentum, opus est dolore *supernaturali,* qua iudicium est, *summo,* ac demum ex utroque capite *universali.* Et primum *supernaturali*, quia iustificatio ad ordinem supernaturalem pertinet (14). Quaestionis fuit, utrum sufficeret dolor conceptus ex metu gehennae, et poenarum; non quidem filiali, nec serviliter servili (Par. II, § 14), verum servili: Contritionistae negabant, Attritionistae affirmabant (15); horum

(9) Cf. Viva, in Inn. XI, 57; Croix, 667, etc.

(10) Lugo, V, 72. - *Universalis;* v. c., qui ex metu gehennae; *specialis,* qui ex turpitudine peccati concipitur. Nostri addunt dolorem *formalem* sive explicitum, et *virtualem* sive implicitum; formalem dicunt qui revera concipitur, virtualem qui caritate sive perfecta sive imperfecta naturaliter continetur; sed hunc verius interpretativum dixeris, ideoque nullum.

(11) Croix, VI, II, 664; Lugo XIV, 70. Contra Caiet., Tolet., etc. (V. § 101).

(12) Croix, n. 666. Nam revera dolor non est: et contrariam Sylvii opinionem, Suarez erroneam, Vasquez temerariam vocant. Nihilominus quia difficile est, ut quis, peccata sua prae oculis habens, eliciat actum caritatis et illa non doleat (Sporer, a n. 77), post confessionem peractam inquietari non debet (Excobar., Quaest. 88, Art. 5). Quid si doleat, quod non satis dolet, vel quod non dolet? Hoc sane est dolorem quaerere in natura sensitiva, atque ideo de *illo* dolore dubitandum non est (V. Laym., IV, 5); sed, verius, neque de *hoc*, quia vix fieri potest, ut quis carentiam doloris doleat, et peccatum ei non displiceat (Arria., n. 22; Dicastil., n. 127).

(13) Trid., XIV, *h. t.,* C. 4.

(14) Innoc. XI, 57; Croix, VI, II, 667.

(15) Cf. Morin., Lib. VIII, Cap. 18, 2; Ben. XIV, *De Syn.,* VII, 13, 6; Croix, VI, II 855. Primo initio quaestio ea fuit, utrum dolori inesse deberet aliquis saltem initialis amor Dei: serius, quum omnes tandem in hanc sententiam concederent, disputari coepit, num revera inesset: demum, cum et in hoc quoque convenissent, iterum disputari, an sufficeret. Negabant Contritionistae, rati eo amore opus esse, quem dicimus *benevolentiae;* Attritionistae affirmabant, nec amorem benevolentiae requiri, quippe, aiebant, caritas perfecta est. Quod illi rursus impugnabant, docentes caritatem perfectam, vel imperfectam, non ex obiecto, sed ex gradibus aestimari (V. S. Alph., VI, 440, etc.): doctrina nova et inaudita (V. Par. II, § 12, etc.).

sententia praevaluit (16). Sed tunc nova inter ipsos attritionistas lis exarsit; utrum nempe ea quoque attritio sufficeret quae oritur ex metu *poenarum* huius vitae, quatenus irrogantur a Deo peccatorum vindice. Lis est adhuc sub iudice: negantium sententia tutior est, affirmantium verior, ideo *ante* confessionem illis, *post* his regulariter adhaerendum erit (17). *Summo*, quia malorum omnium maximum peccatum est: summo, inquam, non intensive (quia dolor inest ratione, non appetitu) sed appretiative, uti aiunt (18). Demum *universali:* nempe si quis plura letalia admiserit, omnia detestari dolere oportet, etiam ea quae in praesens non meminit, vel ex iusta causa non confitetur; verum satis est poenitere de omnibus generatim (19).

313. Hactenus de dolore: nunc de proposito non peccandi de cetero. Hoc quoque Nostris est aut formale, et explicitum; aut implicitum et virtuale, quod nempe in ipsa peccati detestatione tacite continetur. Quaestionis est, utrum sufficiat implicitum et virtuale; plures et graves TT. negant, quia Tridentinum illud exigit

(16) Croix, VI, II, 795; S. Alph., VI, 441.

(17) S. Alph., VI, 443. Prodiit haec quaestio ex illis Trid. (XIV, *h. t.*, 4) verbis, quibus docemur, sufficere *dolorem conceptum ex gehennae* ET *poenarum metu, quo utiliter concussi Ninivitae*, etc. Nam eam particulam *et* quidam coniunctim accipiunt, ideoque sufficere negant; quidam disiunctim, ideoque sufficere affirmant, secus, aiunt, nec solus metus gehennae satis erit, quod nemo unus dixerit. V. Croix (VII, II, 884) qui hanc sententiam *probabilissimam* vocat, non tamen certam.

(18) *Catech. Rom., h. t.*, § 6; V. Suar., D. 3, Sect. 9; Lugo, V, 19; Spo:er, 107. Cuiusmodi esse intelligitur, si quis ita animo comparatus sit, ut quodvis deinceps bonum amittere, aut detrimentum pati malit, quam iterare vias suas (Croix, VI, II, 731). Nec ullo eget seu intensionis gradu, seu mora temporis (V. II *Reg.*, XII, 13; Lugo, V, a n. 83; Spor., 109).

(19) D. Th., *De Verit.*, Q. 29, Art. 5, ad 4. Nec opus est singulis doloris actibus in singula peccata, ceu Silvio; nec uno in omnia *singillatim cognita*, ceu visum Cano; *sed sufficit de omnibus universaliter poenitere* (S. Alph., VI, 438). Ceterum expedit *ad singula mortalia crimina proprium contritionis dolorem adhibere* (*Catech. Rom.*, § 7). Quid igitur si quis, v. c., periurii et aversae veneris reus, prioris oblitus, alterum propter suam foeditatem devovet? Quidam putant confessionem plane *irritam* esse, quia oblitum sine dolore, *confessum* sine oblito remitti non potest: alii contra *formatam* plane, quia cum sacramento nihil desit, necesse est peccatum remitti quod confessum est, ideoque et alterum indirecte. Alii demum utramque rationem veriti, ratam quidem, sed *informem* (V. § 106, n. 14) putant (V. S. Alph., VI, 444). Mihi secunda sententia videtur vera, eo maxime, quod poenitens *obicem* non ponit. Verum quorsum quaestio haec? Nempe ut sciamus, an poenitens teneatur peccatum quod confessus est confiteri denuo: in dubio quis affirmet?

nominatim; alii affirmant, quia ex Tridentino ea detestatio sufficit quae voluntatem peccandi excludit (20); alii demum, si poenitens cogitet de futura vita ineunda, illis adhaerent, eo quod secus poenitere non videretur; sin minus, his: et iure prorsus (21). Itaque ei qui cogitat de nova vita ineunda prior sententia tenenda est: nihilominus, si nihil prorsus dubitans confessus fuerit, inquietari non debet (22).

314. Propositum formale debet esse absolutum, efficax, universale. *Absolutum* quoad peccata, idest ut poenitens nullius rei causa, vel secundae vel adversae, velit ab eo dimoveri. *Efficax* quoad media, idest ut sibi statutum sit ea omnia cavere quae ad peccatum retrahere possunt (23). *Universale*, nec solum quoad OMNIA quae admisit, sed quoad omnia prorsus (si et de aliis cogitet); et planum est (24).

315. Vidimus qualis dolor, et quale propositum, seu qualis contritio esse debeat. Age modo; cum haec sit absolutionis conditio, necesse est illam ante absolutionem elicere; post hanc elicita nihil valet (25). Cumque sit materia sacramenti, sensibilem esse oportet (26), et tunc cum elicitur ad sacramentum ordinari, referri debet (27). Demum, quia ex ea (*materia*) et absolutione (*forma*)

(20) Trid., XIV, *h. t.*, 4; V. Lugo, XIV, 52, etc.; S. Alph., VI, 450, cui posterior sententia probabilior est: quam Croix (VI, II, 893) *communissimam* vocat, sed *non certam*. At hodie certa dici potest ex *Instruct. pro parv.* Bened. XIII, ad calcem *Conc. Rom.*, Appendix 29, Par. 3.

(21) Holzm., n. 401; S. Alph., *l. c.* - Sane Davidi satis fuit dixisse, *peccavi Domino* (II *Reg.*, XII, 13).

(22) Viva, in Innoc. XI, 65, § 16.

(23) S. Alph., VI, 451. Quid si poenitens certo se relapsurum respondeat, utrum hoc infirmum voluntatis propositum, uti Concinae; an mentis tantum iudicium prodat, ut Laymanno visum est? (IV, 8). Neutrum plane, sed melius confessarius haec dispiciet varie ex personis: in dubio expedit diffidere, et absolutionem differre (V. S. Alph., VI, 451, v. *Sed hic*).

(24) V. Croix, VI, 11, 898. Dixi *propositum*, et non *promissio* (V. Par. II, § 411, n. 31); quam nec expedit formaliter edere, vel exigere (Sanch., *D.*, IV, 1, 31; Laym., Cap. IV, 8), quia novam obligationem parit. Dixi *formaliter;* nam quae ex more fit, vel exigitur, in propositum recidit.

(25) Suar., 20, 4, 30; Salm., 6, 5, 22; Sporer, 297.

(26) Croix, VI, II, 669. Non quidem ex lacrymis, suspiriis etc., haec enim ex natura animali profluunt; verum ex habitu, ore, voce (Ex *Catech. Rom.*, § 6; V. Suar., 15, 7, 7). Quin putant, sensibilem fieri sola confessione peccatorum (Lugo, XIV, 17); vel continuata genuflexione (Sporer, § 294; Gobat, § 161; Croix, § 700); immo absolutionem vel solum petendo, aut expectando sensibilem fieri putant (Salm., 6, 5, 26).

(27) Lugo, XIV, 38; Sporer, 288. Sed utrum ex proposito, vel desiderio confitendi dolor oriri debeat, ceu tenent plurimi (V. Stolz., Lib. I, P. II, 75); vel sufficiat ex dolore iam

unum signum coalescere oportet, necesse praeterea est, ut consistant una simul. Nihilominus, cum hoc sacramentum institutum sit ad instar iudicii, non oberit si inter actum contritionis et absolutionem intersit mora etiam unius diei; immo bidui vel tridui si dolor interea permaneat in aliquo effectu, ut puta in afflictatione corporis, in fuga occasionum, in excussione sui, etc. (28). Quaestionis est, utrum confessione peracta, dolor velut ea finiatur, ideoque utrum, si velis confiteri statim, v. c., oblitum aliquid, vel postridie denuo confiteri velis, novo dolore opus habeas: quidam communius negant (29), affirmant alii (30); et illud his, hoc illis probabile est: hoc tutius, et sequendum (31).

316. Quae hactenus de contritione dixi ad letalia cum primis pertinent. Sed et in confessione venialium opus est contritione (32); et, qua haec est materia sacramenti, sub gravi (33); ideoque et aliquo dolore (34), et proposito (35). *Dolore* concepto ex peccati turpitudine, vel ex metu poenarum, et *proposito;* eoque absoluto, quia minimum culpae malum maius est temporalium omnium malorum maximo. At vero, quia venialia sunt materia libera prorsus, non est opus neque dolore, neque proposito universali; et nedum quoad omnia venialia, quod planum est, sed nec, verius, quoad ea omnia quae quis confitetur (36). Immo nec quoad singula nominatim – sive, uti aiunt, *in recto* –, nam satis est eorum frequentiam dolere (37), ac proinde eorum diminutionem proponere: verum tu-

elicito oriri confitendi propositum (quod in illo virtualiter continetur), ceu tenent alii? (Lugo, n. 40; Sporer, 289). Hoc longe quidem communius (et ita, v. c., audita concione, evenit passim); sed illud tutius, et ideo *heic* ante confessionem omnino tenendum est (S. Alph., VI, 447).

(28) S. Alph., VI, 446. Dum ne interim reincidat in letalia (Croix, VI, II, 714).

(29) V. S. Alph., VI, 448. Sententiam hanc Sporer et Elbel vocant probabilissimam, Bonacina moraliter certam.

(30) Holzm., n. 511; Billuar., Diss. 3, Art. 8, n. 3; Reuter, n. 287.

(31) Croix, VI, II, 712; S. Alphon., II, 448. Mihi, si oblitum aliquod confiteri velis, prima sententia verior videtur, quippe hoc ut in eadem confessione, ita et in eodem dolore continetur; si denuo eadem confitearis, altera, quia nova confessio est quae ad priorem nullatenus pertinet (V. Spor., 298, 299). Belle haec duo distinxit Henriquez (IV, 26, 7. – V. Croix, 711; Lugo, XIV, 24, etc.).

(32) V. Suar., 20, 5, 6; Croix, VI, II, 682.

(33) Lugo, XIV, 109.

(34) Lugo, IX, 23.

(35) Lugo XIV, 127; Croix, VI, II, 914. Nempe efficaci (Croix, *l. c.;* Lugo, XIV, 128), nam alias quî propositum?

(36) Lugo, XIV, 118, 129; Croix, 902.

(37) S. Alph., VI, 449, d. 2.

tius est aliqua (v. c., deliberata aut graviora aut frequentiora) dolere, et cavenda proponere (38).

317. Actum est de his quae pertinent ad poenitentem, nempe de confessione et contritione. Itaque si unum ex his desit, poenitentia, nec qua iudicium nec qua sacramentum, constare potest, et hoc planum est: quid igitur si quis, e. g., animam agens, non possit confiteri, neque voce neque nutibus? Et si aliquod ediderit doloris signum, absolvendus est: sive illud exhibuit confessario praesenti, quod certum est (39), quia signis huiusmodi utrumque, idest et contritio et confessio, tacite continetur: sive eo absente (40), quia *sacramenta propter homines.* Quid si nullum prorsus signum ediderit, morbo in instanti correptus, ut puta irruente apoplexi? Plures negant absolvi posse, quia deest confessio et contritio sensibilis (41); ratio brevis, et urgens. Sed alii affirmant, forte enim aliquod signum edidit quod nemo animadvertit: verum ex *his* alii absolvendum putant, dummodo christiane vixerit (42), alii etsi perdite, etsi in ipso peccati actu defecerit; nam quidni et is, forte sui compos, dolere possit? exceptis (aiunt) haereticis, quippe ab hoc sacramento abhorrent (43). Ergo, ut opinor, si probabile sit non abhorrere, puta si rudis et b. f. homo sit, vel animum a catholica religione non alienum ostendit, et huic dari potest, si quid opinor: *multo satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit an nolit sic non apparet* (44).

(38) Sporer, 338; Croix, VI, II, 911.

(39) Rit. Rom., *h. t.*, § 18. – *Simpliciter* (Vasq.; Lugo, XVII, 90). Et expedit toties eum absolvere, quoties dat nova signa doloris (S. Alphon., 480).

(40) C. 7, Cau. 26, 6 (*Conc. Arausic.*); S. Alph., VI, 481, v. *Utrum.* Ut ecce si *visus fuerit oculos ad coelum attollere, aliquam imaginem devote respicere* etc. (Croix, VI, II, 1160). Sed in hoc posteriori casu sub conditione, quia confessio revera deest. Atque ideo etiamsi confessarius adsit, si infirmus id ignoret.

(41) Vasq.; Suar.; Laym.; Lugo, XVII, 39, etc. Haec doctrina ita olim communis fuit, ut inter PP. Soc. Iesu vetitum esset contraria docere. Quam (contrariam) ex eis primus, post eam prohibitionem, docuit La Croix (VI, II, 1162).

(42) S. Aug., *De Adulter. Coniug.*, Lib. I, Cap. ult. Et est hodie sententia communior (S. Alph., VI, 482). Et nedum potest, sed, ex caritate, debet absolvi (Croix, *l. c.*).

(43) S. Alph., VI, 483.

(44) Ex S. Aug., *l. c.*, Cap. 28.

SECTIO II.

De his quae pertinent ad ministrum.

CAPUT I.

DE IURISDICTIONE.

318. Poenitentia et sacramentum et iudicium est; ideo ministro eius, ut valide absolvere possit, illinc *ordo* presbyteralis est necessarius, hinc *iurisdictio*, sive (ut hodie dicitur) approbatio (1). De ordine expedita res est. Iurisdictio heic est: *potestas solvendi et ligandi in foro sacramentali.* Datur in potentia in S. ordinatione, explicatur datis subditis; et hoc nomine diducitur in ordinariam et delegatam. *Ordinaria* penes eos est qui subditos habent; idest, 1° R. P., cuius vices gerit, in pluribus, Maior Poenitentiarius; 2° Episcopos, eorum Vicarios Generales, etiam invito Episcopo (2), Canonicos Poenitentiarios; et, 3° penes eos, quibus imminet actualis cura animarum; et quotquot praeterea beneficium vel officium habent cui adnexa est obligatio audiendi confessiones (3). Et R. P. ea gaudet in toto orbe terrarum; Episcopi, Vicarius Generalis, et Canonicus Poenitentiarius in dioecesi quisque sua: ceteri vero in ea tantum civitate, vel parochia, ubi curam animarum exercent (4), nisi aliud consuetudine sit introductum.

(1) Trident., XIV, *h. t.*, VII; Pius VI, C. *Auctorem fidei,* Prop. 37. Et, ex Decr. Innoc. XI, 12 februar. 1679, probabilius etiam quoad venialia (contra sententiam eousque communissimam. V. S. Alph., VI, 543), et mortalia alias rite confessa (Bened. XIV, Not. 86, 6). Porro *adprobatio* proprie est: – *Ordinarii de alicuius sacerdotis, ad audiendas confessiones idoneitate, iudicium.* Eaque egent et hi qui laurea doctorali sunt insigniti (Ex Bull. 133, S. Pii V; Ben. XIV, Not. 76, 8; Cf. Bertagna, *De Casuum Reservat.,* Par. I, Cap. 1. not.). Sacerdos, qui absolvendi a peccatis facultatem habet, dicitur *proprius sacerdos* (Tolet., lib. I, Cap. XVII, 40, 41).

(2) S. Alph., VI, 558.

(3) Trident., XXIII, *R.*, 15. Sive perpetuo immineat, ceu parochis; sive ad tempus, ceu oeconomis ab Ordinario in vacuis parochiis constitutis. *Actualis:* proinde si cura habitualis sit penes Capitulum, Monasterium etc. (V. § 72), soli Vicario (sive perpetuo, sive ad nutum amovibili) datur confessiones audire (S. C. C., 19 iulii 1732; 1 apr. 1876. *Acta* IX, 547, 550). His accensendi sunt Curiones militum (*cappellani*) quoad milites propriae cohortis, dum in itinere sunt, vel in castris; non item cum in stationibus, vel in praesidiis (S. C. C., 6 martii 1694, 29 ian. 1707; *Acta,* I, 681; V. Prol., § 85. n. 27).

(4) S. C. C., ap. Ben. XIV, Not. 86, 13.

319. Delegata est quae his, qui illam non habent in loco ubi confessiones excipiuntur, praevia approbatione, mandatur *ab Ordinario* (5). Diu, nec mediocriter disputatum est, a quonam Ordinario delegari possit; sacerdotis ne, quia iurisdictio dari, nisi subditis, nequit; an poenitentis, quia nequit exerceri nisi in subditos; an loci, in quo absolutio datur, quia iurisdictio territorio cohaeret (6)? Prima sententia a iure et moribus aliena est (7); altera ex veteri disciplina olim communior (8); postrema iuri quod nunc viget convenientior, et omnino tenenda (9), eaque utimur. At quoad navigantes consuetudine introductum, et nunc principali auctoritate

(5) Ex Trid., XXIII, 15. Ideo parochi eam delegare amplius non possunt: ne ut se quidem absolvant (Alex. VII, 16), et ne parochis quidem finitimae dioecesis (S. C. C., 3 dec. 1707; Ben. XIV, Notif. 86). Porro quisquis seu ordinariam seu delegatam iurisdictionem habet, is (et non parochi tantum) proprius sacerdos (C. 12, *De Poenit.*) dici solet (Extrav., 2, *De Privil.;* Thomas., *De Vet. et nov.* etc., Par. I, L. II, Cap. 10, § 6; Nardi, *Dei Parochi,* Vol. I, Cap. IX; Reginald., I, 26).

(6) V. S. Alph., VI, 548.

(7) V. Lugo, XXI, 33. Sane Ordinarii plerumque sinunt in suis dioecesibus simplices quoque sacerdotes peregrinos, vel hospites, confessionibus operam dare.

(8) V. Ballerini, ad Gury, II, 555. Scilicet olim nemini, ne laicis quidem, licuit domo discedere sine literis (*formatis, commendatitiis, pacificis* etc.). Episcopi, vel (serius) parochi sui, et alienae plebi communicare (Conc. Carthag., I, Can. VII, an. 253; Antioch., Can. VIII, an. 344; Milevit., Can. XX, an. 402; Agathen., Can. LII, an. 506, etc.) eoque minus licuit alienis Pastoribus confiteri. Quamobrem, quoties venia discedendi eis dabatur, et *ipsis* sacramenta (et in primis poenitentiae) recipiendi ab alienis sacerdotibus, et *his* ea ministrandi potestas dari tacite videbatur. Atque inde percrebuit opinio, sacerdotes alienae dioecesis absolvere ex tacita delegatione proprii cuiusque Pastoris (Cf. Navarr., in C. *Placuit, De Poenit.*, D. 6, n. 62; Suar., 25, 2, 7).

(9) Ex Innoc. XII, C. *Cum sicut,* 10 apr. 1700; Ben. XIV, C. *Apostolica,* C. *Benedictus Deus:* ergo etc. (S. Alph., 547, 458, S. C. C., ap. Lugo, XXI, 34). Et tantum a veritate abest, quod peregrini hodie absolvantur ex tacita delegatione proprii Ordinarii, et cum quidam Episcopus, et serius Synodus Midensis, eis vetuissent confiteri in Paschate, praeterquam proprio parocho vel de eius licentia, S. C. C. (5 apr. 1584) censuit, decreta *illius nullo modo esse observanda* (Piton., *De Confessar.,* n. 36); *huius* decreta revocavit S. C. de Propag., 24 aug. 1686 (Cf. Ben. XIV, *De Syn.,* XI, 13, 4; 14, 6). Et hodie cum alicui conceditur facultas eligendi sibi confessarium ex *approbatis ab Ordinario,* is (exceptis S. R. E. Cardinalibus et Episcopis, illis enim datum est confessarium in Urbe, his in propria dioecesi approbatos secum ducere dum peregre abeunt (V. Fagnan., in C. *Periculosum, De S. E.;* S. Alphons., VI, 565), nisi eligat ex approbatis ab *Ordinario loci,* absolutio nullius momenti est.

A iurisdictione distat approbatio a Tridentino (XXIII, 15) invecta. Haec est iudicium Ordinarii de idoneitate ad confessiones sacramentales audiendas. Est omnibus necessaria, nisi aliquis ab ea dispensatus fuerit.

comprobatum est, ut detur ab Ordinario eius loci unde naves solvunt, itinere perdurante; usque dum perveniunt ad locum ubi alius superior ecclesiasticus constitutus est (10). Quoad militares, V. Prol., § 85, n. 27. Nemo autem cogitur eam cuivis mandare (11): quamobrem in potestate mandantis est quibus velit personarum, temporis, locorum, casuum finibus eam circumscribere (12), et quandocumque eam revocare (13).

320. Utraque finitur ut alias (Prol., § 77). Et in primis ordinaria evanescit cessante officio, delegata finito mandati tempore; nempe *re integra*, nam si confessio iam coepta fuerat, quia *ubi semel coeptum est iudicium, ibi et finiri debet* (14), quoad confitentem abso-

Eius autem Ordinarii approbare est, cuius est iurisdictionem dare. Qui sola fretus approbatione, audit confessiones, nihil agit.

(10) S. U. I., 17 mart. 1869, prob. Pio IX.

(11) Ben. XIV, *De Synod.,* IX, 16, 7.

(12) Ex C. *Apostolici ministerii,* Innoc. XII; S. Alph., VI, 549; Ben. XIV, *l. c.,* et Not. 86, 6. Hoc igitur si quis praeterierit nihil agit (Ex cit. C. *Apostolici ministerii;* Trid., XIV, *h. t.,* 7; Pius VI, B. *Auctorem fidei,* Prop. 37). Et planum est.

(13) Bened. XIV, Not. 86, 6. Ceterum idoneis non dare, vel datam revocare sine iusta causa, utrumque est illicitum (Laym., XI, 3; Lugo, XXI, 49, 64), ad haec enim officium sacerdotum pertinet. At vero integrum est *Ordinario* ad examen revocare simplices confessarios pro suo arbitrio (Lugo, XXXI, 65; Ben. XIV, Notif., 86, 10). Immo et parochos sive a decessore suo, sive a seipso approbatos; nempe ILLOS *pro libito, et pro sola quiete conscientiae suae;* HOS *quando adest vehemens suspicio de illorum imperitia* (S. C. C., ap. Bened XIV, Not. IX, 16). *Ordinario* inquam, ideoque et Vic. Capitulari (S. C. C., 5 febr. 1688; Scavini, III, 472).

Hactenus de sacerdotibus *saecularibus:* sed et *regulares* hac iurisdictione praediti sunt. Verum aliter quoad regulares sibi subditos, et eos qui regularium iure censentur; aliter quoad saeculares: nam quoad illos ordinaria Praesules, delegata ceteri quibus hi eam delegaverint, iurisdictione pollent. Quoad *hos* omnes delegata quidem eis a R. P. iurisdictione gaudent, sed egent *approbatione* Ordinarii loci, ubi confessiones excipiunt. Ex Decr. Urb. VIII, 1628 (Lugo, XXI, 29); et Innoc. X, edito an. 1648 (Diana, Tom. X, Tr. 13, Resol. 23). Et ex hac approbatione metitur *quoad locum, quoad genus personarum, quoad tempus* (Innoc. XII, cit. C., confirmata a Ben. XIII; V. S. Alph., VI, 549), quoad *casus* (Ex Alex. VII, 12; Greg. XIII, C. *Cum a Sacra;* S. Alph., 599). Utrum vero ei cui semel data fuerit sine ulla temporis limitatione auferri possit adhuc sub iudice lis est; ideo ad tempus omnibus dari solet (V. Ben. XIV, Not. 86, 9; *De Syn,,* IX, 16, 7). At profecto *omnibus simul unius conventus regularibus confessariis adimi, inconsulta Sede Apostolica, nullatenus potest* (S. C. Epp., 20 novemb. 1615, ap. Ferrar., V. *Approbatio,* I, 71). Sed ab Episcopo successore *pro maiori conscientiae suae quiete* examinari denuo poterunt, et si *inidonei reperti fuerint,* reprobari (S. Pius V, Const. *Rom. Pontificis,* 1571); non item a Vic. Capitulari (S. C. Epp., 19 iunii 1806; Bizzarri, *Collectanea,* etc.; Ferrar., n. 55).

(14) LL. 7, 30, *De Iudiciis.*

lutione consumitur. Absolutione valida, inquam, nam nulla pro non data est: itaque, v. c., moriturus qui confessionem penes Caium simplicem sacerdotem inchoavit, superveniente approbato, poterit penes Caium et inchoatam perficere, et invalidam iterare: sed non potest, postquam semel valide absolutus fuit, omissa in ea confessione inculpabiliter confiteri eidem Caio, quippe hoc novum iudicium est (15).

321. Sed et is qui nullam, neque ordinariam, neque delegatam, iurisdictionem habet interdum valide absolvit, Ecclesia illam supplente. Supplet autem iurisdictionem Ecclesia, 1° cum subest error communis, et hoc expeditum est; 2° cum subest opinio probabilis in dubio, seu *iuris,* seu *facti* (16): praesertim si id exigat *notabile detrimentum animae* alicuius *poenitentis* (17); vel si de hac re coeperit dubitare postquam poenitens peccata sua confiteri coepit, quia huic iam quaesitum est ius ad absolutionem obtinendam.

322. Tandem iurisdictio prorogari potest, ut alias, de tempore ad tempus, de persona in personam, de loco ad locum (18). De casu ad casum prorogari non potest propter reservationes quas vocant. De reservatis, et quinam ab eis absolvere possint, dixi in Prol. (§§ 338-344). Unum hic addendum superest: licet reservatio peccatorum metiatur ex loco ubi quis confitetur (Prol., § 341), quae quis admisit in eo loco ubi domicilium vel quasi domicil. habet et

(15) Lugo, XVIII, 33.; Suar., 23, 1, 29; S. Alph., VI, 563.

(16) V. Prol., § 80.

(17) V. S. Alph., VI, 431. Ut puta si alias absolutione diu ei carendum foret (S. Alph., 432).

(18) V. Prol., § 78. Ex 1° igitur, absolvitur poenitens a confessario, a quo inabsolutus dimissus fuit mox reversurus, si redierit eo tempore quo ille confessor esse desiit (V. S. Alph., VI, 537, q. III). Ex 2° absolvimus peregrinos in nostra dioecesi (cit. § 78, n. 66). Ex 3° Episcopus vel parochus absolvunt subditos suos in dioecesi aliena (S. C. C., 3 dec. 1707; Ben. XIV, Not. 86, 7). An igitur etiam simplex confessarius possit absolvere suos dioecesanos extra dioecesim? Plures negant, ex Pontificiis Constitutionibus quae *Ordinarii* loci approbationem exigunt (V. S. Alph., VI, 548), et in primis ex C. Innoc. XI, 10 apr. 1700. Quidam affirmant (Suar., 25, 1, 17; Sanch., *M.*, III, 24, 2; Lugo XIX, 8; Salm., 6, 11, 55; Mazzotta, Disp. II, Quae. I, Cap. 3, § 1, v. *Dubium est*). Haec sententia in puncto iuris mihi verior est, quia delegatus utitur iurisdictione delegantis (Prol., § 72, n. 18). Nec obstant Const. Pontificiae, alias neque parochi id possent: et Const. Inn. XI, ex peculiaribus causis, et pro aliquibus locis edita fuit (Salm., 18, 18, 111; Mazzo., *l. c.*). Nihilominus prior omnino tenenda est (§ 161); quia, ex verosimili intentione delegantis, iurisdictio delegata territorio finitur. Verum factas confessiones non puto repetendas, nisi in mortis articulo.

ibi sint reservata, absolvi nequeunt ubi non sunt reservata si eo venit in fraudem reservationis (19).

323. Is cui mandata est absolutio *a reservatis,* debet eam dare in confessione sacramentali (20). Et quia haec integra esse debet, non licet, neque *superiori*, reservatis tantum auditis, remittere poenitentem inferiori confessario; neque *inferiori,* absolutis non reservatis, pro reservatis poenitentem superiori absolvendum remittere, nisi cogente *illic* causa gravissima, *hic* gravi (21). Sed utrum absolutio data a *superiore* consumet reservationem quoad ea quae quis vel, 1° invalide, vel, 2° sacrilege, vel, 3° nullatenus confessus est? Utique quoad *illa* (22); et verius quoad *ista* (23), cum iam subierint iudicium superioris. Quoad *haec,* quaestio voluntatis est (24); verum quamdiu non apparet superiorem ab his absolvere noluisse, ab his quoque eum absolvisse tenendum est, quippe absolvit in *quantum et ipse potest, et poenitens indiget:* sive poenitens eum adierit quasi superiorem ut absolveretur a reservatis, quae nunc recepta (25); sive quasi simplicem confessarium, ut confiteretur quae communissima (26) sententia est; exceptis his, quae sacrilege praetermisit, ne ei fraus sua sit lucrosa (27). Quando cesset reservatio dixi in Prolegomenis. Porro absolutus a peccatis reser-

(19) Clem. X, B. *Superna,* 21 iun. 1670; S. C. C., 16 sept. 1649, apud Ben. XIV, *De Syn.*, V, 5, 8. Porro in fraudem reservationis venire is dicitur, qui alienam petit dioecesim ob principalem finem obtinendi absolutionem, vitandique iudicium proprii Pastoris (S. Alph., VI, 589): ergo si quo alio fine venit, ut ecce nundinandi, visendi amici, immo et confitendi (Pont., *M.*, V, VIII, 6), v. g., ut *citius* confessionem expediat (S. Alph., *l. c.*), iure suo utitur (V. Prol., § 205, n. 45). Itaque si peregrinus confiteatur peccata, quorum alia reservata sunt in dioecesi in qua confitetur, sed non in sua, contra alia in sua, sed non in ea in qua confitetur, ab illis absolvi nullatenus posse (S. C. C., 12 nov. 1612, 22 nov. 1873; *Analecta Iur. Pontif.,* febr. 1875, fasc. 121), ab his posse (Ex cit. B. *Superna;* Croix, I, II, 1631), utrumque hodie explorati iuris est.

(20) Et si absolvat, vel in solo foro conscientiae, a censuris et non a peccatis, nihil agit (Silvest.; Navar.; Suar., *De Censur.*, VII, V, 36), quia facultas haec ad peccata absolvenda principaliter datur.

(21) V. S. Alph., VI, 595.

(22) Suar., 31, 4, 10; Lugo, XX, 106.

(23) S. Alph., VI, 598, q. IV.

(24) Lugo, XX, 91; V. Prol., § 347.

(25) S. Alph., VI, 598, q. IV.

(26) Lugo, XX, 85, 90. – *Nisi,* ait S. Alph. (VI, 295), *adesset positiva praesumptio, quod si Superior audivisset peccatum reservatum, absolutionem distulisset.* Sed haec limitatio, cum in arbitrium confessorum desinat, *sollicitis* scrupulos augebit, *laxis* adimet.

(27) S. Alph., VI, 598, v. *Recte.*

vatis in articulo mortis, si postea convaluerit, non tenetur (nisi forte eis sint adnexae censurae) superiorem adire (28).

324 Hactenus de peccatis reservatis et non reservatis: ad haec sunt et alia duo quae utrorumque habent aliquid. Primum est delictum complicis in *peccato turpi et inhonesto contra sextum:* huius absolvendi potestas complici adempta est, ideo quoad ipsum reservati instar est (29). Peccata turpia, heic, sunt omnia peccata gravia et exterius consummata contra castitatem, aspectus quoque et colloquia (30). Complicem vero accipere debemus *socium* (31): proinde necesse est ut peccatum admissum fuerit, utroque consentiente (32), etsi non utroque patrante (33). Illud non interest cuius sexus fuerit complex (34), vel utrum confessarius cum eo peccaverit adhuc laicus (35): lex non distinguit. Itaque si confessarius complicem absolvit, et *absolutio* nullius momenti est, licet absolverit inscius seu reservationis, seu poenitentis quem forte non agnovit, quia falsa nostra aestimatio nihil mutat; et *ipse*, si absolvit sciens prudens, incurrit excomm. R. P. reservatam speciali modo (Prol., § 390, n. 10), quamvis peccatum huiusmodi iam ab alio *indirecte* absolutum fuerit (36). Excipitur mortis articulus, sed aliter

(28) Laym., XII, 15; Suar., 30, 3, 6; Lugo, XX, 208; S. Alph., VII, 91, *Communissima* (Sporer, 726).

(29) Ben. XIV, BB. *Sacramentum Poenitentiae, Apostolici muneris;* Pius IX, C. *Apostolicae Sedis.* – *Instar;* scilicet aliae reservationes ipsorum peccatorum causa, haec et poenitentium et absolventium causa introducta est; et ad sacramenti quoque reverentiam pertinet.

(30) S. U. I., Fer. IV, 28 maii 1873. Et ita vetus lis finita est.

(31) Cit. Const. *Apostolici muneris.* – Sive, ceu Latini aiebant, *conscium* peccati.

(32) Scavini, III, 368. Utroque consentiente (utrinque formale) alias quî *socii, complices, conscii?* Et exterius consentiente (Prol., § 298). Itaque si alter alteram contrectaverit vel adspexerit invitam (licet exterius tantum invitam et specie tenus), si eam deosculaverit ex more regionis, si manum strinxerit urbanitatis causa, licet turpis declaratio utrinque non desit, si haec exterius non appareat, reservatio cessat.

(33) Giannardi, Caput. III. - V. c., si patientem non invitam contrectavit. Scilicet criminis socius, complex rectissime dicitur et is qui alteri vel solo consensu, seu patientia opem praestat.

(34) Gury, II, 58, 5, ibiq. Gouss., 488.

(35) Giann., Cap. IV; Alas.; Scavini, III, 485.

(36) Giann., Diss. II, Cap. II. Nam si directe, verius est, reservatione consumpta (§ 302, n. 10), absolutionem valere (Giann., *l. c.;* S. Alphons., VI, 555). Sed non immerito dubitatum est, utrum absolutio, si forte a complice contra citatas Constit. data fuerit, tota irrita sit, quia in Const. *Sacr. Poen.* cautum est eam OMNINO irritam esse (Giann., Diss. II, Cap. I; S. Alph., *l. c.*); an solum quoad hoc peccatum, quia eadem Const. iurisdictio adimitur confessario quoad *peccatum huius-*

et aliter: etenim in eo rerum discrimine reservatio cessat semper; excommunicatio non item, sed tunc solum, cum alius sacerdos, etiam non approbatus, *absque aliqua exoritura infamia et scandalo,* adhiberi non potest (Cit. § 390, n. 10). Ceterum periculum mortis ex his quae videntur aestimari debet; ideo rata est absolutio, etsi postea apparuerit nullum periculum adfuisse (37).

325. Alterum est peccatum eius qui accepit donum a Regularibus utriusque sexus, exceptis remuneratoriis, vel rerum medicinalium (38). Etenim, si potest confestim restituere, nequit absolvi, nisi prius realiter restituerit; nempe *totum* prorsus, si donum valeat plus libellis 54, 70, secus *partem,* arbitrio Maioris Poenitentiarii. At si in praesens non potest, absolvendus est, dummodo promittat se quam primum restituturum (39). Huc pertinent *Ecclesiastici et Missionarii omnem et quamcumque mercaturam in Indiis Orientalibus exercentes:* qui non possunt absolvi, nisi *lucris* prius restitutis (Prol., § 398, n. 5).

CAPUT II.

DE ABSOLUTIONE.

326. In confessione sacramentali duae absolutiones dantur: a censuris, et a peccatis. Utramque antecedunt ea verba: – *misereatur tui,* etc.; subsequuntur illa: – *passio,* etc. Omnia ex more Ecclesiae *laudabiliter* adiunguntur (1); ideo ea omittere, etiam citra necessitatem, aut omni prorsus, aut certe gravi culpa vacat (2). Itaque absolutio a censuris continetur his verbis: « *D. N. I. C. te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis* (si poenitens sit laicus, hoc verbum omittitur) *et interdicti in quantum possum, et tu indiges* ». Ceterum absolutio

modi? (Pavone, *Spicileg.,* § 156). Ergo ante confessionem prior sententia (etsi duriuscula sit quando poenitens versatur in bona fide, post confessionem peractam posterior tenenda est.

(37) Giann., Cap. VI. Extra periculum mortis absolutio haec nunquam dari potest, nisi forte complici alias toto vitae suae tempore confessor probabiliter non sit adfuturus (Baller., ad Gury, II, 587); nam recidimus in mortis periculum.

(38) Clem. VIII, C. *Religiosae;* Urb. VIII, C. *Nuper;* Inn. XII, C. *At radicitus,* § 17. Nempe, si materia fuerit gravis.

(39) Ben. XIV, C. *Pastor bonus,* § 61; S. Alph., VI, 580, v. *Diximus.*

(1) Trid., XIV, *h. t.,* 3.

(2) S. Alph., VI, 430, v. *Verba.*

valet etsi dictum sit, *ab omni vinculo censurarum*, vel *a censuris*. Absolutio a peccatis his: *ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Ea verba *in nomine Patris,* etc., proculdubio non pertinent ad substantiam absolutionis (3); et probabilius nec illa, *a peccatis tuis,* quippe ex praemissa confessione tacite subintelliguntur, quae communissima sententia est (4): ideoque ea tantum, *absolvo te.* Quid si non *absolvo* dixeris, sed *remitto,* vel *condono* tibi peccata, vel *mundo* te a peccatis tuis? Et *primum* ratum esse ex *Matth.*, XVI, 18 (5); *postremum* irritum, quia sententiae iudicialis praesefert nihil (6): utrumque vix non certi iuris est. *Alterum* nonnulli valere putant (7), sed vereor ne verum sit; etenim condonare magis creditoris accepto ferentis, quam iudicis absolventis esse videtur. Quin utraque (absolutio) valet una simul data tribus his verbis – *ego te absolvo* – vel hoc uno – *absolveris* – sed, nisi periculum sit in mora, levi non caret (8), quia seorsum dandae sunt. Et primum a censuris dari debet, tum a peccatis; et hoc est grave (9): nihilominus si poenitens censuris irretitus, fuerit absolutus, citra suam culpam, prius a peccatis, postea a censuris, vel a peccatis tantum, valet absolutio (Prol., § 87, n. 1).

327.' Praeterea sunt quaedam specialia quoad absolutionem a peccatis: haec, quia et sententiae et formae vim habet, I° qua est sententia, necesse est ut confessarius, tunc cum eam dat, eorum, quae poenitens confessus est et *iam* notitiam distinctam habuerit, et *nunc* memoriam aliquam saltem confusam retineat, vel resumat si forte non retinet (v. c., quia confessionem iam pridem audivit), alias vix non incognita causa sententiam ferre videretur (10). II° Qua est forma, voce proferri debet; ideoque non potest dari absenti per

(3) Lugo, XIII, 12; Croix, VI, II, 629. Eaque omittere est leve (S. Alph., VI, 430, d. 3).

(4) Ex D. Th. III, 84, 3; Suar., 19, 1, 21; Lugo, XII, 17; S. Alph., VI, 430, d. 2. Nihilominus quia multi aliud putant (Croix, 633), ea omittere grave est, et de hoc *omnes conveniunt* (S. Alph., *H. A.*, XVI, 5). Verbum autem illud *deinde*, ad neutram absolutionem, sed ad alteram ab altera secernendam pertinet, idcirco pronunciandum est (S. R. C., 11 mart. 1887).

(5) Lugo, XIII, 141.

(6) Suar., 19, 1, 24; Croix, VI, II, 638,

(7) Bonac., Q., V, P. 2, n. 3; Lugo, *l. c.*

(8) S. Alph,, VI, 430, d. 4.

(9) S. Alph., *l. c.*

(10) Lugo, XVI, 638, 639; S. Alphons., VI, 502. Itaque si sacerdoti non subeunt singula peccata (quod vix fieri potest), vel quia confessio prolixior fuit, vel quia distulit absolutionem, sufficit si recordetur in confuso statum poenitentis (S. Alph., *l. c.*). *Resumat* (S. Alph., *l. c.*, v. *Secunda*), puta requirendo a poeni-

epistolam, vel per internuncium (11), quamvis ille iam praesens confessus fuerit (12). Et quia confessarius, dum profert ea verba – *ego te absolvo* – cum ipso poenitente loqui videtur, cominus danda est; quamobrem si poenitens ita procul a confessario consistat, ut his nequeat eum audire, communi et altiori voce loquentem, valide absolvi non poterit (13). Demum, III° quia ex accusatione et sententia unum iudicium, ex contritione et forma unum sacramentum constat, absolutio, qua est sententia etiam post hebdomadam dari posset; qua est forma saltem post horam danda est (14).

328. Porro quisquis confessarium rogat ut suam confessionem excipiat, intelligitur quasi contrahere cum ipso; ideo postquam peccata sua confessus est, eaque doluit et emendationem promisit, confessarius (quamvis non teneretur ex officio confessionem eius audire) non potest eum inabsolutum dimittere sine gravi iniustitia, quamdiu non apparet eum esse indispositum (15).

CAPUT III.

DE OFFICIIS CONFESSARII.

PRAENOTANDA.

329. Poenitentia et praeteritum, et praesens, et futurum tempus respicit, proindeque est iudicium, sacramentum, medicina: quamobrem confessarius et iudicis, et ministri, et medici fungitur officio. Amplius; si poenitens ignoret ea quae scitu necessaria sunt ad confessionem rite peragendam, confessarius eum edocere debet, et ideo per accidens doctoris quoque officio defungitur. Quorum autem pateant haec officia, ex fine confessionis metiri convenit: sane confessio pertinet ad salutem spiritualem eius qui confitetur,

tente peccatorum, quae is confessus fuit, species infimas (V. Hurtad., *De Poenit.*, Disp. VIII, Diff. 8). Et nemo dubitat, si poenitens iam ea recensuit in confessione sacramentali, seu in praesenti, seu in alia irrita forte, v. c., quia sibi dolor, vel confessario iurisdictio defuit (Croix, VI, II, 1217; S. Alph.; *l. c.*, v. *Non;* Cf. Lugo, XVI, 635 etc.). Sed si alias extra confessionem ea narraverat confessario, utrum sufficiat *confusam* eorum notitiam *resumere*, non satis convenit. Quidam affirmant, nam si *illa* exinde possunt absolvi, cur non *ista?* Sed longe plures negant, et rectius; scilicet confessio quam Conc. Trident. exigit *illic* non defuit, *hic* deest omnino (S. Alph., *l. c.*).

(11) Clem. VIII, 20 iulii 1602.
(12) Paulus V. 14 iul. 1605.
(13) S. Alph., VI, 429.
(14) S. Alph., VI, 9.
(15) Ex *Catech. Rom., h. t.*, § 10; S. Alph., VI, 604, v. *Ratio.*

omnia igitur officia confessoris huc pertinent, et huc tantum. A confessoris officiis igitur aliena sunt negocia temporalia ipsius poenitentis (1); temporalia et spiritualia cuiusvis alii (2): quocirca his se immiscere poenitente graviter invito, grave est, quia sacramentum odiosum reddit; eo volente, inconsultum (3). Si quae autem vel poenitens aliis, vel ei alii praestare (v. c., restituere) debent, haec confessarium dispicere quidem oportet, sed qua conscientiae poenitentis, non qua pecuniariter, sive eius, sive alterius intersunt (4).

330. Uti autem confessarius suis officiis satisfacere possit scientia, caritate et prudentia opus habet. *Scientia*, nempe ut mediocriter diiudicare possit saltem ea quae frequentius (pro locis et personis) occurrunt, et de aliis dubitare sciat (5). Et ea scire debet quae ad suam iurisdictionem pertinent; nempe casus reservatos, et censuras latae sententiae (6). *Caritate* vero grandi et perpetua opus habet; quae omnium miseretur, omnia suffert, omnia sustinet: alias saepe nihil proderit, oberit saepius, et animas perdet pro quibus mortuus est Christus. Scientia et caritas *prudentiam* docebunt: ex hoc capite unum admonuisse sufficiat - *lubricum negocium est cum foeminis longiora miscere colloquia* (7).

331. Porro in his quae pertinent ad poenitentem, ut hoc sacramentum licite ei ministrari possit, diximus ipsi regulariter credendum esse tum contra se, tum pro se: ita sane generatim, tametsi aliud ab alio poenitente didiceris, acceperis, resciveris; sed *pro se*

(1) Bonac.; Filiucc.; Suar., 32, 6; Lugo XXII, 65, 67. Ideo in his versari, his consulere confessarium haud oportet, ne parochum quidem (S. Alph., VI, 478 in fin., 621, v. *Hoc*).

(2) V. S. Alph., VI, 492 in fin. Quamobrem si multum temporis confessario impendendum sit in disponendo poenitente, impendat; *nec ei curae esse debet, quod alii poenitentes expectent* (S. Alph., 608). Nec licet. v. c., sollicitum esse de emendatione complicis (Regin., 3, 70).

(3) S. Alph., VI, 492 in fin. Puta si poenitens roget confessarium, ut moneat complicem, denunciet sollicitantem (S. Alph., 699, v. *Advertunt*).

(4) V. Lugo, XXII, 68 etc.

(5) Salm., 6. 12, 7; S. Alphons., VI, 627. - *Dubitare;* nempe ut *libros, vel peritiores consulat* (Lugo, XXI, 70).

(6) Salm., 6, 12, 5, etc. Qui autem ne talem quidem scientiam habentes confessiones excipiunt, qui eos approbant, qui tolerant, letali non carent; nisi forte alii haberi nequeant, ut in triremibus (S. Alph., VI, 628), vel in exiguis et remotis oppidulis (Lugo, XXI, 74).

(7) Bassaeus, v. *Confess.*, IV, § 9. Nec probandi sunt qui posthabitis viris aut matribusfamilias, in foeminarum, et maxime devotarum, confessiones incumbunt; scilicet hi confessiones audiunt, non ut placeant Deo, sed ut genio indulgeant (S. Alphons., *Præx.*, 120).

dumtaxat in rebus dubiis (8), et prout decet virum prudentem (9); ideoque nisi contrarium *certo moraliter constet* (10). Scilicet confessarium oportet, et qua est *minister*, cavere reverentiae sacramenti; et qua *iudex*, solvere aut ligare prout iustitia aut aequitas exigit.

ART. I. *De officio iudicis et ministri.*

332. Principio igitur confessarius qua iudex cavere debet ne iudicio *integritas*, qua minister ne sacramento *contritio* (materia) desit. Et si quid deesse videat, huic rei consulere debet *ex rigorosa obligatione caritatis, quantum valet* (1). Ergo iudex animadvertat quo examine poenitens functus sit. *Si iudicaverit diligentiam omnino non defuisse* (2), absolvat, et molestis quaestionibus parcat (3); secus dimittat, orans ut redeat postquam diligentius sese excusserit – exceptis pueris, rusticis, negotiosis, et non facile reversuris – horum enim examen adiuvare oportet (4). Cum his igitur ipse in peccata et peccatorem inquirat diligenter, discrete, et caute (5). In PECCATA – nempe species, numerum, circumstantias, effectus; in PECCATOREM – utrum nempe sit occasionarius, habituatus, recidivus, etc. *Diligenter* – verum confessarius non cogitur maiori diligentia uti, quam ipsemet poenitens uti debuisset (6). *Discrete* – ex hoc capite primum cavere debet, ne inquirat de his, quae non est verisimile poenitentem admisisse (7). Deinde in persequendo numerum peccatorum non oportet plus aequo sollicitum esse (8): et

(8) S. Alph., VI, 631.

(9) Suar., 32, 2, 1; Segneri, *Il Confess. Istruito*, Cap. IV: Billuart., Diss VI. Art. 10, § 6. Nec audiendus est P. Faure docens, poenitenti nunquam non credendum esse *quia si fuerit illusor solus portabit malum* (Cf. cl. Berardi, *De Recidivis*, n. 8. Faventiae, 1873).

(10) Lugo, XXII, 21; S. Alph., VI, 631.

(1) S. Alph., VI, 608. Et est grave. *Communis* (Laym., XIII, 10, v. *Dico III*). Sed si, ob multitudinem poenitentium, non possit in eo examinando immorari diu, dimittat rediturum; et si redire non possit, v. c., quia est peregrinus, si est in b. f. absolvat, cum onere redeundi postquam se excusserit diligentius (Laym., cit n. 10, *Dico II.*).

(2) *Cathec. Rom., h. t.*, n. 60.

(3) Suar., 32, 3, 3; Laym, n. 7; S. Alph., 607.

(4) Salm., 6, 12, 26. Quidam putant dimitti posse, ut se diligentius excutiant et redeant; sed *error est intolerabilis* (Segneri, *l. c.*, C. 2), et post Encycl. Leon. XII, *Charitate Christi*, § 5, omnino explodendus.

(5) Ex C. 12, *De Poenit.*; V. Regin., II, 36, etc. Et regulariter interea dum poenitens confitetur (S. Alphons., *l. c.*, IV). Qui non inquirit, letali non caret (Ben. XIV, C. *Apostolica constitutio*, § 19).

(6) Lugo, XVI, 590.

(7) S. Alph., VI, 607, III.

(8) S. Alph., VI, 466; V. Lugo, XVI, a n. 573. - *Alias facile errabit vel per excessum, vel per defectum* (Roncaglia, Quae. III, Cap. II).

quando numerum verosimilem inire perdifficile est, satius erit statum poenitentis animadvertere (9); maxime cum rudibus (10), vel habituatis (11), et quoad actus internos (12). Demum *caute* - ne aliquis, et pueri cum primis, male discant quae bene ignorant, maxime in lubricis, *si cavere velit et proprium, et alterius periculum* (13). Sed nec in confessiones praeteritas inquirere consultum est: verum si evidenter appareat fuisse *sacrilegas*, moneat poenitentem, ut eas repetat; sin *irritas*, taceat; si is versetur in bona fide (14).

334. At ea quae ad confessionem non pertinent nullimode inquirat; et in primis nomen ipsius poenitentis, aut complicis. Qui nomen complicis quaerit et reticenti absolutionem negat, letali non caret (15). Nihilominus circumstantias explorare quae scitu necessariae sunt, ut confessarius vel conscientiae poenitentis (qui forte versatur in occasione proxima) vel integritati confessionis consulat, nullo iure vetitum est; licet forte exinde complex appareat (16).

(9) Caiet.; Navarr.; S. Alph., VI, 466 - *Et quando nullus numerus, neque probabilis, neque verisimilis, haberi potest, melius faciet si poenitentes inducat, ut simpliciter aperiant statum suum, modum vivendi, consuetudines, occasiones, quam eos torquendo circa numerum peccatorum* (Sporer, 451).

(10) Lugo, XVI, 575; Croix, VI, II, 935.

(11) Navarr., VI, 5. Utputa cum meretrice inveterata (Ronca., *l. c.*, Reg. 2), cum his qui foeminas quascumque sibi occurrentes passim turpiter concupiscunt, qui passim detrahunt, furantur (Lugo, XVI, 576), qui odium, vel turpes cogitationes fovent: sed satis erit animadvertere quanto tempore his haeserint. Ceterum si aliquas species graviores recensere possint, v. c., incestus, adulteria, sacrilegia, ea profecto recensere debent (Vasq., Quaest. 91, Art. 1, dub. 5, n. 3).

(12) Vasq.; Diana; Lugo, XVI, 573.

(13) Ronca., Quae. III, Cap. II, Reg. 2; Lugo, XVI, 595. De his igitur interroget generatim: si poenitens minime intelligat, ad alia caute divertat; si intelligat, sensim ad peculiaria descendat; verum interroget sobrie et paucis (Laym., XIII, 7), etiam cum *integritatis* detrimento, quia spurcitiae huiusmodi quo magis moventur eo magis foetent (Busemb., ap. S. Alph., VI, 632).

(14) Bened. XIV, Not. 84 in fi. Utputa si fuit absolutus a confessario iurisdictionem non habente.

(15) Ben. XIV, C. *Ubi primum*. Et si quis ausus fuerit docere, *privatim* quoque, licitam esse praxim huiusmodi (idest et *exquirere*, etc., et reticenti absolutionem *denegare*); vel eam defendere seu voce seu scriptis, excommunicationem subit ipso iure R. P. r. (Ben. XIV. CC. *Suprema - Ubi Primum - Ad eradicandam;* Pius IX, C. *Apostolicae Sedis;* Prol., § 391, 1°).

(16) S. Alph., VI, 491 in fi. - V. c., an mulier, cum qua poenitens peccavit turpiter, secum habitet; dum ne aliud non necessarium inquirat, e. g., an ea mulier sit ancilla (Ballerini, ad Gury, II, 502). An igitur si poenitens dixerit esse consanguineam, quaerere possit *quo gradu?*

Quid si poenitens reticeat aliquid grave tibi, confessario eius, haud inscio? Dicam plane quod sentio: primum interroga indirecte et velut a longe; tum, nisi ex aliena confessione resciveris (17), proprius, sed caute, ne ille vel suspicetur a quo resciveris, vel tibi succenseat: negantem, si tibi non plane constet poenitentem sacrilege negare (idest et peccatum admisisse, et reticendi causam nullam habere), sub conditione; secus nullatenus eum absolve (18); sed super ipso dissimulanter aliquid ora, et dimitte (19): at generatim et prudenter admonitum, nullam et sacrilegam confessionem facere eos, qui grave aliquid reticent.

335. Deinde, qua minister, animadvertere debet, ne sacramento dolor aut propositum desit; *et usquedum fiat* de hac re *moraliter certus*, non potest absolvere poenitentem (20). *Ne dolor;* et quoad dolorem non sufficit si poenitens affirmet se dolere, nisi hoc aliquatenus exterius appareat, quippe materia est dolor, quam, ut dixi, sensibilem esse oportet: verum heic sufficiunt indicia probabilia (21). Itaque si ex his iudicaverit dolorem *omnino non defuisse*, poenitentem absolvat (22); sin, contra, omnino deesse putet, studeat maiori qua potest caritate ad contritionem adducere, nec antea dimittat quam intellexerit se oleum et operam perdere; et tunc humanissimis verbis a se dimittat, orans et obtestans in visceribus I. C., ut redeat, et quantocyus redeat: sin denique graviter dubitet ne desit omnino, absolutionem differat; nisi aliud *exigat notabile detrimentum animae poenitentis;* vel gravis necessitas suscipiendi aliquod vivorum sacramentum, puta confirmationem, communionem. Sed sub conditione danda est (23). *Ne propositum;* ideoque animum advertere debet, utrum poenitenti statutum revera

Non puto: nam quorsum, nisi ut intelligat ne forte pater filiam cognoverit, an matrem filius? (Par. II., § 69, n. 58) at casus rarissimus est.

(17) Elbel., *De Poenit. Conf.*, XIII, 453; Laym., XIV, 25; S. Alphons., VI, 631.

(18) Suar., 32, 2, 9; Lugo, XXII, 22.

(19) Cf. S. Alph., VI, 631; Croix, VI, II, 1969.

(20) S. Alph., VI, 461.

(21) S. Alph., VI, 461.

(22) *Catech. Rom., h. t.*, n. 60. Idest, si *confessario positive non innotescat, omnino dolorem deesse* (S. Alph., *l. c.*). Nonnulli, ut experiantur, an verus sit dolor et propositum poenitentium, ponere solent ob eorum oculos iacturam bonorum, filiorum, etc.; alii vota aut iuratas promissiones extorquent; illud oppido periculosum (D. Th., Quodl. 1, Art. 9), hoc inconsultissimum (V. Croix, VI, II, 1272). Immo inconsultum est, ultra propositum, *promissionem* extorquere non peccandi de cetero.

(23) S. Alph., VI, 431, 432; Croix, VI, 11, 1770. Ut puta, si alias poenitenti diu absolutionem carendum foret; vel si metuendum sit, ne amplius revertatur, et in peccatis tabescat (S. Alph., 432, IV).

sit cavere peccata, et proximas occasiones peccandi; et si quas obligationes habet, utputa restituendi, eas implere. Heic autem credendum est poenitenti serio haec promittenti; ideoque cogendus non est suis obligationibus antea satisfacere quam absolvatur, nisi alias fidem *pluries* fefellerit (24). Demum si dubitet ne forte poenitens sit *capax* absolutionis, ut pueri, semifatui; vel ne subsit *materia circa quam;* quia poenitens admisit sola venialia forte non plane deliberata, et ex praeteritis confessionibus certi, quod in praesens confiteatur, nihil habeat: is sub conditione absolvendus erit.

ART. II. *De Officio medici.*

336. Deinde confessarius, qua medici officium gerit, morbis poenitentium mederi debet, quod non ad praesentes poenitentis dispositiones, sed ad eas quas medici *recidivas* vocant, cavendas pertinet. Hac re quae facere licite posset seu qua iudex seu qua minister, interdum qua medicus facere prohibetur (1). Morbi huiusmodi sunt habitus, occasiones, relapsus; inde habituati (consuetudinarii), occasionarii, et recidivi. Quid sit occasio, quid habitus, alias tradidi (Prol., §§ 140, 172). *Habituatus* dicitur *qui consuetudinem peccandi contraxit*: contraxisse autem intelligitur si quinquies, regulariter, per mensem, immo vel semel in lubricis, in eadem peccata relabi soleat (2). *Occasionarius* est qui versatur in occasione proxima (formali) peccandi.

337. Porro neque occasiones, neque habitus peccata ipsa sunt, nec peccandi *necessitatem* praestant, sed *periculum* tantum (3). Itaque prima vice absolutio, regulariter, danda est tum habituatis, tum his qui in occasione utcumque necessaria versantur, dummodo serio promittant haec removere, et ceteris paribus (4). His qui mo-

(24) Ex S. Antonino; Lugo, XIV, 170; Salm., 17, 2, 167.

(1) V. S. Alph., VI, 452, etc.

(2) S. Alph., *H. A.*, Tr. ult., n. 8.

(3) Lugo, XIV, 166; S. Alph., VI, 459, v. *Secunda.* Et occasiones quidem gravius, quippe quae res sensibus subiicendo, animum irritant acrius. Nihilominus cum habituatis mitius agendum est, quam cum his qui in occasione voluntaria morantur; primum quia habitus, cum semel inoleverint, nec brevi, nec facile eradicantur (S. Alph., 464); deinde quia habituati *nolentes in eadem vitia deiiciuntur* (S. Anselm., *De Simil.*, C. 189).

(4) V. S. Alph., III, 438; VI, 455, 456. *Serio – ceteris paribus;* nam et *ei, qui habet consuetudinem peccandi, si* tantum *ore proferat se dolere et proponere emendationem;* et *ei, qui in proxima occasione versatur, quam potest et non vult omittere,* negandam esse (Innoc. XI, 60, 61), palam est.

rantur in occasione voluntaria dari convenit si ea non est *in esse* (5); si est *in esse*, quidam putant adhuc dari posse (6), quidam contra, nisi prius illam removerint (7). Et hoc quidem tutius; sed utrum consultius in re praesenti, hoc in aestimatione confessoris esse debet; qui varie ex personis, loco, tempore, causis constituet, prout ei caritas et prudentia suggesserint (8).

338. *Recidivus* dicitur *qui post confessionem, admonitus licet, sine ulla vel fere ulla emendatione, in eadem peccata relabitur* (9). Itaque recidivus ante confessionem nemo est, etsi millies eadem peccata iteraverit. Nec post confessionem recidivus intelligitur, nisi, 1° cum iisdem quae iam alias confessus fuit, 2° admonitus de iis vitandis, 3° sine ulla, vel pene ulla emendatione, redierit (10). Quamobrem absolvi poterit, ceteris paribus, ex 1° qui in alia peccata prolapsus est, quoties affert vera signa doloris (11); ex 2° qui in eadem quidem, sed antea non admonitus a confessario (12); vel, ex 3° admonitus, si aliquatenus emendatus redierit, ut ecce si per aliquod tempus se continuerit (13). Amplius; etsi nihil se continuerit, si studuit pravos habitus extirpare, occasiones proximas removere aut remotas reddere, conatu licet irrito, si aut reluctans et invitus reciderit, aut praestitit ea quae sibi mandaverat confessarius (v. c., occasiones dimisit, ablata restituit), absolvendus erit; scilicet qui emendare studet, iam coepisse videtur (14). Quaestio igitur eum spectat, qui admonitus redit sine ulla vel pene ulla emendatione, et emendationis studio, et nihilominus *serio* et se dolere affirmat, et emendaturum *promittit;* et quaestio est, num et quoties iterum absolvi possit. Et intererit utrum non satis appareat an huic poenitenti neutrum revera desit (neque dolor neque

(5) S. Alph., VI, 454, v. *Dubitatur* 3°.

(6) Suar.; Lugo, XIV, 150; V. S. Alph., VI, 454.

(7) S. Alph., *l. c.;* ibiq. S. Carol. Borrom.; et Segneri, *Confess. Istruito*, Cap. 5.

(8) V. Salm., 6, 5, 68.

(9) Segneri, *Crist. Istr.*, P. 3, Disc. 22; S. Alph., VI, 459, v. *Recidivus; H. A.*, Tr. ult., n. 9. Vel *fere* ulla; scilicet *minimum pro nihilo reputatur;* quod heic velim ne excidat.

(10) Cf. Ludov. a Granata, *De Confes. Recidiv.*, § 1.

(11) S. Alph., VI, 459. v. *Secunda.* Ex *Matth.*, XVIII, 22. Quo Christus respondit peccanti, nedum septies dimittendum esse, verum *septuagies septies*, idest quoties poenitens veniam orat.

(12) Salm., 17, 2, 167.

(13) V. S. Alph., VI, 505 in fi.

(14) Laym., IV, 10; Lugo, XIV, 166; Croix, VI, II, 1821; S. Alph., VI, 460, v. *Minor.*

propositum), an appareat sufficienter neutrum ei revera deesse; sive, uti Nostri aiunt, utrum sit dubie, an certo dispositus (15).

339. In priori casu (quem Nostri, et maxime recentiores cum primis versant) quaestio haec est, utrum et quousque ei credendum sit. Quidam igitur tenent ei *semper* credendum esse, quippe ipse testis est seu contra se, seu pro se, et *si fuerit illusor solus portabit malum;* alii, contra, *nunquam,* quia relapsus prudentem *suspicionem dat quod sua poenitentia non sit vera;* alii demum *adhuc alias*, sed non semper: ideoque ILLI tenent eum toties absolvi posse quoties iterum redit, etsi iudicetur relapsurus (16); ISTI contra numquam deinceps (17). *Primum* laxum; nam cui prudenti non suspecta ea fides est, quam quis semper fefellit? severius *alterum,* quia poenitens non est talis testis ut, si fidem semel fefellerit, illico fidem amittat; et *relapsus, tametsi praebeat aliquam suspicionem, non tamen certum exhibet signum indispositionis* (18); ideoque *tertium* et verius et aequius puto: videamus igitur quoties is deinceps absolvi possit. Quidam aiunt *saepe* (19) vel *saepius* (20) vel *pluries* (21); verum hoc nimis genericum est: alii *semel et iterum* (22); sed et hoc severiusculum: alii *ter* (23), alii *ter* vel *quater*, et gravissimi sunt (24). His adhaereo, verum generatim: etenim

(15) Cf. *Vindic. Ligor.*. Par. VI, *De Recidiv.;* et Ballerini, ad Gury, II, 632. Porro *heic* ad medici officium pertinent ea solum quae Nostri tradunt de certo dispositis: nam quae de dubie dispositis versant, magis ad officium iudicis et ministri spectare videntur.

(16) Ioann. Sancius (V. Prol., § 9, n. 89), *Select. Disput.*, 10, n. 16; Sporer, Cap. II; 330; Faure, *Dubitat. Theol.*, etc., Dub. II, § 3; Salvatori, *Istruz. Prat.*, etc., Par. II, § 1. Et, ex recentioribus, Ballerini, ad Gury, *l. c.* Haec sententia nova vel ipsi Dianae visa est, qui nec tutam dicere ausus fuit (Dia., P. I, Tract. VII, Res. 55).

(17) S. Alph., VI, 459, v. *Dicunt; H. A.*, XXI, 9; *Vindic. Ligoria., l. c.*

(18) S. Alph., cit. n. 459, v. *Secunda pars.*

(19) Sanch., *Decal.*, II, 32, 45.

(20) Suar., *De Relig.*, To. II, Tr. V, Lib. III, Cap. VIII, n. 7; Lugo, XIV, 156; Salm., 17, 2, 16. Huc pertinent qui negant recidivum inabsolutum dimittendum esse, nisi post *praeteritas* (Vega) post *elapsas* (De Graffiis), post *multas* (Lugo, XIV, 166) confessiones.

(21) B. Medina, *Instr. Confess.*, Lib. I, C. XIV, § 5; Lopez, *Instr. Consc.*, P. I, C. 25.

(22) Palaus, Tr. XIV, Disp. I, P. IX, n. 6; Tanner, *l. c.*, Disp. VI, q. 9, dub. 5, n. 9.

(23) De Prado, Cap. 32, Qu. VIII, n. 20; S. Leonardus a Portu Mauritii, *Discorso Mistico*, n. 14.

(24) Trull., Lib. II, Cap. I, D. 10, n. 10; Less., *Actuarium*, v. *Confessarius*, Cas. 7; Sanch., Laym., Lugo, Pal., Viva, Sporer, et *alii*, ap. S. Alph., VI, 459, v. *Dicunt.* Porro heic admonendi sumus, veteres TT. recidivum accipere, non eum qui post primam, sed qui post plures confessiones in eadem peccata

adhuc mitius agendum puto cum his qui, non tam ex animi pravitate reciderint, quam potius, 1° quadam quasi morali *necessitate,* prout hi qui versantur in occasione necessaria, seu physice, seu moraliter (25); aut, 2° *fragilitate* naturae (26), velut habituati (27); vel, 3° in his reciderint quae facile obrepunt, excidunt, ceu sunt *peccata interna*, vel *oris* (28). Scilicet his emendationem promittentibus facilior habenda est fides.

340. Nunc de his quos satis apparet esse dispositos. Principio, ut absolutio valeat, praesenti dolore ac proposito, non emendatione futura, opus est; quamobrem si confessarius hos absolvat, culpandus non est seu qua iudex, seu qua minister: at vero, qua medici gerit officium, quaerimus, num licite iterum absolvat poenitentem quoties iterum redit? Affirmant plures, et Lugoni est *communis, et vera sententia* (29): negat S. Alphonsus (30). Quaestio haec *ex spe* emendationis expedienda videtur (31); ex hac enim pendet salus aeterna poenitentis: spes autem in aestimatione confessarii esse debet. Verum quando nulla amplius apparet *probabilis* spes emendationis, poenitens non est amplius absolvendus (32); quam autem spem *probabilem* iniicere potest confessario is qui semper ei verba dedit, qui ad bonam frugem nunquam rediit, nec redire studuit? nimia autem indulgentia medici depravat morbum, aegrotum enecat. Ceterum mitius agendum est cum his qui versantur in occasione moraliter necessaria, et maxime cum habituatis; illi enim graviori difficultate, hi infirmitate graviori laborant (33).

relabitur (Ballerini, ad Gury, II, 632); et plurimos esse testatur, cl. Berardi (*De Recidivis*, n. 43). Quamobrem recidivi et consuetudinarii vix apud eos differunt. Et ipsae *Vindic. Ligorianae* monent, ex mente S. Alphonsi in Opere cui tit. *Il Confessore diretto* (Cap. XV, 13), *recidivum* (formalem) censendum esse illum *tantum, qui habitum peccandi contraxit* (*De Recidiv.*,Cap. I, p. 276, Edit. 1874).

(25) V. S. Alph. VI, 454 pr., v. *Sed hic.*

(26) Cf. Giordanini, *Istruz. pei novelli Confessori,* Part. I, Cap. 18; S. Alph. VI, 459; *H. A.*, Tr. ult., § 11.

(27) V. S. Alph. *H. A.*, cit. § 11; ex Giordan., cit. P. I, Cap. IX, 213.

(28) Sporer, n. 330; Croix, VI, II, 1822, ibiq. Laym., Filiucc., Lugo. Utputa peccata odii, irae, iuramenta temere prolata, blasphemiae, turpes cogitationes, mollities (Croix, *l. c.;* V. S. Alph., VI, 463; *H. A.*, Tr..., n. 14; *Prax. Confess.*, n. 76).

(29) Lugo, XIV, 166. Sed monet non facile credendum esse poenitenti se dispositum asserenti.

(30) S. Alph., VI, 457; *Prax. Conf.,* n. 71.

(31) S. Leonar., cit. *Disc. mistico,* § 15.

(32) Ex Innoc. XI, 60; Mazzotta, Disp. II, Quae. 4. § 3.

(33) *Mitius, maxime* cum *habituatis:* sane ipsemet S. Alph., utens verbis Giordanini, semel et iterum dicit *quod recidivus propter vim mali habitus absolvi debet semper*

341. Verum quae hactenus diximus de recidivis, ad eos non pertinent qui afferunt signum aliquod peculiare seu uberioris gratiae, seu doloris intensioris, seu firmioris propositi; scilicet haec dubie dispositis *fidem* conciliant, in certe dispositis *spem* emendationis augent; et ideo absolvi posse quoties iterum redeunt nemo dubitat (34). Sed neque ad eos pertinent quibus absolutio negari non potest sine incommodo gravi, quae communissima sententia est (35): itaque his absolutio dari potest; immo danda est quoties sine gravi spirituali detrimento eis negari (§ 204, n. 25); immo (si non dubie dispositi sint) quoties sine gravi eorum damno, vel temporali tantum, differri nequiret.

342. Vidimus quibus danda, quibus neganda sit absolutio: restat ut videamus utrum confessarius possit, utrum debeat quandoque mediam viam inire, eam differendo. Et *dubie* dispositis debet pro-

ac firmam ostendit valuntatem adhibendi media ad emendationem; (S. Alph., *H. A.*, Tr. ult., n. 11; et in *Prax. Confess.*, n. 73). Sed cum adolescentibus reor non eousque esse indulgendum in lubricis, quia: *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea:* alias, *ossa eius implebuntur vitiis adolescentiae eius, et cum eo in pulvere dormient.* At quod plures, immo *plurimi* (Croix, V, 261), docent, in his Lugo (XIV, 157), eos qui in occasione moraliter necessaria versantur nunquam non absolvi posse, quomodo componi possit cum eo disertissimo Dominico praecepto - *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum abs te* (*Marci,* XI, 45, *Lucae,* IX, 25), nequeo penitus intelligere; ideo ab aliis merito reiicitur (Croix, VI, II, 1831; S. Alph., VI, 457).

(34) S. Alph., VI, 459, v. *Secunda.* Signa haec, quae nos cum Lugone (XIV, 166) *peculiaria* diximus, alii *specialia* vocant (Laym., IV, 10; Voit, n. 711); alii *maiora* (Henriq., Lib. I, Cap. 24, n. 4); alii *non ordinaria* (Segneri, *Confess. Istruito,* C. IV); S. Alph. (*l. c.*) *extraordinaria,* verbo potius quam sensu inconcinno. Eaque diligentissime undique conquisita recenset. Potiora haec sunt: I *Gratiae:* utputa, 1° si veniat permotus morte alicuius consanguinei vel amici, calamitate publica vel privata, vel post concionem auditam: vel 2° sponte prorsus (non praecepto aliquo, vel ratione solemnitatis, vel patrio more ductus), vel, hodie, spreto contemptu et irrisione malorum: vel, 3° non sine aliqua difficultate, utputa si longum iter fecit, si eius diei lucrum amisit. II *Doloris:* ut ecce, 1° si confitetur non sine lacrymis, suspiriis, etc., (quamquam his non facile habenda est fides, maxime in foeminis): vel, 2° cum maiori quam antea effusione cordis; aut si peccata confiteatur, quae prius culpabiliter praetermiserat: vel 3° si, post confessoris admonitionem, significet, se et suas iniquitates, et pericula sua melius agnoscere. III *Propositi;* velut 1° si dicat, se post peccatum statim poenituisse: vel, 2° si satisfaciendi se cupidum ostendat, si magnam poenitentiam libenter acceptet, si ex seipso protestetur, mori se malle, quam relabi (S. Alph., VI, 460). Ex quibus denique apparet S. Doctorem sententiam suam, adeo temperasse, ut in praxi ei locus vix esse possit, aut ne vix quidem.

(35) *Vindic. Alph.*, P. VI, C. I, Art. 3, in fine.

fecto (36), nempe quasi iudex ad probationem (dispositionum) supplendam; *certe* dispositis, quasi iudex absolutionem dare quidem debet, sed quasi medicus non cogitur statim dare (37). Immo, si id ad curationem poenitentis necessarium duxerit, debebit eam differre (38); sin utilius, poterit. Itaque in aestimatione ipsius erit, utrum magis expediat eam protinus dare, ne poenitens interim careat gratia sacramentali (quae proculdubio vires addit peccatis cavendis); an consultius sit, vel an etiam oporteat illam differre, ut is peccati sui gravitatem, aut periculum altius sentiat, et a peccato deterreatur. Hac in re *nulla certa regula statui potest* (39); nihilominus omnes haec docent.

343. I. Eis quibus dilatio magis obfutura est quam profutura, nec expedit nec licet absolutionem differre (40). II. Non expedit, regulariter, eam differre his qui peculiaria signa doloris exhibent (41), nec relapsis ex intrinseca fragilitate (42). III. Quoad ceteros, regulariter, satius est habituatis dare, haerentibus in occasione vel necessaria differre (43). IV. Si confessarius non satis perspiciat, utrum expediat magis, regulariter, poenitentem absolvere non minus iustius est quam tutius. Quando autem differenda est, habituatis (atque ideo, ut puto, et his qui versantur in occasione involuntaria), regulariter, non ultra 7^{m} vel 8^{m} diem differenda est: ultra 20^{m} nemini (44): his qui morantur in occasione voluntaria differenda est, quoad illam dimiserint.

(36) Lugo, XIV, 168; Croix, VI, II, 1765; S. Alph. VI, 461.

(37) Lugo, 169; Croix, 1764; S. Alphons., 462.

(38) Carden., *Cris.*, II, Diss. XIII; Viva, in Inn. XI, 60, n. 8; Salm., V, 5, 68; Roncaglia, Qu. V. Cap. IV, q. 5; S. Alph., *l. c.*

(39) S. Alph., VI, 463, v. *Magnum*. Nec probandi sunt quibus hoc remedium absolute placet, ut Hurtado (Tr. I, Resol., 21); vel absolute displicet, ceu Dicastillo, (Disp., 10, dub. 29, n. 573). Sed varie aestimari debet ex rerum adiunctis (Salm., 6, 5, 68; et maxime, 1° ex *peccatis* - quasi morbis - nam quis acque indulgeat, v. c., his qui furta, et his qui actus odii iteraverint? 2° ex *personis* - quasi aegrotis - *nam remedia, quae aliquibus prosunt, aliis possunt nocere propter diversas infirmorum dispositiones* (Cardenas). Et 3° demum, si quid iudico, ex *tempore*: sane olim opinio communis fuit, dilatam absolutionem, regulariter, prodesse magis quam obesse; at, hac nostra aetate, vereor ne contra accidat.

(40) Sanch; Lugo; Salm., S. Alphons., VI, 463, pr.

(41) S. Alph. VI, 464, in fine.

(42) S. Alph., VI, 463. Ut puta relapsis *in peccatis irae, odii, mollitiei* (S. Alphons., *H. A.*, Tr. ult., n. 14).

(43) S. Alph., *Prax Conf.*, n. 77, Nempe quoad physice necessariam remotam reddiderint, necessariam moraliter extruserint.

(44) S. Alph., VI, 463, v. *Ut autem*.

ART. III. *De Officio doctoris.*

344. Doctoris officium est, docere quae quis ignorat. Age nunc, confessarius *alia* poenitentem docere debet qua confessarius, *alia* qua proximus eius est: illa ex officio, ideoque sub gravi semper; haec ex caritate, ideoque si et desit alius qui doceat poenitentem, et ipse possit eum docere sine incommodo gravi. Itaque *ex primo* capite necesse habet poenitentem edocere ea quae pertinent ad sacramentum suscipiendum; idest *et ea* quae sciri debent necessitate medii, quatenus hic et nunc opus est (1); *et ea* quae ad dolorem et propositum, atque ideo ad relapsus cavendos pertinent (2), et ea quae poenitens in suae animae perniciem ignorat (3). Ex *altero* vero docere debet obligationes quibus tenetur: nempe si et certo in iure versamur, et admonitio ei, qui in bona prorsus fide versatur, non magis obfutura timeatur quam profutura (Par. II., § 83, n. 16).

345. Dixi, 1° *si certo* etc.; nam si lex dubia sit, et alia sententia placeat poenitenti, alia confessori placeat, is non potest cogere poenitentem ut in suam sententiam discedat (Prol., § 263). Nec licet causare quod iudex est confessarius, iudex autem ex sua, non ex aliena sententia, ius dicere debet: utique iudex est confessarius, sed eorum quae sive ad suam iurisdictionem, sive ad poenitentis dispositiones pertinent; opinionum non item (4). Quocirca est gravis iniustitia (§ 354) poenitentem inabsolutum dimittere, eo quod in sententiam confessoris ire nolit, quamdiu sententia eius *non sit omnino improbabilis ex evidenti ratione, vel ex definitione Ecclesiae* (V. Prol., § 263). Aliud iuris erit, si opinio sit ex his quae fovent proximum peccandi periculum, quippe opiniones huiusmodi pertinent ad dispositiones, quarum iudex est confessarius (5). Dixi, 2° *et admonitio* etc.; quid igitur in dubio, utrum profutura sit, an obfutura? Nostri docent comparandam esse utilitatem du-

(1) Sporer, *h. t.*, 796; V. Lugo, D. 22, Sect. 2.

(2) Sanch., *M.*, II, 38; Lugo, XXII, 23.

(3) Lugo, *l. c.;* Croix, VI, II, 1757, VII, § 83, v. *Docendo:* Ut ecce si putet mollitiem non esse peccatum, ne pessimum habitum induat, serius difficillime emendaturus (Croix, n. VI, II, 1758; V. § 341, n. 33).

(4) S. Alph., VI, 604; V. Par. II., § 83, n. 16; *Bona fide.* Quid igitur si ipse de his interroget confessarium? V. Par. II., § 83, n. 16.

(5) S. Alph., *l. c.*, v. *Dices.*

biam cum damno dubio, et quod praeponderat eligendum (6); sed, verius regulariter, tacere oportet, quando periculosum est loqui (7).

SECTIO III.

Communia confessariorum et poenitentium.

CAPUT I.

DE SATISFACTIONE.

346. Satisfactio (sacramentalis) lata significatione, est: *opus peccatis tum luendis tum cavendis a confessario iniunctum, a poenitente praestandum.* Inde est et vindicativa, et medicinalis: illa *reo* applicatur, haec *infirmo*; illam proinde iustitia, hanc caritas exigit. Ideoque illa, magis quam haec, poenitentiae pars est, qua luitur pars poenae temporalis Deo pro peccatis debitae (1): quae idcirco melius definitur: *iniuriae Deo illatae per opus bonum aliquod compensatio.* Constare debet ex opere nedum bono, sed et poenali (2), et libero, idest non debito ex alio capite (3). Nihilominus, quia nullum est opus bonum quo sine ullo prorsus labore defungimur, omnia opera bona satisfactoria esse possunt (4); et quia Deus dives est in misericordia, et operi alias debito nova virtus probabilius accedit ex *opere operato* (idest ex virtute clavium et sacramenti), opera quoque debita ex alio capite imponi possunt ex iusta causa (5): dummodo debita non fuerint ex alia satisfactione sacramentali.

347. Itaque confessarius necesse habet satisfactiones imponere, etiam lucrantibus iubilaeum; quippe quae pertinent ad integritatem confessionis (6). Has autem iure quidem suo imponit, atque ideo pro suo arbitrio (7); sed *convenientes et salutares* (8). Hac re *vindicativas* metiri debet ex gravitate peccatorum; ideo pro venialibus, aut letalibus alias confessis, leves; pro letalibus graves, nisi poenitens vel contritus supra modum videatur (9), vel alias satisfecerit, aut satisfacere possit ex thesauro Ecclesiae (10). *Medi-*

(6) Lugo, XXIII, 31; Croix, VI, II, 1759.
(7) Concina; S. Alph., VI, 616, in fin.
(1) Suar., 37, 1, 1.
(2) Supplem. D. Th., III, 15, 1,
(3) V. S. Alph., VI, 513.
(4) S. Alph., VI, 514.
(5) Suar., 38, 2, 10; S. Alph., VI, 513.
(6) Bened., XIV, C. *Inter praeteritas.*
(7) S. Hieron., in C. 86, *De Poenitent.*, Dist. 1; S. Alph., VI, 518.
(8) Trid. XIV: *h. t.* 8. Et sive ante, sive post absolutionem eas imponere potest.
(9) Salm., 6, 10, 44.
(10) Tolet., III, XI, 8; Laym., XV, 12.

cinales ex infirmitate poenitentis, et maxime ex occasionibus, pravis habitibus; et regulariter contrarias peccatis, et interdum graves quoque pro venialibus quae ad mortalia disponunt, nisi poenitens sibi aliter cavere malit (11). Nihilominus virium quoque poenitentis habenda est ratio: seu corporis, ut ecce aetatis, valetudinis, sexus, status etc. (12); seu animi (13), quod nedum caritas suggerit, sed et ipsum sacramentum, quod ad peccatores reconciliandos, non ad satisfaciendum Deo, institutum est (14). Quamobrem si praevideat poenitentem graves (licet iustas) non impleturum, leviores imponat, graviores consulat (15); vel imponat opus alias debitum (16). Variis, aut nimis diuturnis abstineat, et in primis his quae poenitentem quoquo modo prodere possent (17). Qui nullam satisfactionem imponit culpa non vacat; ideoque gravi, si debuisset gravem imponere (18). At si plus aequo leviores imponit, a letali excusatur, primo quia *misericors Dominus*, deinde quia graviores differt; nisi plane levissimas pro gravissimis peccatis iniunxerit; istae enim qua vindicativae pro nullis reputantur, qua medicinales magis peccandi licentiam fovent (19).

348. Et, ex diverso, poenitens tenetur iniunctas sibi satisfactiones acceptare, et implere (20); nisi forte confessio irrita fuerit. I° *Acceptare*; et si graves detrectet pro gravibus, et absolvi nihilominus velit, gravi non caret; nisi forte b. f. eas graviores putet (21). At si revera clavis erraverit, aut aliquid supervenerit quod impositam satisfactionem graviorem reddit, non prohibetur commutationem eius petere; etiam ab alio confessore, quippe uterque Christi vices gerit (22). Verum nova satisfactio sacramentalis esse debet, ideo nova

(11) Suar., 38, 7, 7; V. S. Alphon., VI, 517.

(12) Ex C. 1, Can. 26, 6.

(13) Ex Rit. Rom., *h. t.* 12.

(14) Suar., 38, 6, 5. Proinde *si aliquando expedire viderit, interroget* (poenitentem), *an possit, vel dubitet poenitentiam sibi iniunctam peragere, alioquin eam mutabit, aut minuet* (S. Carol., *Instr. ad Confess.*).

(15) S. Alph., VI, 510. Vel disiunctivas imponat; *fac hoc si potes, et si non potes facias hoc* (D. Th., Quodl., 3, art. 18).

(16) S. Alph., VI, 513, d. I. Aut implendam (si impleri sic possit) ceu *Rosarium* dum adest sacro die festo (V. Prol., § 168, n. 44).

(17) V. S. Alph. VI, 512. Pueris autem praecipere, ut a parentibus veniam petant, *generatim*, inconsultum; *speciatim*, v. c., propter inobedientias, furtula, etc., sacrilegium est.

(18) Salm. 6, 10, 19.

(19) Ex Trid., XIV, *h. t.*, 8.

(20) Suar., 38, 7, 2; Lugo, XXV, 68. Et nedum pro letalibus, sed et pro levibus quae ad mortalia disponunt (S. Alph., 516, 517).

(21) V. S. Alph., VI, 516.

(22) Suar., 38, 10, 5; Lugo, XXV, 101; Salm., 6, 10, 71. Non vero im-

absolutione (23), ac proinde nova confessione opus habet: verum si poenitens adit eumdem confessarium, et is praeteritae confessionis meminit, saltem in confuso, satis sibi erit dicere, *de his iterum me accuso* (§ 171, n. 53). Quid, si aut confessarius non meminit, aut alius sit? quidam putant, eum non posse novas satisfactiones decernere incognita causa et morbo: alii contra putant, quia haec satis innotescunt ex priori satisfactione, si poenitens eius meminit (24). II° *Implere:* nempe, 1° eam quam confessarius imposuit, vel commutavit (Prol., § 166, n. 29). 2° Intra tempus a confessario definitum; immo citius, si praevideat alias se vel impeditum iri (Prol., § 167, n. 34), vel (si medicinalis ea sit) relapsurum; et si nullum tempus definitum fuerit, quamprimum. Qui eam differt per sex menses (si implenda est sub letali) a letali vix excusatur, aut ne vix quidem (25); nec liberatur, si diei fuerat adscripta, eo exacto (26). 3° Regulariter per seipsum, si in faciendo consistat (27). Qui satisfactionem negligit, vel partem, vel circumstantiam illius, peccat graviter, si et illa sit gravis et imposita pro letalibus, vel pro venialibus quae ad letalia disponunt (28): alias peccat leviter, seu levis ea sit, imposita pro peccatis gravibus, quod iam fere nemo dubitat (29); seu gravis pro venialibus imposita, quae mihi verior sententia est (30). At is qui eam implet postquam reincidit in mortale, satisfacit, quia opus poenale esse non desinit, sed

positae a Superiore (propter casus reservatos), quia inferior mutare eius sententiam non potest; nisi forte Superior adiri nequeat sine incommodo gravi (S. Alph., VI, 529, d. 2).

(23) Lugo, nn. 108, 110; Salm., nn. 71, 74. Nisi confessarius eam ab absolutione statim commutet, quia iudicium adhuc moraliter perseverat (Suar., *l. c.*, n. 3).

(24) S. Alphons., VI, 502, d. 2, 529, d. 1.

(25) V. S. Alph., VI, 521.

(26) Suar., 37, 7, 6; S. Alph., VI, 525. V. c. si iussus fuerit ieiunare in pervigilio B. M. V. sine labe conceptae. Nam id, si vindicativa ea est, iustitia (Prol., § 167, n. 35), sin medicinalis, sua infirmitas exigit.

(27) Alex. VII, 15. Vindicativas impleri posse per alium, auctoritate confessarii, tenent multi, in his Suar. (38, 9, 1; V. Lugo, XXV, 79). Ad haec impleri debent ex verosimili intentione eas imponentis: itaque iussus, v. c., duas missas audire, vel unam quotidie per mensem, non poterit illinc binis interesse eodem tempore (Croix, VI, II, 1281, 1291); et, contra, non cogitur bis eam audire diebus festis (Salm., 6, 10, 30).

(28) Lugo, XXV, 68 Porro gravis materia est *Rosarium*, etsi quinque decadum tantum; levis *Miserere* (S. Alph., VI, 515).

(29) S. Alph., VI, 517; Proleg., § 175, n. 94.

(30) Suar., 38, 7, 4; Laym., XV, 7. Et satis probabile est S. Alph., *l. c.* Contra plures; in his Lugo (XXV, 64).

caret fructu ex opere operato (31). Cessat autem si facta fuerit impossibilis seu physice, seu moraliter (32); ideoque si exciderit poenitenti, et nec confessarius illius recordetur (33).

CAPUT II.

DE SUPPLENDIS CONFESSIONUM DEFECTIBUS.

349. Si defectus in confessione irrepserint, ab eo reparari debent cuius culpa irrepserunt; seu poenitente videlicet, seu confessario (1): a poenitente ordiamur. Is reparat iterando confessionem : nempe, *regulariter si certo moraliter constet* invalidam fuisse, quia eam iterato facere onus grave est (2). Itaque videamus, utrum confessio fuerit valida, an nulla, vel an utra fuerit (valida an nulla) non satis appareat.

350. Si fuit valida, defectus obrepere potuit circa integritatem tantum; nempe quia poenitens, 1° vel aliquid omisit inculpabiliter; vel, 2° numerum peccatorum non adamussim recensuit; vel, 3° confessus est aliquid dubitans. Si quid omisit, vel circumstantias explicatu necessarias, haec proculdubio confitenda sunt (3). Huc pertinent ea quae confessarius non percepit aure, et ea quorum gravitatem in facto errans, non intellexit (4); et si poenitens nesciat quaenam ille non percepit, non intellexit, necesse habet confiteri omnia ex integro, nempe si confessio (quod aequitate receptum est) *brevis* fuerit (5). Si numerum peccatorum non adamussim recensuit, siquidem dixit se blasphemasse, v. c., decies circiter,

(31) Lugo XXV, 31; Salm., 6, 10, 76. - *Satisfacit* (S. Alph., VI, 522). Ergo non peccat letaliter: verum quia *caret* fructu ex opere operato, leviter contra sui caritatem peccavit cum distulit.

(32) Suar., 38, 10, 1. Ideo nulla commutatione, vel alio opere, eget (Suarez, *ib.;* Croix, VI, II, 1275; V. Prol., § 166, n. 29).

(33) Lugo, XXV, 87. Quamvis ei exciderit culpa sua (Salm., 6, 10, 83). Ideoque, verius non cogitur denuo confiteri, ut suppleatur (Spor., 552; Croix, *l. c.*; V. S. Alph., 520).

(1) V. Lugo, Disp. XVI, Sect. XV.

(2) S. Alph. VI, 505, 520 in fi.

(3) Ex Trid., XIV, *h. t.* 5; Lugo, XVI, 588; a pueris quoque et rusticis (S. Alph., VI, 504), *Circumstantias ;* an igitur et peccati substantiam denuo confiteri debeat? Utique, si illam explicare aliter nequeat, utputa si nuptam cognovit; alias non, ut ecce si cognovit obstrictam voto castitatis (Lugo, XVI, 649; Croix, VI, II, 1135).

(4) Suar., 22, 7, 4; S. Alph., VI, 499, *In facto.*

(5) Salm., 6, 9, 24. OMNIA, quasi peccata de quibus dubitas, an confessus fueris (§ 170, n. 46), *cum eadem omnino sit ratio* (Lugo, XVI, 610); nempe *si prudenter de singulis dubitari possit an hoc peccatum audivit* (Lugo, 607); nam alias *omne factum praesumitur recte factum.* NISI, etc. (Salm., n. 24; S. Alph., VI, 499; *H. A.*, XVI, 42).

et postea recordetur blasphemasse duodecies, obtinuit non oportere ea confiteri denuo, quia *duo* in illo adverbio *circiter* contineri intelliguntur (6): sin ea confessus est in confuso, ceu plerumque rudes, pueri, consuetudinarii, et nunc distincte memoriae subeunt, haec utrum nunc explicare debeat non satis convenit (7). Nec convenit satis, utrum is qui peccatum quasi dubium confessus fuit, si postea eius certo meminerit, teneatur illud confiteri denuo: sed si is qui dixit se blasphemasse *decies circiter* non tenetur, consequens est dicere neque hunc verius teneri, nam et ea quae illo adverbio *circiter* continentur quasi dubia confiteri palam est (8).

351. Confessio est nulla, quando aliquid deest ex his, quae ad eius substantiam pertinent. Et siquidem hoc defuit citra omnem poenitentis culpam, *invalida* simpliciter; sin culpa ipsius, *sacrilega* proprio nomine dici solet. Utraque igitur repetenda foret: nihilominus si fuit *invalida*, non sunt inquietandi qui bona fide tenent, se rite confessos fuisse (9): sin *sacrilega*, omnino repetenda est. At numquam est repetenda confessio intermedia, si forte valida fuerit (10).

(6) Sporer, 449; S. Alph., VI, 466.

(7) Segneri, ap. S. Alph. VI, 504, v. *Dicit* II; Lugo, XVI, 579, 582, ibique Vasq., negant, quia is, qui eo quo potuit modo legem implevit, lege solutus est: affirmat S. Alph. (*l. c.*), quia lex et formalem (qua is implevit), et materialem (quam nondum implevit) integritatem exigit. Ex quo patet quid sentiendum sit in ea adhuc obscuriore quaestione; utrum poenitens teneatur praeteritas huiusmodi confessiones distinctius repetere, si id possit maiori adhibita diligentia, vel ope confessarii: sane si prior illa obligatio incerta est, haec profecto erit incertior.

(8) Lugo, XVI, 78. Est et alia urgens ratio, quia hoc peccatum iam *directe* fuit absolutum. Alii contra putant, quia peccatum nec fuit expositum *uti erat in conscientia*, prout (aiunt) Trident. praecipit; nec *explicita fuit substantia peccati, quae consistit in eius cognita gravitate* (S. Alph., VI, 478). At, pace S. Doctoris nostri, haec ratio mihi difficilis est, non enim super gravitate peccati (v. c., blasphemiae, periurii) dubium cadit, sed super peccato ipso; confessarius autem aut hoc peccatum (blasphemiam, periurium) absolvit, aut nihil prorsus. Tridentinum vero non iubet confiteri peccatum prout est in conscientia (V, S. Alph., VI, 474), sed iubet poenitentes peccata sua confiteri *quorum conscientiam habent;* quae duo sane distant (S. Alphons., cit. n. 474): et si praeciperet, quia ea semel confessus fuit quasi dubia, iam praecepto defunctus esset. Pro posteriori sententiam *Vindicae Ligor.* (Par. V, Quae. VII) septem supra 30; Baller. autem (ad Gury, II, 480) octo et 30 AA. pro priori recenset. Sane vota, et censurae dubiae semel dispensata, vel absolutae, nova dispensatione, absolutione non egent: cur non idem iuris est in peccatis? (Sporer, 397). Utcumque lex dubia est.

(9) Ex S. C. C., 11 decem. 1683, ap. Bened. XIV, Not. 84, in fi.

(10) Lugo, XVI, 599; Croix, VI, II, 1224; Vasq.; Bonac.; Dicast.; Salm., 6, 9, 10.

352. Denique in dubio, utrum confessio rata fuerit an irrita, standum est pro valore actus, et tenendum, ut alias, legi satisfecisse eum qui confessus est (Prol., § 169). Quocirca non cogeris denuo confiteri si dubites ne defuerit aliquid, sive 1° *confessioni*, v. c., ne conscentiae tuae latebras exploraveris satis diligenter (11): sive, 2° *dolori*, utputa si peccatum dolueris ob metum poenarum temporalium, aut propositum formale et explicitum (§ 177, n. 22) non habueris (12): sive, 3° *absolutioni;* veritus, forte, ne confessario defuerit iurisdictio, vel ne formam, aut ne rite, pronunciaverit: immo, 4° etsi ignoraveris SS. Trinitatis, et Incarnationis mysteria (13).

353. Quoties autem confessio est repetenda, intererit, utrum poenitens adeat priorem confessarium, an alium adeat. Si priorem, siquidem is recordatur peccatorum in confuso, aut statum ipsius poenitentis, aut satisfactionis ei impositae, satis erit huic dicere, accuso me de his quae alias tibi confessus fui, ut eum absolvere possit (14). Sin adit alium, cum is nunquam distinctam peccatorum sui poenitentis notitiam habuerit, debet singula iterum ei confiteri, quasi nunquam confessa fuissent (15). Hactenus de poenitente.

354. Sacerdos, qui rogatus audit confessionem, tenetur quasi ex contractu, ideoque ex iustitia, sacramentum administrare rite ac recte, etsi non parochus (16). Itaque si ipse in aliquo defecerit et hoc lateat poenitentem, quaerimus, an debeat eum de hac re cer-

(11) Busemb., ap. S. Alph., VI, 471.

(12) S. Alph., VI, 450, ibique Vasq., Suar., Bellarm., Viva, Croix. Verum S. Doctor ab hac sententia recessit an. 1767, ratus *certam* confitendi obligationem confessione *dubie* valida impleri non posse. Sed heic non versamur in dubio facti, quando lex in possessione est, utrum, nempe, confessus fuerit an minus (§ 170, n. 46); sed in dubio, seu potius probabilitate iuris (V. S. Alphons., III, 700, v. *Sed occurrit*); dubitatur enim, *utrum confessio fuerit valida an invalida;* quod cum dubitatur, *valida est reputanda* (S. Alph., VI, 505): ut alias in eo qui recitat horas canonicas voluntarie distractus animo (S. Alph, III, 177). Nec regeras, heic agi de valore sacramenti, numquid enim de conferendo sacramento res est? (V. S. Alphons., *H. A.*, XVI, 26, in fi.).

(13) Viva, in Innocen. XI, 65, § 10; hanc quoque opinionem reformavit S. Alph., in edit. VI. Item si propter dubium suscepti baptismatis denuo sis baptizandus: nam si valuit baptismus, peccata absoluta sunt, si non valuit, non sunt confessionis materia. Aliud iuris est in admissis ab ultima confessione, ante iteratum baptisma, haec sunt confitenda (S. U. I., 17 iun. 1715; 17 decem. 1868. *Acta*, IV, 320). Scilicet in quatuor superioribus casibus possidet confessio, heic baptismus possidet.

(14) Lugo, XVI, 627, 638; S. Alphons., 502.

(15) Suar., 22, 6; Lugo, *l. c.* Certum apud omnes (Croix, VI, II, 1216).

(16) S. Alph., VI, 619.

tiorem facere; non quidem in alia confessione, si ad se denuo redierit (nam tunc ex praesenti officio tenetur ut quivis alius), sed extra illam; nempe si possit *salvo sigillo*. Utique; et cum incommodo gravi, si et damnum poenitentis est grave, et gravis sua culpa; alterutro deficiente, sub levi tenetur (17). Quamobrem videamus, utrum defecerit, 1° circa ea quae pertinent ad integritatem iudicii, an, 2° circa ea quae ad sacramenti valorem pertinent, an, 3° circa alia omnia quae poenitenti forte damnosa sunt.

355. Si circa *integritatem*, damnum erit solius, uti ita dixerim, legis; ideoque tenebitur si huius damni *causa* revera ipse fuit; idest si poenitentem quaedam confiteri voluerit, et ipse prohibuit, et gravi sua culpa prohibuit. At vero quia lex huiusmodi humaniter accipienda est (§ 297, n. 13), non tenetur cum gravi suo damno (18); et quia hoc vix abest, aut ne vix quidem (19), vix est ut teneatur. At profecto nullatenus tenetur si eum prohibuit bona fide, v. c., falso putans haec levia esse (20), vel quia nimis foeda erant: eoque minus tenebitur si eum non interrogavit, quippe nec *causa* fuisse intelligitur (21). Deficit circa *valorem* sacramenti, si vel non absolvit poenitentem (e. g., quia iurisdictionem non habuit, vel formam absolutionis corrupit), vel non sufficienter contritum absolvit. Heic agitur damnum poenitentis; proinde si hoc est grave, idest, si reliquit eum in letali, debet eum certiorem facere sub gravi, et etiam cum incommodo gravi, si fecit gravi culpa sua (22). Verum damnum est quod facile reparatur, vel suscepto aliquo vivorum sacramento, vel alia confessione; quamobrem si poenitens post confessionem, v. c., SS. Eucharistiam accepit, vel iterum confessus est, aut brevi sit confessurus, tenetur sub levi (23).

356. Restat ut videamus quid iuris sit, si confessarius defuit officio suo *quod ad alia* cum gravi damno poenitentis. Et si spirituale est damnum, tenetur ex iustitia eum admonere, utputa si non

(17) Lugo, XXII, 59; S. Alph., *l. c.* Nec ad rem pertinet, quod forte sit parochus poenitentis: quia heic omnia aestimari debent ex officiis confessarii, non enim parochus debet pascere et gubernare subditum ex notitia confessionis.

(18) Lugo, XXII, 73; S. Alph., VI, 620.

(19) Lugo, n. 77; S. Alph., n. 620.

(20) S. Alph., VI, 620, in fine.

(21) Lugo, XXII, 75; Salm., 6, 9, 49. Sed numquid non est causa *negativa?* Minime, quia confessionem integram facere, non confessarii, sed poenitentis cum primis officium est (Lugo, cit. n. 75; S. Alphons., VI, 620).

(22) S. Alph., VI, 619.

(23) Lugo, XXII, 56, 58, 59; S. Alphons., 619, Quin Suarez, *et alii viri sapientes, et prudentes TT.*, aiunt Salm. (6, 12, 56), excusant semper extra mortis periculum.

iussit occasionem deserere; sin est temporale, tenebitur (etsi parochus) prout quivis alius extra confessionem teneretur (24). Porro damnum huiusmodi plerumque versatur circa restitutionem a poenitente accipiendam, vel non faciendam: itaque videamus, utrum eum, existimantem restitutionem sibi vel a se haud competere, non admonuerit; an ei persuaserit nullam sibi, vel se restitutionem deberi: *illic* enim caritatem laesit, *hic* iustitiam. In priori casu igitur tenebitur admonere postea si poterit absque incommodo gravi; at damni quod poenitenti vel alteri contigit, quamvis fecerit data opera, non tenetur (25): in posteriori tenebitur quasi consiliator (26); ideoque, si dolus abfuerit et poenitentem dedocere nequiverit sine incommodo gravi, restitutio cessat (27).

TITULUS II.

De adiunctis poenitentiae.

CAPUT I.

DE SIGILLO SACRAMENTALI.

357. Sigillum sacramentale est: *Arctissima, de his quae quis accepit ex confessione sacramentali, si poenitentem prodere possint, secreti obligatio* (1): Oritur ex omni et sola confessione sacramentali (2). OMNI; ideoque ex confessione vel sacrilega, immo vel tantum coepta, et licet poenitenti absolutio merito denegata fuerit: secreta inquam, nam ex publica (nisi ex necessitate sit facta) secretum oriri absurdum est. SOLA; quia soli confessioni a se institutae Christus hanc obligationem adnexit (3), atque ideo non oritur ex confessione facta ex alia causa (4). Hac re, quia *falsa nostra*

(24) Lugo, 67, 68, 70; S. Alph., *l. c.*

(25) Salm., 13, 1, 38; S. Alph., XI, 621.

(26) V. Lugo, XXII, 61, 64; V. Par. II, § 204.

(27) V. Par. II., § 233. Obiicies: *Omnes dicunt* (confessarium) *teneri ad admonitionem etiam cum gravi incommodo* (S. Alph., VI, 621, pr.). Ita sane, si culpa fuerit gravis *contra iustitiam* (Lugo, XXII, 61; S. Alphons., III, 547, in fi.): atqui nemo *heic* tenetur ex iustitia, ne parochus quidem (§ 323, n. 1).

(1) V. Suar., 33, 5, 2; Lugo, XXII, a n. 1.

(2) Suar., 33, 2, 1; Salm., 6, 14, 2. *Et est axioma omnium TT.* (Sporer, 340).

(3) Sporer, n. 849.

(4) Lugo, XXIII, 43. V. c., facta consilii (Salm., 6, 14, 14) petendi, licet propter bonum animae, et conscientiae pacandae (Suar., 32, 2, 7) gratia; tametsi poenitens proteste-

existimatio rei veritatem non mutat, non oritur ex confessione sacramentali specie tenus; seu talis existimetur opinione circumadstantium, quod nemo dubitat (5); seu errore ipsius poenitentis, sive in iure, sive in facto erraverit (6), quae, etsi non communior, verior tamen, ex rigore iuris, sententia esse videtur (7).

358. Nititur autem haec obligatio tum iustitia, quia est species secreti commissi (Par. II., § 269, n. 4); tum religione, quippe eo spectat, ne confessio fiat confitentibus odiosa; quae huius arcani ratio potissima est (8). Et ex hoc capite in duobus distat a secreto commisso; primo quia obligat vi sua citra omnem pactum, deinde quia ibi quoque, ubi nullum est secretum (verius), obstringit. Dixi, ne *confessio* etc., et non quidvis aliud, quod forte occasione confessionis incidere potest (9): *confitentibus*, et non aliis, quia illis tantum caveri necesse fuit, ne retraherentur ab hoc sacramento (10). Verum quaenam reddant confessionem odiosam, hoc magis in iure, quam in facto positum est; quod velim animadverti: ideoque aestimari debet, non *singulariter*, idest non ex praesenti revelatione, si forte grata vel utilis futura sit poenitenti, vel si ex non revelatione gravius damnum ei sequeretur (11); sed *generaliter*, idest

tur, se haec dicere sub sigillo (Lugo, cit. n. 43). Eoque minus oritur ex ea quae fit confessoris illudendi, decipiendi (Bonac., *h. t.*, P. 2, n. 5; Croix, VI, II, 1942), pervertendi (S. Alph., VI, 636) causa; vel obstringendi sigillo sacramentali: quod fieri intelligitur, si, confessione peracta, poenitens de absolutione non curet, sed in aliud tempus eam differat (Lugo, n. 46).

(5) Lugo, XXIII, 177. Ut puta, si quis stet ad confessionale quasi qui confitetur, et adstantes falso putent eum revera confessionem peragere. Verum cavendae heic sunt offensiones existimantium ipsum revera confessum fuisse.

(6) Tolet., III, 16, 16; Vasq., ap. S. Alph., VI, 647, 6. Contra putant Laym., XIV, 17; Salm., 6, 13, 1; S. Alph., *l. c.* Alii demum, si poenitens in iure erraverit (v. g., si diacono confessus sit, ratus diaconos posse confessiones excipere), *nobis;* sin in facto, (puta si diaconum sacerdotem putaverit), *his* adhaerent; quia error facti non iuris excusat (Suar., 33, 2, 3; Lugo, XXIII, 42).

(7) Ex *rigore iuris;* nam sive ipse poenitentem decepit, sive decipi eum passus est, aequissimum est, confessarii obligatione teneri (sive ex delicto, sive quasi ex contractu) qui pro confessario se gerit.

(8) Suar., 33, 1, 7; Lugo, XXIII, 8; Molin.; Sanch., *M.*, III, 16, 3; Laym., XIX, 4.

(9) V. S. Alph., VI, 641, 649, 650. Itaque si poenitens, quo melius confiteretur, Seium consuluit, vel peccata sua scripserit; et Seius prodit secretum, vel ipse scriptum deperdit, scriptio, consilium, non confessio, fit odiosa (S. Alph., 649).

(10) Lugo, XXIII, 138; S. Alph., VI, 641, 651. Alias nefas esset poenitenti sollicitato vel correo, sollicitantis aut complicis denunciationem iniungere; vel hunc monere de licentia poenitentis (V. Croix, VI, II, 1959).

(11) *In iure:* idest, quae reddant confessionem odiosam, aestimandum

ex ipsa revelatione, si, nempe, confessionem odiosam reddere possit *per se* (12); omni confessariorum aestimatione prorsus exclusa (13).

359. Porro sacramento poenitentiae salus reip. christianae, quasi secunda post naufragium tabula; sacramentum vero poenitentiae secreto sacramentali innititur totum. Hac re huius secreti obligatio, 1° praevalet cuivis obligationi, seu legi ex adverso occurrenti (14); 2° nullam rei parvitatem recipit (15), neque mortuo poenitente finitur; demum, 3° in dubiis heic semper tutiora tenenda sunt, et sigillo favorabiliora: et nedum in dubio *facti*, quod planum est, propter damnum poenitentis iniustum (16); sed, verius, etiam in dubio *iuris*, quia sigillum possidet (17); etenim ea quae confessione continentur sigillo teneri, nisi manifestissime eximantur, palam est. Quid quod heic probabilitas iuris recidit in probabilitatem facti, tum propter periculum reip. christianae, tum propter scandalum fidelium, et offensiones poenitentium (18)?

360. Videamus nunc quaenam sint materia sigilli, quinam eo teneantur, quemadmodum violari possit. Materia sigilli sunt quaedam directe et per se, quaedam indirecte, quaedam per accidens. 1° *Directe et per se* - ea omnia, eaque sola quae sunt utcumque confessionis materia (19); idest omnia peccata, etiam nondum perpetrata (20); etsi levissima; seu tantum materialia, seu formalia tan-

est, non ex his quae *praesentem* confessionem, sed quae confessionem *in genere* odiosam redderent, si poenitentes *in genere* scirent, illud a confessariis *licite* revelari posse (Lugo, XXIII, 121; V. S. Alph., VI, 659, v. *Notandum*). *Gravius* etc. (S. U. I., 1682, iussu Innoc. XI).

(12) Suar., 33, 3, 6; Lugo, XXIII, 61.

(13) Lugo, XXIII, 61. Alias perpetuis anxietatibus poenitentes conficerentur (Suar., 33, 1, 7). Ideoque sine ulla exceptione; *ne, semel admissa, saepe loquatur sine causa sufficienti* (Lugo, *ib.*).

(14) Ex C. 2, *De Poenit.* Heinc nullum scandalum est quod praecavere, aut reparare liceat cum fractione sigilli (Salm., 6, 14, 4); utputa si ex confessione didiceris, Seium et Caiam, matrimonium contrahere volentes, esse patrem et filiam. Nihilominus Nostri communiter docent, nefas esse, servandi eius causa, aliquid facere quod suapte natura malum est (Suar., 23, 6, 1); ut fornicari (Croix, VI, II, 1978), mentiri (S. Alph., VI, 639, in fi.). Nodum hunc solverint alii.

(15) Suarez, 33, 3, 1. *Communissima.*

(16) Croix, VI, II, 1946. Alias inventa esset sigilli fraudandi ratio, et quies poenitentium tota in memoria confessoris posita foret. Porro dubium *facti* accipimus cum non meministi utrum aliquid ex confessione, an extra illam acceperis: *iuris* quum inter TT. non satis convenit, utrum hoc vel illud, quod ex confessione didicisti, cadat sub sigillo.

(17) S. Alph., VI, 633. Contra Gob.; Azor.; Croix, 1945, qui id *expedire* putant.

(18) V. Diana, To. I, Tr. VIII, pr.

(19) D. Th., in 4° Disp. 21, Quae. 3, Art. 1.

(20) D. Th., in 4° Dist. 21, Qu. 3, Art. 1; Sol. 1, ad 1.

tum (21); notoria quoque, quae communior sententia est; nam si in aestimatione confessoris relinquatur, quae notoria, quae minus dicenda sint, periculum erit, ne aut minus publica evulget, aut minus certa confirmet (22). 2° *Indirecte et per consequens* - (Nostri aiunt *reductive*) ea omnia quae quis, peccatis satius confitendis explicandis, inserit, ingerit, obtrudit, impertinentia licet et ineptissima (23). Demum, 3° *per accidens* - ea omnia quae confessionis causa vel confessione in ipsa poenitens facit, admittit; vel confessarius ex ea perspicit, intelligit, animadvertit (24). At ipsa facta confessio, quia et publicum, et bonum aliquid est (prout cetera sacramenta), verius, *per se* non cadit sub sigillo (25); ideoque nec ea, sine quibus nulla confessio esse potest; idest dolor poenitentis, *data* ei absolutio, et imposita satisfactio *in genere* (26). *Per se;* atque ideo dum ne his revelatis, ea quae latent sub sigillo appareant quoquo modo (27). Ceterum animadvertendum est, ne ea, quae effugiunt sigillum, subeant naturale secretum.

(21) V. Suar., 33, 3, 6; Lugo, XXIII, 52, 53, 59; Salm. 6, 14, 22.

(22) Laym., XIV, 9; Lugo, XXIII, 61; Sporer, 828.

(23) Suar., 33, 3, 5; Lugo, XXIII, 68. Velut *peccatum alterius* (Lugo, *ibid.*); id quod sibi dedit occasionem peccandi (*obiectum peccati*) utputa si vir dicat, se obstrictum castitatis voto, debitum petiisse (Lugo, 52); si mater imprecata sit filio ebrioso (Croix, VI, II, 1947); nisi hoc sit aliquid publicum (S. Alph., VI, 641, d. 2).

(24) Suar., 33, 3, 10; Salm., 6, 14, 23; Lugo, XXIII, 60; S. Alph., VI, 643. Ut ecce si confessario reprehendenti succensuit, si terruit nolentem absolvere.

An igitur cadant sub sigillo, 1° charismata, seu specialia dona S. S.; 2° defectus; 3° scrupuli? non enim sunt materia confessionis. Quoad CHARISMATA, si poenitens illa manifestavit ad alicuius peccati (v. c., ingratitudinis) malitiam satius explicandam, communior sententia est sigillo teneri, secus eximi (S. Alphons., VI, 641, 642). Quoad DEFECTUS Nostri diversi: (V. Salm., *l. c.;* S. Alph., 642); dicam plane quod sentio: raro licet prodere defectus *corporis* (v. c., si herniosus); *status* rarius (e. g., si spurius, inops, ignobilis), quia utrumque ingratum est poenitentibus; *animi* (puta si iracundus, avarus) nunquam prorsus, sive quia in vitia desinunt, sive quia poenitentes solent eos prodere quasi peccata, vel quasi ea quae ad peccandum impellunt. Ideoque nec scrupulos, quippe huc recidunt, nec pauci aegre ferunt, se scrupulosos appellari (Spor., 844); nisi forte, ait S. Alphons. (*l. c.*), *minime redundent in gravamen poenitentis:* verum displicet haec limitatio.

(25) Suar., 33, 3, 9; Lugo, XXII, 65. Nec refert, quod forte in praesens intersit poenitentis (v. c., uxoris transfugae, vel apostatae) eam latere: quia hoc per accidens fit, perinde ac si quodvis aliud sacramentum suscepisset (V. Laym., XIV, 21, in fi. Sed V. S. Alph., 638).

(26) Tolet., III, 16, 5; Suarez, *l. c.;* Lugo, XXIII, 50.

(27) V. Ronca., *h. t.*, Cap. III, Reg. 2. Proinde sigillum non violat inferior confessarius qui ait, Seium sibi confessum fuisse; violat superior, si exinde alicuius reservati suspicio

361. Deinde videamus *quinam* sigillo, et *quibuscum* teneantur. Porro omnis scientia quae manat ex mea confessione quasi res mea est (Par. II., § 269, n. 5) penes confessarium deposita, obsignata sigillo sacramentali; quae idcirco, si ad alios transeat quoquo modo, transit cum onere suo (28). Ideo sigillo tenentur, 1° qui audit confitentem, seu confessarius, seu quivis alius; licet is audierit casu, vel invitus (29); et in primis interpres (30), nisi cum confitente nominatim convenerit, ne sigillo teneretur. 2° Qui sive ab his, sive ab aliis, sive licite, sive illicite rescivit aliquid (31). 3° Demum superior, sive *is* a quo pendente confessione, immo, verius, et ante eam coeptam, petitur facultas absolvendi a reservatis; sive *is* cui, post eam completam, poenitens se sistit mandatum ab eo (Prol., § 350) humiliter suscepturus (32). Quaeri potest, an sigillo teneantur consiliator, et is qui legit chartam in qua poenitens sua peccata recensuit, ut ea melius confiteretur; etenim neque consilia, neque scripta necessaria sunt ad confessionem faciendam rite ac recte. Et consiliatorem non teneri, si ipsemet poenitens eum consuluit, merito docet cum aliis S. Alph. (33); sin confessarius de licentia poenitentis, sententia minus communis negat (34), longe communior affirmat (35): illa verior forte, quia poenitens ipse per confessarium consulit; haec tutior, et sequenda. Legentem non teneri, communissima sententia est (36); nisi chartam inspexerit in actu confessionis, quippe scriptura tunc pro confessione vocali est (37).

suboriri possit (Lugo, XXII, 65): non violat qui dicit, Osium sibi confessum fuisse cum animi sui *dolore*, seque ei *satisfactionem* imposuisse; violat (si quid opinor) si dicit confessum fuisse cum *magno* animi sui dolore, vel unum *letale* (in genere), aut unum leve in specie, e. g., *verbum otiosum* (Mazzo., *h. t.*, Cap. I, v. *Tertio*), vel *plura venialia* (Croix, VI, II, 1972); vel, te ei imposuisse *rosarium*, aut *miserere* (Croix, *l. c.*; Salm., 6, 14, 22).

(28) Navarr., 8, 14; Suar., 33, 4, 7; Laym., XIV, 17; Lugo, XXIII, 25.

(29) Lugo. XXIII, 44; S. Alph., VI, 647, IV; Non enim ex pacto sed ex religione oritur (Suar., 33, 4, 7).

(30) V. S. Alph., VI, 467, 3.

(31) Suar., *l. c.*; Salm., 6, 14, 64. Licet hi ebrii, amentes, dormientes aliquid revelaverint (Croix, VI, II, 1952).

(32) Suar., 33, 4, 3; Lugo XXIII, 34; Sporer, 853; Salm., 6, 14, 66; S. Alph., VI, 647, II. Atque ideo et is qui legit epistolam, qua facultas absolvendi a reservato aliquo petitur, aut datur (S. Alph., 650).

(33) S. Alph., VI, 649.

(34) Cf. Lugo, XXIII, 28.

(35) Navarr.; Bonac.; Lugo, n. 25; S. Alph., VI, 648. Ratio ex nota 28.

(36) S. Alph., VI, 650.

(37) Lugo, XXIII, 47; S. Alph., *l. c.* Vel missam superiori pro facultate absolvendi a reservatis, aut repertam post confessionem in confessionali (Lugo, n. 48; S. Alphons., *l. c.*), quippe, aiunt, illa quasi *inchoata*, haec quasi *manens* confessio est.

Quisquis autem sigillo tenetur quoque modo, is secretum servare debet cum omnibus prorsus, cum his quoque quos arcana sacramentalia non latent; velut complice (38), aut alio confessore poenitentis (39). Immo et cum ipso poenitente extra confessionem tenetur; quocirca cum eo quidvis agere, quod ostendat te recordari audita in confessione, semper est grave (40). Unus casus est in quo cessat sigillum, nempe, si poenitens hanc licentiam dederit confessario: verum licentia huiusmodi danda est expresse (41), ac sponte prorsus (42): eaque cautissime utendum est (43): et si poenitens postea illam, vel tacite, revocaverit, ea amplius uti non poterit (44). Hactenus de sigilli obligatione; restat ut videamus quemadmodum violari possit.

362. Sigillum violare dicitur, nedum is qui audita in confessione utcumque refert, enarrat, sed qui ea referendo poenitentem prodit,

(38) V. S. Alph. VI, 640, 641.

(39) Lugo, XXIII, 128. Item si duo forte confitentem audierint (Lugo, n. 39; Salm., 6, 14, 64; S. Alphons., VI, 646, V). Et qui pueros nondum rationis compotes una simul audit quasi confessarius, letali non caret (Navarr., VIII, 13; Lugo, XXIII, 72).

(40) S. Alph., VI, 651. *Extra confessionem.* Sed, 1° potest statim ab absolutione de his agere, antequam poenitens discedat, quippe adhuc confessio moraliter perseverat (S. Alph., 652). Eoque magis, 2° in alia confessione eius id potest (S. Alphons., 653); sed prudenter, et discrete (Roncaglia, Cap. II, q. 3), ne forte poenitens id aegre ferat; et de his tantum quae sibi confessa fuerint, non quae ab aliis forte ipse rescivit (Lugo, 127, 128). *Quidvis agere;* seu verba facere, seu quid aliud, utputa negare schedulam confessionis (S. Alph., 639). *Semper;* ideoque, verius, etsi reparandus esset defectus substantialis in superiore confessione commissus (Lugo, 140; Salm., 6, 14, 44; S. Alph., VI, 622). Sed potest ei dicere, se in confessione deceptum fuisse; et ideo eum rogare, ut secum iterum confiteatur (Tolet., *Inst.,* III, 16, 11).

(41) Tolet., n. 7; Laym., XIV, 14; Lugo, XXIII, 131. Tacita uno tantum casu, si ipse de his, quae ad confessionem pertinent cum confessario prior coeperit loqui (S. Alph., VI, 651). Praesumpta vero, seu interpretativa, nunquam omnino (Suar. 33, 5, 14): quamvis probabilissima (Salm., 6, 14, 6), quia recideret in aestimationem confessoris, ideoque aleae plena res foret (Ronca., Quae. VI, Cap. I, q. 5).

(42) Croix, VI, II, 1958. Ceterum sponte eam dare intelligitur etsi rogatus: dum ne pluries rogatus dederit (S. Alph., IV, 651); immo (ut puto) etsi semel et iterum rogatus tantum, si aut confessarius sit magnae auctoritatis, aut poenitens modico animo sit.

(43) Cf. Ronca., Cap. I, Reg. 5. Quamobrem confessarius rogatus a poenitente, v. c., ut suos heredes moneat de restitutione a se facienda, caveat ne hi animadvertere possint, utrum restitutio ex contractu debeatur, an ex delicto.

(44) Sporer, 821; S. Alph. VI, 651, III. Ipse autem poenitens circa ea quae a confessario accepit, didicit, tenetur *secreto* commisso (Suarez, 33, 4, 2), quod heic arctius obligat (S. Alph., VI, 647).

vel aggravat quoquo modo (45). Violatur autem directe vel indirecte: directe revelatis his quae sigillo tenentur, si aut poenitens indicatur, aut ex his probabiliter innotescere possit (46). Indirecte cum quis nihil quidem revelat, sed ex his quae dicit aut facit, aut nec dicit nec facit, probabilem alicuius poenitentis suspicionem iniicit. *Dicit:* ut ecce si ei (quem producta iam confessione surdum esse animadvertit) dicat ea voce quae a circumstantibus exaudiri possit: REDI (47), vel QUOTIES? (48) si dicat, Seium sibi (forte superiori) confessum fuisse. *Facit*: si, v. c., sedens in confessario, surgat ut legat tabellam casuum reservatorum, vel sedens oculis lustret, si quis id animadvertere possit: si, audita confessione, extemplo ab ecclesia discedat, de communione poenitentis nihil sollicitus; si poenitentem aliquem redeuntem evitet, ut puta mulierculam, cuius prolixiores et vacuae confessiones ipsum fastidiunt (49). *Nec dicit, nec facit*, ut puta *si ex duobus* poenitentibus (v. c., duobus fratribus) unum laudet, vel dicat, eum semper venialia confiteri (50). Dixi *probabilem* suspicionem, quia non tenetur omnes coniecturas cavere, quas nasuti et malitiosi prosequi solent (51).

363. Sed an liceat uti notitia earum rerum, quae quis ex confessione accepit, didicit? Et si exinde metuenda sit aut revelatio alicuius peccati (52), aut gravamen poenitentis, proculdubio non licet (53). Gravamen autem accipere debemus quidquid poenitenti,

(45) Ex C. 12, *De Poenit.;* Suarez, 33, 3, 8; Sanch., *M.*, III, 16, 2; Sporer, 882; S. Alph., *H. A.*, XVI, 156, 6. Proinde sigillum violat qui ait, v. c., in tali oppido talia crimina perpetrari (nisi aut oppidum parvum non sit, sed excedat tria millia hominum, S. Alph., VI., 654, aut crimina sint vulgaria forte et communia); nam aut quis ea commiserit resciri poterit, aut confessis rem invisam facit. Sed etsi neminem prodat, oneret, ab offensionibus pusillorum, vel ignorantium cavendum est.

(46) V. Salm., VI, 14 a n. 24.

(47) S. Alph., VI, 644. *Petes.*

(48) Mazz., *h. t.*, C. 1, v. *Primo.*

(49) S. Alph., *H. A.*, XVI, 160. Licet id solus poenitens animadvertat (S. Alph., VI, 659, contra Roncaglia). At proculdubio potest eos in confessione admonere, ne se deinceps accersant (Lugo, XXIII, 117).

(50) Salm., 6, 14, 26; Laym., XIV, 7. *Ex duobus;* secus si unum simpliciter laudet, ita at nulla comparatio quoad alios institui possit (Lugo, XXIII, 50). Itaque si de uno dixerit, *hic* venialia dumtaxat confitetur, violat sigillum (Sporer, 831). Immo et is violat, qui alio aliquam, v. c. Seiam, ab honestate laudante, tacet (Ronca, *h. t.*, Cap. II, Reg. 5).

(51) D. Th., Quodl., 5, Art. 13; Lugo, XXIII, 106; S. Alph., VI, 661.

(52) Lugo, XXIII, 92, 102.

(53) Decr. S. U. I., 28 nov. 1682; iussu Inn. XI. Contraria veterum plurimorum et gravissimorum TT. sententia (V. Sanch. *M.*, III, 16, 2), quae pridem ex Decr. Clem. VIII, 26 maii 1594, magnum vulnus acceperat (V. Lugo, XXIII, 93), prorsus

nedum noxium, sed molestum vel ingratum esse potest, sive iure, sive iniuria (54); vel quandam tacitam eius exprobrationem continet (55); vel quod potest eum afficere pudore et verecundia (56). Extra haec licet (57). Sed an liceat ea uti, non quidem pro lubitu, sed ad cavendum periculum aliquod, si (remoto quovis gravamine poenitentis, et revelatione peccati) metuendum sit, ne hi, a quibus hoc periculum imminet, suspicentur, Seium hoc vel illud confessum fuisse (58)? Quidam negant (59), affirmant alii (60). Quaestio eo redit, utrum confessio peccatorum cadat sub sigillo (§ 229, n. 25):

explosa. Hinc non licet, v. c., matrimonio prohibere eum, qui occulto impedimento laborat; *praesentatum* non instituere in beneficio, vel ei suffragium negare ad beneficium vacans (Sanch., n. 4; Salm., 6, 14, 47). Nec licet, etsi uti possis, ne alio quidem *praetextu*, vel colore (S. Alphons., VI, 657); et quamvis nemo suspicari possit, ne poenitens quidem te in his uti notitia ex confessione quaesita (Lugo, 98).

(54) Sporer, 867. V. c., Eucharistiam negare ei, quem inabsolutum dimisisti, petenti remotis arbitris: si famulus tuus tibi confessus sit se noctu domi amicam recipere vel res tua expilare, noctu fores claudere vel rebus tuis superesse diligentius (S. Alph., 657); vel in ipsa confessione ei praecipere, ut e servitio discedat (Lugo, 123; Croix, VI, II, 1977): quippe herus, non confessarius, praeciperet. Nec excusant alterius, nec reipublicae, vel religionis damna; v. c. ab officio confessarii removere eum, quem scis non esse sacerdotem, vel ad hoc officium, quod daturus eras, non eligere (Croix, *l. c.*).

(55) S. Alph., VI, 660, Dub. VI. V. c., eum, quem antea hilari vultu excipere solebas, post confessiones eius auditas, contracto excipere, vel minus hilari (Bonac., *h. t.*, P. IV, n. 26); quamquam eum, qui tibi graviora confessus est, speciali benevolentia prosequi liceat (S. Alph., 657).

(56) Salm., 6, 14, 46. Tametsi nemo id animadvertat (Sporer, 865): utputa extra confessionem ei loqui de his quae ipse tibi confessus est, quamvis, ut arbitror, consolandi eius gratia.

(57) S. Alph., *H. A.*, XVI, 159. *Et regula est fere ab omnibus recepta* (S. Alph., VI, 657). *Et experientia quotidiana constat; discunt enim confessarii mores civium ex confessione, ut sciant quomodo cum iis debeant conversari, et quae ab eis pericula cavere debeant* (Lugo, XXIII, 101). Proinde si ex confessione noveris, cives carpere te quod ludo aut somno plus aequo indulges, fures te compilare, famulam Amasium noctu excipere domi; poteris ab *illis* temperare (S. Alphons., *l. c.*), *istos* vigilare (Salm., 6, 14, 56; Bonac., P. IV, n. 30), *huic* superesse (Sporer, 870). Si resciveris, necem alicui parari, poteris eum admonere ut sibi caveat (Bonac., n. 19); dummodo ille auspicari nullatenus possit, unde resciveris (Sot.; Henriq.; Laym., XIV, 11).

(58) Ut ecce si ex confessione Lucii didiceris, tibi peregre ituro, parari insidias tali loco, an possis iter differre, vel alia via ire, si exinde hi qui eas parant suspicari merito possint, te id accepisse ex confessione Lucii?

(59) Suar., 33, 3, 7; Lugo, XXIII, 110; Salm., 6, 14, 53; S. Alphons., VI, 659.

(60) Laym., XIV, 21; Bonac., P. IV, n. 27; Sporer, § 863; Pal., Petrocoren., Sot., etc., ap. S. Alphons., *l. c.*

ego adfirmantibus adhaesi, scilicet, ne forte confessarius aut minus publica evulget, aut minus certa confirmet: atqui nihil horum heic metuendum est; *nulli* enim revelat, nisi scientibus; *nihil* prodit, quod ipsos lateat. Dicam quod sentio: confessarius a poenitente petat, ut sibi liceat ea notitia uti; si negat, *is* nequissimus omnium; ideoque confessario pro certo esse poterit, *hunc* non confiteri sibi, sed illudere voluisse (§ 226, n. 4): et hoc in casu posterior sententia videtur verior, nam quid heic reddere potest odiosam confessionem huiusmodi (61)?

364. Ceterum nemo, excipiendo confessiones, conditionem suam deteriorem facit: quamobrem si ea, quae ex confessione accepit, iam nota habebat, vel postea aliunde habuit, non prohibetur de eis loqui (62); dummodo alii intelligant, ipsum haec aliunde scire (63): eoque minus prohibetur eorum notitia uti, etiam cum damno poenitentis (64).

CAPUT II.

DE SOLLICITATIONE.

365. Heic de sollicitatione, non qua est peccatum, sed qua denunciationi est obnoxia. Itaque sollicitatio hoc loco est: *facta a sacerdote, tamquam a confessario, ad turpia provocatio* (1). Uti

(61) V. Lugo, XXIII, 105; Salm., 6, 14, 54. Sane ei, qui tibi confessus est velle te occidere, ensem, huius rei causa a te reposcenti, negare te posse, sententia olim communissima fuit (V. Sanch., *M.*, III, 16, 5 ad 4). Alias, si is tibi in confessione significaverit, se eo die venenum tibi ad coenam daturum, et post confessionem ad coenam invitet, tu ire debebis! Ex tua confessione didici te, meum confessarium, sacerdotem non esse, non cogor ad te redire, etsi cur non redeam probe intelligas (Sanch., *l. c.*); nisi exinde aliquid damni vel dedecoris ad te redundet (Lugo, XXIII, 105). Si a te in confessione acceperim, Seium fuisse baptizatum vino, quis dixerit, me non posse rebaptizare Seium, quia hoc ingratum tibi futurum est? Quin Sporer (n. 870) existimat, si ex tua confessione didicerim, Osium esse beneficio indignissimum, posse me hac notitia uti, etsi tu id aegre feras, si nihil intersit tua.

(62) Ex C. 2, *De O. O.;* Laym., XIV, 3. Dummodo revera scias, et non simules, obtendas (Croix, VI, II, 1977). Hinc potes eum accusare, vel condemnare (Tolet., 3, 16, 9; Laym., XIV, 3), non eligere vel officio removere (Lugo, XXIII, 99).

(63) Gobat, § 788; Croix, VI, II, 1992; S. Alph., VI, 657, *Si vero.* Ideo non prohibetur, v. c., parochus publicum concubinarium, quem inabsolutum dimisit, a communione removere, monens ut prius scandalum auferat (Laym., XIV, 3).

(64) Lugo XXIII, 99, 166; S. Alphons., VI, 659.

(1) Ben. XIV, B. *Sacramentum Poenitentiae* (qua Constit. Gregorii XV, *Universi Dominici gregis*, totidem fere verbis inseruit) coerceri iubet (§ 1). « Omnes et singulos « sacerdotes... qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, « vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post « confessionem, vel occasione, aut

igitur sollicitatio facta dicatur, necesse est, 1° ut intercesserit provocatio ad turpia; 2° ut haec a sacerdote sit facta; ut 3° tamquam a confessario. *Ad turpia*, idest obscoena (2); nempe tactus, aspectus *qui complicitatem importent*, colloquia (3). Nec interest quo modo provocatio sit facta, verbisne, an tactibus, nutibus, etc., vel per scripturam, seu tunc seu postea legendam (4). Immo etsi inhonestos tantum *sermones* vel *tractatus* habuerint, eodem iure censebitur (5); quod sedulo animadvertendum est.

366. Ut *a sacerdote:* itaque si is qui sollicitat non sit sacerdos, denunciatio cessat; si est tenet, licet confessarius non sit (6). Quid si sollicitatio ab ipso poenitente processerit? Et si sacerdos consensit, palam est in rem turpem eum convenire; atqui hoc est inhonestos *tractatus* habere (7); merito igitur responsum est, denunciari eum oportere: etsi statim destiterit de illa turpi materia loqui, *differendo eius complementum ad aliud tempus*: nec poenitentem absolverit (8). Quare eo magis denunciandus erit, si provocatus ad

« praetextu confessionis, vel etiam « extra occasionem confessionis in « confessionali, sive in alio loco ad « audiendas confessiones *destinato*, « *aut* electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta *et turpia* sollicitare pro « seipso, vel pro alia persona (§ 2), « vel provocare... tentaverint... aut « cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus *temerario ausu* habuerint » (V. Salm., 21, 4 a n. 18).

Porro loca *destinata* dicuntur cellulae illae in ecclesiis extructae, in quibus subsellia cum imagine Crucifixi posita sunt: *electa* vero ea in quibus quis in praesens, pro re nata, confessionem excipit, sive domi, sive in agro, sive in via.

N. B. Quae excripsimus italicis litteris desunt in Const. Greg. XV. Extat et Decretum S. U. I. 11 februar. 1661, cui Bened. XIV (*l. c.*) *Apostolicae auctoritatis robur* adiecit. (Cf. Girald., *E. I. P.*, t. VII, post sect. 809, Appendix).

(2) S. Alph., VI, 684; V. Prol., § 309, Itaque sive ad aliud crimen (v. c., periurium, haeresim) excitaverit in confessione, cessat sollicitatio (S. U. I., cit. Decr., ad 11); sive excitaverit ad turpia in aliis sacramentis, sollicitatio cessat (S. U. I., *l. c.*, n. 10; S. Alph., VI, 684).

(3) S. U. I., 28 maii 1873. Immo etsi is ad sui dilectionem tantum poenitentem allicere tentaverit (V. S. Alphons., VI, 704).

(4) Bened. XIV, cit. Const. *S. P.*

(5) Greg. XV, *l. c.*, §§ 5, 9; Instruct. S. U. I., 20 februar. 1867. - *Eodem iure*, nempe et quoad *poenas*, quod in his Constit. expresse cautum est; et quoad *denunciationem*, quod Nostri pene omnes docent.

(6) Ex cit. Bull., §§ 1, 2; S. U. I., 11 febr. 1661; S. Alph., VI, 688.

(7) Ex L. 32, *Pro Socio*.

(8) S. U. I., cit. Dec., n. 2. Nihilominus si consensit metu gravi inductus, probabile est denunciationem cessare; quia S. U. I., quae cit. Decret., ad 9, censuerat hunc quoque denunciandum esse, in cit. Instruct., sacerdotem consentientem quidem memorat, sed de eo qui metu consensit verbum non facit (*Vindic. Ligor.*, Par. V, Quae. 20, Art. 2).

unam turpitudinis speciem, ad aliam, minorem licet inque ea contentam, diverterit (9).

367. Demum ut tanquam *a confessario* (10). Porro *confessarius* sine aliqua confessione, seu vera seu specie tenus, non intelligitur: ideo videamus, utrum provocatio ad turpia sit facta in confessione, an extra illam. Si in confessione, reus erit semper sollicitationis; sive provocaverit poenitentem in *actu confessionis,* sive *immediate ante*, sive *immediate post.* Verum hoc adverbium « *immediate* » stricte accipiendum est; nempe si – inter sollicitationem et confessionem – inter confessionem et sollicitationem – *nihil mediet* (11). Sin extra confessionem, sollicitatio non intelligitur, nisi aliqua obversetur confessionis species; idest, nisi provocatio huiusmodi facta fuerit confessionis occasione, vel praetextu, vel simulatione. *Occasione* confessionis sollicitat qui petentem confiteri, *illico* pellicit ad turpia, confessione dilata in posterum (12). *Praetextu* qui, v. c., aliquem ad confessionem invitat, ut provocet ad turpia (13); quam-

(9) Ballerin., ad Gury, II, 501, v. *Illud.*

(10) Ex cit. C., §§ 1, 2. Ideoque huc non pertinet sacerdos interpres (S. U. I., cit. Dec., ad 6); nec qui eum sollicitare iussit, mandavit (*Ib.*, ad 1). At is qui sollicitat non excusatur quod, non *pro se,* sed *pro alio* sollicitaverit (Cit. Const., § 1).

(11) Salm., 21, 4, 48. Idest si neque confessarius neque poenitens ad alia facta diverterint (S. Alph., VI, 677). Ut ecce si petentem confiteri sollicitet, et continuo confessionem eius excipiat; vel confessum e vestigio in cubiculum ducat et provocet (Salm., n. 50). Secus si (ILLINC) confessione in aliud tempus dilata, de aliis rebus colloqui coeperit; vel (HINC) in cubiculum duxerit ut aliud revera cum eo negocium ageret, et dum colloquuntur, quasi per accidens, poenitentem sollicitet (S. Alph., 677). Ceterum semper initium sollicitationis inspiciendum est; nam sollicitatio intelligitur in *ipsa* confessione, vel immediate *ante,* vel immediate *post,* si TUNC sacerdos fecerit aliquid, aut dixerit, sollicitandi animo, etsi hic postea apparuerit; veluti si det poenitenti chartam, in qua eum ad turpia incitat, postea legendam (Alex., VII, 9), si domi eum invitet, aut iubeat ipsum expectare se domi, si quaerat ubi habitet, et domi sollicitet (S. Alph., 678, 704, 3). Non item si, cognita in confessione poenitentis fragilitate, domi eum adit, et urget (Dia.; Trull.; Salm., n. 51; Giordani, Par. II, Cap. XIV, 223): quippe is ex confessione notitiam, ex notitia sollicitandi ansam capit (V. Girald., *E. I. P.*, Part. I, Lib. III, Tit. I). Nec aliud revera docere videtur S. Alph. (cit. n. 678, in fin.). Verum alia est praxis Congregationum Urbis.

(12) Salm., n. 52. Tametsi nondum ipse sederit, nec poenitens genuflecterit (S. Alph., 677). Verum ut videatur facta *occasione* confessionis, et tamquam a confessario, necesse est, ut poenitens aut petat confiteri *statim;* aut in *ipso confessionis loco* petat, v. g., *cras confiteri:* itaque ei is *extra locum confessionis.* petat confiteri *postridie,* sollicitatio cessat (Ex cit. Decr. S. U. I., ad 4).

(13) Salm., 21, 4, 52; S. Alph., VI, 679. Licet ad veram confessionem invitet: scilicet praetextus est quod intentionem obtegit facto aliquo, seu apparenti (V. *Iosue,* VIII, 5), seu vero (V. I *Reg.,* XVI, 2).

obrem sollicitatio cessat, si vel poenitens ipse confiteri petat (14); vel confessarius, v. c., Religiosus petat a Superiore licentiam adeundi mulierem, specie quidem eius confessionis excipiendae, sed revera cum illa acturus turpiter (15). Denique *simulatione* confessionis, reus sollicitationis intelligitur si, dum ambo fingunt confessionem agere, turpia miscent (16); etsi id agant in loco vel solum destinato, aut electo ad audiendas confessiones (17).

368. Age nunc, sollicitans incurrit perpetuam inhabilitationem ad missam celebrandam (18). Poenitens autem necesse habet eum denunciare; nempe si et sollicitatio certa fuerit et manifesta (19), et ipse denunciationem absque incommodo graviori facere possit (20): et si hanc obligationem ignoret, confessarius de eo certio-

(14) Bonac.; Salm., n. 55.

(15) S. Alph., VI, 679.

(16) Ronca.; Pal.; Salm., n. 57. Ergo si sedens in confessionario, non simulantem confessionem sollicitet stantem ante illud, denunciatio cessat (S. U. I., cit. Decr., ad 15). Sed an cesset si uterque ex condicto convenerint simulare confessionem, ut haec liberius agant; puta si mulier aegrotam se fingat, et hoc nomine confessarium arcessat? Negant plures, quibus adhaeret S. Alph. (VI, 679), scilicet simulatione confessionis non initur, sed exequitur sollicitatio. At quis neget eos habere *inhonestos tractatus* in loco ad audiendas confessiones electo?

(17) Cit. B. *Sacr. Poenit.* Quibus autem opus sit, ut his in locis confessio simulari videatur, in facto, non in iure, consistit (V. S. Alph., VI, 680).

(18) Bened. XIV, in S. U. I., 5 aug. 1745. Non tamen ipso iure (S. U. I., 20 febr. 1867, n. 12; S. Alph., VI, 705); licet absolutionem dumtaxat simulaverit (S. Poenit., 9 oct. 1751, 1 mart. 1878): quod haud ita pridem a S. U. I. confirmatum fuit.

(19) S. Alph., VI, 702. Itaque denunciatio cessat sive incertum sit, uter sollicitaverit, v. c., Seius ne, an Caius; sive sollicitatio ipsa fuerit dubia facto vel iure. Porro *facto* dubia videtur sollicitatio cum non satis constat, an sacerdos revera sollicitaverit; idest cum obscura sunt, vel ambigua, et verba (signa, nutus), et intentio. Scilicet, si verba sint aperta, intentio obscura, verbis standum est (Ex C. 7, *De Sponsal.*; S. Alph., *l. c.*); contra, si verba sint ambigua, intentio manifesta, haec sequi debet (Ex L. 67, pr., *De Leg.*, I; S. Alph., *l. c.*). At si utrumque in obscuro est, denunciatio cessat: ut ecce si confessarius, vir gravis et integer vitae, laudaverit poenitentem a pulchritudine et venustate; aut donum mulieri dederit (S. U. I., 11 febr. 1661, nn. 12, 16). *Iure* autem dubia intelligitur sollicitatio, quoties, arbitrio alterius confessarii, non satis constat, aut convenit, num sacerdos sollicitaverit quasi confessarius; ut puta, si non appareat utrum sollicitatio facta fuerit *immediate ante* confessionem; vel an *immediate post;* vel utrum *occasione*, utrum *praetextu* confessionis.

(20) Salmant., 21, 4, 89; Ronca., Cap. 2, pr.; V. Ballerin., ad Gury, II, 590; et S. Alph., 699, in fin. – Sane S. U. I. (22 ianuar. 1727) Praefecto Missionum in America respondit, mulieres sollicitatas non teneri ad denunciationem, si Ministri Inquisitionis, in longinquis regionibus degentes, sine gravi incommodo adiri nequirent (quod tamen non oportet applicare ad locorum Ordinarios: S. U.

rem facere debet, tametsi praevideat non profuturam, quia agitur de damno publico (21). Nec poenitens solum tenetur denunciare sollicitantem, sed quisquis scit illum sollicitasse; dummodo id et a personis fide dignis, nec sub secreto *rigoroso*, resciverit (22). Porro crimen sollicitationis ex solo reo (prout cetera crimina), idest ex solo confessario sollicitante, metiri debet; ideo ad rem non pertinet cuius aetatis, aut sexus sit poenitens, et utrum is sollicitationem animadverterit, vel intellexerit tunc, an serius; dummodo animadverti et intelligi revera potuisset (23). Nec is liberatur confitendo se ei qui sollicitavit (24); nec eo quod sollicitatio fuerit occulta (25), et probari nequeat (26), nec quia antiquior est (27); aut quod nulla correctio fraterna praecesserit (28), vel sollicitans sponte comparuerit, et abiuraverit (29).

369. Facienda autem est denunciatio Ordinario, vel Inquisitori: et fieri potest vel per internuncium, vel per epistolas, at non anonymas (30). Et infra mensem est facienda; nec potest absolvi is qui eam facere debet, *nisi prius denunciationem ad effectum perduxerit* (31). *Poenitens* vero (hodie is tantum, Prol., § 393, IV) si, cum posset facere, eam omiserit, post mensem elapsum incidit in excommunicationem. Verum, quia tempus non currit ignoranti (32), mensis computandus est ex quo scivit et 1° obligationem denunciandi, et, 2° excommunicationem adnexam huic obligationi, et, 3° tempus obligationi praefixum: quamdiu igitur primum ignorat *culpa*, quamdiu alterum *contumacia* cessat. Quid si tertium tantum? Et siquidem falso existimavit denunciationem protinus faciendam esse, excommunicatio eum non tenet, quoad mensis decurrerit

I., 20 febr. 1867, 8). Et 38 iun. 1597, 28 febr. 1598, censuit, absolvi posse, arbitrio Episcopi, mulierem nobilem, et verecundam, quae non potest induci ad deponendum (ap. Gury, *l. c.*). Eoque magis absolvi poterit quae renuens Ordinarium vel Inquisitores adire, expectat confessarium, per quem denunciet (S. Alph., *l. c.*). Et si denunciationem omnino renuit, laudandus erit confessarius si ei operam suam non *denegaverit*, et Ordinarium consulat, reticito nomine poenitentis (Cit. Instr. 1867, n. 7).

(21) Ronca.; S. Alph., VI, 694.

(22) S. Alph., VI, 695, 698.

(23) Cit. B. *Sacr. Poenit.*, §§ 1, 2.

(24) Aley., VII, 7.

(25) S. Alphons., VI, 696. Lex non distinguit; et alias vix denunciationi locus foret.

(26) Alex., VII, 5.

(27) B. *Sacr. Poenit.*, § 2.

(28) Alex. VII, Decr. 8 iul. 1660. Quid si iam emendatus fuerit? Multi negant esse denunciandum (V. S. Alphons., VI, 686).

(29) S. U. I., 26 iul. 1628; 28 februar. 1867.

(30) S. U. I., 20 febr. 1867, 3.

(31) B. *Sacram. Poenit.*, § 2.

(32) Ex L. 5, *Quis ord. in bon. poss.*; C. 3, *De Suppl. negl. prael.*

(Prol., § 296, n. 3): sin quandocumque sibi libuerit, eam nec post mensem incurrit, quandiu bona fide existimat adhuc posse differri. Ceterum si promiserit denunciaturum, et ei fides haberi possit, absolvi poterit a confessario; et nedum *a peccatis* ante mensem elapsum, quod in Const. Bened. XIV expresse cautum est; sed et *ab excommunicatione* post mensem (33).

APPENDIX.

ART. I. *De Confessariis regularium, etc.*

370. Ordiamur a confessariis monialium. Moniales heic accipimus mulieres religiosas in rigorosa clausura viventes (1). Harum confessiones nemo valide excipit nisi iurisdictione, vel (si illae *exemptae*) approbatione accepta ab Ordinario loci (2). Haec autem danda est *speciatim* (3); his quoque qui munus confessoris alias exer-

(33) Avanzini, in C. *Ap. Sedis*, p, 114, Romae 1872; Comment. Patav., III, 332. Scilicet Const. *A. S.*, quando id voluit, expressit (V. Prol., § 391, n. 4); eoque magis absolvi potest post denunciationem peractam (S. Poen., 22 mart. 1832).

Sic igitur procedendum erit; denunciatio iuramento et subscriptione denunciantis muniri debet. Nefas est denunciantem interrogare, an ipse sollicitationi consenserit, et si fuerit interrogatus negare poterit (S. Alphons., VI, 700): et si id ipse manifestaverit, reticendum erit. Accepta denunciatione, Ordinarius non antea procedat, quam sibi *perspectum exploratumque sit, integram* denuncianti *fidem haberi posse.* Instructis actis, denunciatus *observetur;* et nonnisi ab altera, vel tertia (ceu S. O. moris est) denunciatione adversus eum procedatur. Ex hac autem Episcopus in reum (sed non inauditum, nec indefensum) *ipsemet* sententiam ferat. Nempe poenis in iure statutis: mitius tamen si vel *post* denunciationem sponte se stiterit; vel *ante*, si non plenam sui criminis confessionem fecerit. At si et ante denunciationem stiterit, et plene confessus fuerit, et veniam petierit, *dimitti debet cum congrua abiuratione, et poenitentiis dumtaxat salutaribus; adiecto consilio, vel praecepto, ut ab excipiendis confessionibus personae sollicitatae se deinceps abstineat* (Cit. Instr. 1867).

(1) Bened. XIV, C. *Pastoralis curae,* 5 aug. 1748. *Bullar.*, II, LVI.

(2) Greg. XV, C. *Inscrutabili.* Sed quae extra monasterium versantur, v. g., valetudinis causa, quovis confessore uti possunt (S. C. E., 27 aug. 1852, ap. Scavini, III, 393; Croix, VI, II, 1527). *Approbatione:* qua proinde verius vel ipsi Provinciales et Generales Ordinum egent (V. ad Ferrar., v. *Approbatio*, III, 20; Cf. Lucidi, To. 2, p. 207, n. 230; ex S. C. C., in *Lycen.*, 22 sept. 1742; *Ib.*, p. 223). Verum quia moniales exemptae, ratione *personarum;* et quae cum eis degunt novitiae vel educandae, ratione *loci*, non subiacent Ordinario, is verius non potest confessario reservare casus (S. Alph., VI, 602).

(3) Ex Clem. X, C. *Superna.* Etiam tempore Iubilaei (Pelliz., *De Monial.*, IX, 21).

cent (4); nec ad alia monasteria, vel alias moniales, vel in aliud tempus trahi potest (5).

371. Sunt autem confessores monialium vel ordinarii, vel extraordinarii. Ordinarii qui habitualiter constitui solent. Vulgo ad triennium deputantur; nec in longius tempus (6), immo sanctimonialibus exemptis nec in brevius (7), deputari queunt. Dat autem Ordinarius non exemptis quos mavult, exemptis quos Praelatus Regularis praesentaverit regulares tantum eiusdem Ordinis (8), nempe ceteris paribus. Exacto triennio, omnium iurisdictio ipso iure finitur (9): at enim in triennio, non computatur tempus quo quis precario forte (*provisorie*) eo munere functus est (10). Itaque in alterum triennium, nisi ex privilegio S. C. EE., confirmari non poterit (11); nec Ordinarius confirmatum, in tertium subinde, verius, confirmare permittitur: et ita quoad Abbatissas censuit Congregatio deputata ab Innocentio XII (12). Functis autem officio triennali expedit monialium colloquiis, litteris, internunciis, abstinere; etiam circa ea quae ad conscientiae moderationem pertinent (13).

372. Extraordinarii sunt qui bis, ter, quater in anno, ad modicum tempus universis monasterii sanctimonialibus dari solent. Deputandi sunt ab his quorum est ordinarios deputare; et exemptis etiam alterius Ordinis regulares dari possunt (14). Omnibus autem

(4) S. C. C., post Const. 18 Gregor. XV; Pelliz., IX, 21.

(5) Ex cit. C. *Superna;* S. C. C., apud Ferr., v. *Approbatio*, III, 6, etc.

(6) Ex Declarat, S. C. E., 15 februar. 1593; Cf. Lucidi, II, p. 170, § 148. – *Quae tamen non est ubique recepta* (Pelliz., X, 172).

(7) S. C. E., 4 maii 1696; Ferrar., v. *Approbatio*, III, 13. Sed Praelatus Regularis, Ordinario eum monente ex gravi causa (quam is non cogitur ei significare), debet eos removere (Greg. XIII, C. *Inscrutabili;* Pelliz., *l. c.;* Ferrar., v. *Confessarius*, V, 6).

(8) Ben. XIV, cit. C., § *Sane*, 10.

(9) S. C. E., 4 mart. 1591; V. Ferrar., v. *Monialis*, V, 19. Nihilominus, ubi confessariorum idoneorum copia deest, Ordinarii sinunt ipsos durare ultra triennium (De Alex., Q. IV, in fin.; S. Alph., VI, 577), et *ad plures annos* (Pelliz., X, 172, in fin.).

(10) Pelliz., X, 172. Scilicet *prohibitio de non eligendo confessario ultra triennium, prout odiosa, stricte accipienda est de electione ordinaria, non extraordinaria* (S. Alphons. VI, 577). Nempe, si is precario (atque ideo in tempus indefinitum) deputatus fuerit *ex iusta causa* (alias inventa erit fraudandae legis ratio); v. c., dum ordinarius quaeritur, opperitur; dum redit, quoad convalescat, etc. (De Alex., *l. c.*, q. III; Ferrar., *l. c.*, n. 22; Lucidi, *l. c.*, nota 6, n. 149).

(11) S. C. C., 27 mart. 1647.

(12) Cf. Ferrar., n. 25; Lucidi, n. 150. Quod vel ipse Pelliz. (X, 172) animadvertit.

(13) Ferrar., v. *Confessarius*, V, 45. Quod Romae praeceptum est (*Ib.*, n. 37).

(14) Ben. XIV, Cit. Const., § *Sane*, 10.

offerri debent saltem bis aut ter in anno (15), etsi non petentibus: et si Episcopus, vel Praelatus regularis eos *bis aut ter in anno deputare neglexerit*, Episcopi negligentia a Maiori Poenitentiario, Praelati ab Episcopo *pro sui arbitrio et conscientia* supplebitur (16). Amplius, si Praelatus regularis non offerat saltem semel in anno confessarium regularem alterius Ordinis, vel saecularem, ea vice eligit Episcopus quem maluerit (17). Extraordinario autem sistere se omnes debent successive, seu velint confiteri, seu nolint (18). Toto autem *eo tempore quo durat deputatio extraordinarii*, confessarius ordinarius prohibetur *ministerium suum exercere et ad monasterium accedere* (19).

373. Ad haec datur nonnunquam etiam singulis peculiaris confessarius, sive habitualiter, si ordinario confiteri *obfirmate recusent;* sive aliquoties, utputa in gravi infirmitate, vel *pro maiori animi, sui quiete, vel ulteriori in vita Dei progressu* (20). Praelati autem regularis est, exemptis eum *deputare* inter approbatos ab Ordinario ad confessiones monialium, vel huic *praesentare,* si is quem monialis petit non sit ex approbatis; et si Praelatus renuerit, dabit Episcopus, *etiam alterius Ordinis, vel saecularem* (21). Confessariis autem huiusmodi extraordinariis (sive generalibus, sive particularibus), regularibus inquam, *postquam suum officium impleverint*, ad idem Monasterium *ulterius accedere*, *aut ullius generis commercium intra ipsum quomodocumque continuare et fovere, etiam spiritualis causae aut necessitatis obtentu aut colore*, sub poenis adversus regulares cum monialibus colloquentibus constitutis, vetitum est (22).

374. Quae autem de monialibus constituta sunt, Bened. XIV in

(15) Trid., XXV, *De Reg.*, 10. Immo et saepius, si id videbitur expedire (Bened. XIV, cit. C. *Pastoralis curae*, § 2).

(16) Bened. XIV, *l. c.*, § *Quum vero*, 4.

(17) Benedict. XIV, *l. c.*, § *Verum*, 13.

(18) V. Trid., *l. c.*, Bened. XIV, *l. c.*; § 3.

(19) Bened. XIV, Orac. vivae vocis, an. 1749, ap. Lucidi, II, p. 176, § 163.

(20) Ben. XIV, *l. c.*, §§ 5, 6, 7. Sed in hoc posteriori casu earum *petitio nec temere exaudiri, nec sine causa reiici debet; sed concedenda, nisi aut postulantis, aut confessarii requisiti qualitas aliud suadeat* (*Ib.*, § *At vero*, 8). Quin hodie dandus est *quoties eum petunt ut conscientiae suae consulant, quin* (Superiores) *ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre id ferre demonstrent* (S. C. Epp., iussu SS. D. N. Leonis XIII, 14 decembr. 1890).

(21) Ben. XIV, *Ib.*, § *Actum*, 6; Ben. XIV, cit. Orac. vivae vocis.

(22) Bened. XIV, *Ib.*, § ult., *Regularibus;* Ben. XIV, cit. Orac. vivae vocis.

his quoque servari cupit, quae clausuram non habent; immo in quibuscumque mulierum, et puellarum una viventium coetibus, seu conservatoriis, quae unicum ordinarium poenitentiae ministrum a Superioribus designatum habent (23). Quem idcirco singulis trienniis renovandum esse S. C. EE. censuit (24). Huic autem licet vel extra conservatorium, aut monasterium confiteri (25). At vero ubi moniales, aut mulieres huiusmodi in ecclesiis confiteri solent, cuivis (alias approbato) confiteri possunt (quod consuetudine est introductum) quamvis ordinarium confessorem habeant ab Episcopo designatum (26). Quamobrem de extraordinario eis offerendo sollicitum esse haud oportet.

375. *Sed nec viris* regularibus licet confiteri extra Ordinem sine consensu suorum Praelatorum. Tantum cum peregre agunt, si non habent socium vel alium confessarium sui Ordinis (nempe idoneum) licet eis cuivis sacerdoti confiteri, ut ante Conc. Trident. atque ideo etsi ab Ordinario loci non sit adprobatus ad confessiones audiendas; *quae* communissima sententia est. Sed a casibus in eo loco reservatis in quo confitentur, praeterquam ab eo qui facultate ab eis absolvendi praediti sunt, absolvi non possunt (27).

376. Confessariis, nedum monialium, sed cuiusvis domus religiosae, cura interior animarum et conscientiae moderatio credita est privative quoad alios. Porro cum in nonnullis Congregationibus, Societatibus, Institutis, seu monialium (votorum sive solemnium sive simplicium) seu virorum, professione ac regimine penitus laicorum, moderatores ac moderatrices (confessariorum potestate, novo haud exemplo (28), usurpata) intimam subditorum conscientiae scrutationem, et ea quae pertinent ad sacrae communionis frequentiam, et imprimis ab ea prohibendi pro suo lubitu ius ad se avocassent, SSmus D. N. Leo PP. XIII, ad huiusmodi abusus radicitus extirpandos, *distincte* eis prohibuit, personas sibi subditas *inducere directe vel indirecte, praecepto, consilio, timore, minis, aut blanditiis ad manifestationem conscientiae sibi peragendam* (29). Ius autem per-

(23) Ben. XIV, cit. Const., § *Porro* 3.

(24) S. C. E., 27 sept. 1861; Scavini, III, 393.

(25) S. C. E., 22 ian. 1847; Scavini, *l. c.*

(26) Balleri., ad Gury, II, 567. Quae autem olim viguit *aperitio conscientiae Superiorissae*, hodie nec obligat, nec probatur (S. C. E., 10 martii, 25 et 30 april. 1860, Scavini, *l. c.*).

(27) V. S. Alph., VI, 575.

(28) V. C. 10, *De Poenit. et Remiss.*

(29) Per S. C. E., 14 dec. 1890. *Eos vero qui ad id inducere audent*, Superioribus maioribus, hisque

mittendi vel prohibendi accessum ad sacram synaxim ad solum confessarium, sive ordinarium sive extraordinarium, pertinere declaravit; *excepto casu quo aliquis, post ultimam sacramentalem confessionem, communitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam patraverit, donec ad poenitentiae sacramentum denuo accesserit.* Amplius, si quis ad sacram synaxim frequentius, quam ex consuetudine aut regulis licet, accedere aveat, confessariis potestatem fecit id singulis permittendi: sed ea lege, ut et hi de concessa sibi frequentiori, vel etiam *quotidiana* communione, certiorem reddere superiorem; et superior, si quid super his animum advertendum duxerit, teneatur *confessario manifestare, cuius iudicio acquiescendum omnino erit* (30).

Art. II. *De Obligatione confitendi.*

377. Extat praeceptum iure evangelico constitutum confitendi semel omnia letalia post baptismum admissa (1). Eo igitur tenentur soli baptizati, ex quo pervenerint ad annos discretionis (2). Verum nemo tenetur confiteri nisi uni tantum, et secreto: ideoque ignaro idiomatis satis erit ea quae poterit confiteri nutibus; per interpretem non tenetur (3); ei vero qui palam confiteri necesse habet, sufficit vel *in genere* (§ 302, n. 7) confiteri. At vero omnibus, ut huic praecepto satisfacere possint, ea confessio est necessaria, qua peccata revera delentur (4). Obligat autem vel per se, vel per accidens.

deficientibus, eidem S. C. denunciari iussit. Quavis contraria consuetudine, vel immemorabili, explosa: et quibusvis contrariis *dispositionibus*, etiam a S. Sede, etiam in *forma specialissima* adprobatis, *penitus* abrogatis, quae praeterea ex propriis *manualibus directoriis constitutionibus* expungi ac deleri iussit.

(30) Cit. Decr., 14 dec. 1890. Et haec ab omnibus superioribus sive minoribus sive maioribus observari decrevit, sub poenis contra superiores Apostolicae Sedis mandata violantes ipso facto incurrendis.

His adde quae sanxit de confessariis extraordinariis monialibus concedendis (§ 372, n. 20).

(1) *Ioan.*, XX, 23; Trid., 14, *h. t.*, Cap. 5. – *Letalia;* venialia hac lege non continentur. Nec obstat C. 12, *De Poenit.* (L. Lugo, XV, 132). *Omnia*, ideoque etiam remissa *contritione perfecta*, vel *indirecte;* idest oblita, et omissa inculpabiliter.

(2) C. 12, *De Poenit.* Sive antea, sive post septennium completum. *Communissima* (Sporer, *h. t.*, n. 425).

(3) S. Alph., VI, 479, II°.

(4) Suar., 35, 7, 3. – *Delentur;* ideoque non satisfacit qui *sacrilege* confitetur, quae certa (Alex., VII, 14); nec qui *invalide*, quamvis non sua culpa (Salm., 6, 7, 52), quae hodie verior omnino sententia est (S. Alphons., VI, 672), nec is qui inabsolutus recedit (Laym., V, 11).

378. Per se obligat semel in anno, et in quovis probabili periculo mortis. Et in primo semel in anno (5). Verum unde annus initium capiat; utrum (missis ceteris placitis) a dominica palmarum (6), an a prima die Ianuarii (7), non satis convenit. Illud non ambigitur, satisfacere eum, qui quavis anni die confitetur (8). Quando autem hoc praeceptum spectat peccata letalia tantum, consequens est dicere, 1° eo non teneri qui letali nihil admisit (9), vel ea tantum admisit quae in praesens non cogitur confiteri (10). Et contra, 2° non satisfacere eum, qui confitetur sola venialia, aut sola letalia iam alias rite confessa, quippe *aliud* confitetur (Prol., § 166, n. 29): is igitur eo anno denuo confiteri debebit, si VEL letalia fuerit oblitus, VEL ea omiserit iure suo, VEL in haec inciderit postea (11). 3° Eum vero qui vel unum letale rite confessus est, praecepto satisfecisse (12); ideoque non cogi eo anno confiteri denuo, si aut in alia letalia reinciderit (13), aut oblitum aliquod recordetur, aut aliquod grave praetermiserit ex iusta causa (14). Qui toto anno non

(5) CC. 12, 15, *De Poenitentia.*

(6) Suar.; Salmant.; S. Alph., VI, 662.

(7) Vasquez; Lugo, XV, 175.

(8) Salm., 6, 7, 37. Nec est obligatoria consuetudo confitendi in Paschate (Salm., *l. c.*, ibiq. Valent., Suar., etc.), quippe introducta vel devotionis, vel commoditatis causa (Laym., V, 3; Lugo, XV, 158). Nec tenetur quis confiteri quamprimum, licet hoc ipsi commodissimum sit (D. Th.; Cano; Lugo; Salm., n. 5); vel ob periculum ne sibi aliquid peccatum excidat (Lugo, n. 41). Sed tantum si, ut alias (V. Prol., § 167, n. 34), praevideas, te posthac toto anno copiam confessarii (Salm., 6, 7, 40), vel Superioris, si reservatum quid admiseris (Lugo, XV, 182), non habiturum.

(9) Laym., V, 12; S. Alph., VI, 667.

(10) Suar., 36, 6, 6. Seu possit de eo celare confessarium (Salm., 6, 7, 31), seu sit reservatum (Lugo, XV, 175). Nec, verius, qui per errorem unum dumtaxat confitetur letale quod non admisit, quia pro nulla infectaque est huiusmodi confessio (Croix, VI, II, 2041, contra Lugo).

(11) Vasq., Qu. 90, Art. 3, dub. 1, n. 16; Laym., V, 10. Quamvis in haec inciderit in ipsa novissima anni die (Lugo, XV, 162, 173, 174; Salm., 6, 7, 41). Quid si confessus fuerit letale, sed quasi dubium, et postea in letale certum inciderit? Missis placitis TT., dicam quod sentio. Si is adhuc dubius haeret, siquidem confessus fuit dubius, an admisisset, non satisfecisse dicendus est; secus sin dubitans an confessus fuisset: scilicet illic fuit materia *libera* peccatum huiusmodi, hic *necessaria.*

(12) Salm., 6, 7, 43.

(13) Lugo, XV, 164; Laym.; Croix, VI, II, 2049; Salm., 6, 7, 42.

(14) Laym., VI, 13; Lugo, XV, 165, 167; Salm., 6, 7, 43, 44. Nisi praetermiserit reservatum, quia, ait Lugo, confiteri omnia debent *proprio* Sacerdoti (C. 12. *De Poenit.*), idest, *iurisdictionem habenti* (n. 175). Sed non bene (Croix, VI, II, 2030), quia proprius sacerdos is dicitur, qui potest omnia absolvere quae necesse est confiteri; alias is ea confessione non satisfaceret praecepto; adeoque vel non teneretur ei confiteri, vel bis teneretur.

confitetur, probabilius, tenetur sub gravi confiteri quamprimum (15); videtur enim hoc magis iustitiae quam religionis praeceptum (Prol., § 167). At vero si in novo anno nova admiserit letalia, una omnium confessione defungitur praecepto utriusque anni (16).

379. Deinde tenemur confiteri in quovis probabili mortis periculo, vel solum extrinseco (17). Et ex praecepto caritatis, in eo articulo (cum nulli sua perfecta contritio certa esse possit) confiteri oportet saltem unum *in specie*, etiam per interpretem, et etiam palam omnibus (18). Qui non confitetur peccat graviter; verum, si periculum evaserit, obligatio ea vice finitur (19).

380. Ad haec, confessio obligat *per accidens*, 1° quoties ministrandum est aliquod Sacramentum seu vivorum seu mortuorum (§ 114), aut vivorum recipiendum (§ 118, n. 10), si nequeas elicere actum contritionis perfectae; immo etsi queas, si Eucharistia sumenda sit, de quo postea. 2° Cum quis gravi tentatione divexatur, quam, nisi hoc Sacramento suscepto, superare non valet (20). 3° Si probabile sit, se *nunquam* postea habiturum copiam confessarii (21).

381. Ad ultimum abs re non erit aliquid addere de obligatione agendi poenitentiam. Poenitentiam heic accipimus contritionem perfectam (§ 175, n. 8). Haec igitur naturali iure semper necessaria fuit lapsis (22), et hodie quoque necessaria est his qui confiteri nequeunt: nam confitentibus sufficit attritio (§ 176, n. 13); etiam, verius, in articulo mortis (23). Obligat autem naturali iure *per se*,

(15) S. Alph., VI, 297; 668. Ceterum, ait contrariam sententiam non esse, ut in Eucharistia (V. § 264, n. 20), contemnendam.

(16) Salm., 6, 7, 45; S. Alph., VI, 669.

(17) Lugo, XV, 37; Salm., n. 6; Croix, VI, II, 219. Verum si quis aliquod innoxius omiserit, vel iterum admiserit postea, non tenetur *ex hoc capite* iterum confiteri (Bonac., Q. V. Sect. 2, P. IV, n. 5; Dicast., n. 21); sed vel ex generali, vel ex annuae confessionis praecepto (quod ab hoc omnino separatum est), si nondum eo anno confessus fuerat.

(18) Salm., 6, 7, 18, 21; Suar., 36, 6, 5. Sed sufficit *leve* aliquid confiteri (Lugo, XV, 63). Dixi unum *in specie*, cum non sit plane certissimum, confessionem *in genere* (§ 165, n. 7) validam esse.

(19) Croix, VI, II, 2019; Bonac.; Henriq., etc.

(20) Suar., 35, 3, 10. At mox ipsemet subdit: *Vix potest cogitari occasio, in qua non possit superari tentatio, aut vitari peccatum, nisi per medium confessionis.* Ideo de hac obligatione nemo hucusque scrupulum fidelibus iniecit, nec iniiciendus est.

(21) S. Alph., VI, 665; V, Prol., § 167, n. 11.

(22) *Luc.*, XXII, 15; Trid., XIV, C. 4.

(23) Laym., VI, 12; Lugo VII, 262; Salm., 6, 1, 39. Alias Christus duo imposuisset morituris: contritionem et sacramentum. *Verius*, nam plures contra tenent, quibus adhaerere consultissimum est (Vide Croix, VI, II, 2009; S. Alph., VI, 437, d. 2).

non statim ac aliquis lapsus est in letale, sed (quia nullum tempus heic definitum est, Prol., § 167, n. 16) morientem (24). Per *accidens* vero obligat quoties existenti in letali, citra confessionem, ministrandum est aliquod sacramentum, aut sacramentum vivorum suscipiendum: et cum talis urget tentatio, quae sine contritione huiusmodi superari non valet (25).

(24) D. Th.; S. Alph., VI, 437, 1. Porro aliud est nolle *unquam* poenitere, aliud nolle *modo:* illa (impoenitentia positiva) *novum peccatum* est; haec (impoenitentia negativa) *circumstantia* peccati (D. Th., II, II, 14, 2; Spor., 181).

(25) Suar., XV, 6, 7; S. Alph., VI, 437.

TRACTATUS IV.

DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA

CAPUT I.

DE EUCHARISTIA SECUNDUM SE.

PRAENOTANDA

382. Eucharistia (latine gratiarum actio) est: *Fidei nostrae mysterium, quo, sub speciebus panis et vini, per sacerdotem verbo consecratis, ipsemet Christus offertur, continetur et sumitur.* Eucharistiam Christus instituit, qua nocte tradebatur, in sui memoriam; eaque sui erga nos amoris divitias velut effudit. Hoc mysterium sacrificii et sacramenti vim habet: sacrificii dum conficitur, sacramenti cum sumitur (1). Et in eo distat a sacramentis ceteris, quod non materiae *usu,* sed *consecratione* perficitur; et non tantum gratiam, sed et ipsum gratiae Auctorem praestat. Praeterea illud heic, ut in ordine, speciale est, quod numquam prorsus, nec ad mortem vitandam, licet consecrare materiam dubiam; nempe propter periculum idololatriae materialis; et praeterea, si una tantum sit dubia, propter integritatem sacrificii. Verum cum haec fuerit consecrata, eam despicere, vel adorationi exponere, utrumque est grave; sed post consummationem, ante purificationem, sumenda erit. Idem iuris est, si dubites, an materiam, ceteroquin aptam, consecraveris; verum haec, si iterum sub conditione rite consecrari possit, iterum est consecranda.

383. Amplius; haec mysteria perfecta videri non possunt, nisi *perfectionis ordine compleantur* (2). Quo ordine autem compleri debeant, Rubricae Missalis Romani nos edocent. Verum ex his quae-

(1) D. Th., III, 79, 5; S. Alph., VI, 217.

(2) C. 16, Cau. 7, 1 (Conc. Tolet.).

dam praeceptivae, et quaedam directivae esse dicuntur (3): quaenam illae, quaenam hae, inter Nostros non satis convenit: placet sententiam Merati, Quarti, et S. Alphonsi existimantium, directivas esse quae tradunt ea quae ante vel post missam agenda dicendave sunt, ceteras esse praeceptivas; ac proinde has tantum obligare pro gravitate materiae (4). Nihilominus non improbabiliter Suaresius putat, quae (ex his) continentur sub Tit. – *De Defectibus* – *esse instructiones doctrinales, quae non magis obligant quam doctrina in qua fundantur* (5). Sed si alicui, dum hoc mysterium peragit, aliquod dubium occurrat, id faciat *quod habet minus de periculo* (6); seu *quod magis expedire censuerit: illud autem semper prae oculis habendum est, ut scandalum caveatur* (7).

Art. I. *Communia Sacrificii et Sacramenti.*

384. Sacrificii et Sacramenti in Eucharistia communia sunt *res*, et *verba*, quibus utrumque perficitur. Res sunt panis et vinum. Panis nempe, 1° triticeus (1); 2° subactus aqua naturali (2); et, 3° coctus igne puro (3). Ex 1° igitur, est materia dubia panis ex siligine, vel alica (4); inepta prorsus ex hordeo, farre, aut avena (5). Ex 2° dubia erit panis consecratio si quo alio liquore subactus fuerit; velut aqua rosacea (6), vino, oleo, lacte, butyro, ovis, etc. (7). Item ex 3° si elixus fuerit adipe, oleo, vel quo alio liquore (8): irrita prorsus si puls facta sit, laganum, etc. (9). Amplius: etsi panis triticeus sit, et subactus aqua naturali, et coctus igne puro, erit materia prorsus inepta si fuerit corruptus; sive ex tritico iam corrupto confectus fuerit, sive postea corruptionem imbuerit (10): si tantum corrumpi coeperit, consecratio quidem valida est, sed

(3) B. S. Pii V, *Quo primum*, v. *Volumus*.
(4) S. Alph., VI, 399.
(5) Suar., D. 85, 1. Sed hodie quidam omnes praeceptivas esse docent: nec forsan immerito, stricto iure: sed non sunt mutanda quae interpretationem certam semper habuerunt. (V. Prol., § 184, n. 7).
(6) D. Th., III, 83, 6 ad 2.
(7) Suarez, D. 84, 2.
(1) Eug. IV, *Decret. pro Armen.*
(2) Suar., D. 44, Sect. 2. Etiam aequorea (S. Alph., VI, 199, VI).
(3) Croix, VI, 1, 427.
(4) Lugo, *h. t.*, IV, 4; S. Alphons., 200.
(5) Renzi, *h. t.*, VIII, IX, 10.
(6) Miss. Rom., *De Defect.*, III, 2.
(7) Suar., *l. c.*, v. *Dico*; Lugo, IV, 1.
(8) Croix, 426; S. Alph., VI, 199.
(9) Lugo, IV, 5.
(10) D. Th., III, 74, 3 ad 4. Ut ecce confectus ex amulo (Lugo, n. 6), vel ex farina iamdiu molita.

gravi (11), nisi in gravi necessitate (12), non vacat. Illud non interest azymusne sit an fermentatus; sed Latinis hoc uti, Graecis illo, grave est, etiam ad Viaticum administrandum (13): praeterquam dum peregre agunt, si, quo loco celebrant, nulla extat sui ritus ecclesia (14).

385. Dein vinum; nempe, 1° de vite; 2° potabile. Proinde (ex 1°) inepta materia est cerevisia, zythum, lora (quae fit ex vinaceis) et quodvis vinum artificiale, licet vulgo pro vino bibatur; ut idromeli mulsum etc. (15): (ex 2°) vinum quo panis imbutus est (16); non item (verius) gelu concretum, quippe etsi non in praesens, adhuc tamen suapte natura potabile est (17). Amplius, quod nondum vini naturam induit, ut omphacium; vel, contra, quod eam amisit, ut acetum, inepta materia est (18). At mustum (19) (non sapa), et vinum quod coepit acescere (20) valide consecrantur; sed non sine letali, praeterquam ex gravi necessitate (21).

386. Ad haec, vino admiscenda est aqua modicissima (22), et in ipso calice est admiscenda sub gravi (23): quae si desit, consecratione abstinendum erit; etsi Viaticum dandum sit morituro, vel iam coepta fuerit missa (24); dummodo, ut puto, id sine scandalo fieri possit.

387. Porro Eucharistia conficitur panis et vini consecratione, quae fit his verbis: *Hoc est enim corpus meum — Hic est enim*

(11) S. Alph., VI, 201.

(12) Ben. XIV, Not. 77. Ex S. Alphons.; VI, 207. Et nec in gravi, si dubium sit, ne forte sit plane corruptus (V. § 110, in fi.).

(13) S. Alph., VI, 203, d. 2.

(14) Eug. VI, *l. c.;* Suar., D. 44, 3. Atque ideo quo malint (S. Alph., VI, 203, d. 1). Praeterea grave est consecrare hostiam fractam vel maculatam, si vel scandalum timeatur, vel si fractura aut macula sit enormis; nisi forte id post oblationem factam (quasi post coepta mysteria) animadvertas (Croix, VI, I, 432; S. Alph., VI, 204). Demum pro Missa celebranda uti hostia minori (*particula*), si maior desit, remoto scandalo, leve est; et si qua iusta causa, immo vel ex sola devotione fiat, ne leve quidem (S. Alph., VI, 205).

(15) V. L. *Si quis vinum.* De vino tritico oleo etc.

(16) Lugo, IV, 12. Et forma esset falsa.

(17) S. Alph., VI, 207, *Quaer.* II°.

(18) S. Alphons., VI, 206. Item vappa (Scavini).

(19) Salm., 4, 4, 30. Denique panis et vini consecrandi nulla est determinata quantitas; quantacumque igitur, vel quantalacumque (Sed V. § 253, n. 8) ea sit, valide consecratur (D. Th., III, 74, 2).

(20) Miss. Rom., Tit. IV, 2. Idest corrumpi; nam si *parum* acuit, licet uti, alio deficiente (S. Alphons., VI, 207).

(21) D. Th., III, 74, 5 ad 3. — V. c., ne populus careat Missa die festo.

(22) Eug. IV, *Decr. Pro Armen.*

(23) Cf. Lugo, IV, 16, etc.; S. Alphons., VI, 208.

(24) Suar., D. 48, 2.

calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Haec verba proferri debent in persona Christi formaliter, ideo nihil actum erit si dixerit: *Hoc est corpus Christi* (25). Et significare debent, 1° rei praesentis, 2° transubstantiationem, 3° in istanti (26); alias (quia forma significando efficit) consecratio aut nulla erit, aut dubia. Itaque nihil erit actum, ex 1° si dixeris: *illud est corpus meum* (27); ex 2° EN *corpus meum*, vel *hoc corpus meum* (28). ex 3° *hic* PANIS *est corpus meum*, vel, *hoc* FIAT vel *hoc* FIT, *hoc* SIT *corpus meum* (29). Ceterum ea sola verba sufficiunt, quae haec omnia significant: proinde si in utraque consecratione praetermiseris verbum *enim*, consecrationem valere certa (30); sin vinum consecraveris his tantum verbis: *Hic est enim calix sanguinis mei;* forte *verior* sententia est (31): eoque magis utraque consecratio valebit si omiseris ea verba, *qui pridie — simili modo*, etc. (32).

388. Hactenus de rebus et verbis seorsum: nunc videamus qualiter verba rem desiderent dum consecratur. Sane pronomina *hoc* et *hic* rem significant, 1° certam, – 2° praesentem, – 3° positam prope. Ex 1° igitur, rem quae consecratur determinatam

(25) Bonac., Busemb., ap. S. Alphon., VI, 221.

(26) Cf. D. Th., III, 78, 2. – *In istanti:* idest non *in fieri*, quod est aliquid successivum, sed *in facto esse:* scilicet forma non *quod fit* significat, sed *quod factum est* (D. Th., III, 75, 7); *Hoc, hic* EST.

(27) Bonac., D. IV, Quae. 3, P. I, n. 14. Non item si dixeris *istud* (Laym., III, 3).

(28) Suar.; Salm., 4, 5, 3; S. Alphons., VI, 223, IV. Scilicet assertoria magis, quam consecratoria, esse videntur. Et si dixeris *haec est caro mea*, erit ad minimum dubia (S. Alph., VI, 221, 223); quia verbum *caro*, usu quidem S. Scripturae *corpus*, at vulgo, et vi sua corporis tantum partem, ideoque huius dumtaxat transubstantiationem significat.

(29) D. Th., III, 78, 2; Suar., 58, 7.

(30) S. Alph., VI, 220.

(31) V. Lugo, XI, 60; S. Alph., VI, 223. Item: *Hic est sanguis meus:* nam eadem plane est: scilicet ea verba *hic est* CALIX, etc., per metonymiam dicta sunt ad significandum sanguinem D. N. I. C. esse *potum* fidelium. D. Th. (III, 83, 3) putat omnia necessaria esse, quasi quaedam determinationes praedicati (sanguinis Christi): sed et Graeci putant necessaria esse in consecratione panis ea verba: *Quod pro vobis tradetur.*

(32) V. Lugo, D. XI, Sect. 3. Quae a S. Benedicto Papa I addita fuerunt. Nihilominus sine gravi sacrilegio omitti non possunt. Et si sacerdos mortem obierit semiprolata consecrationis forma, consecratio resumenda est ab his verbis (Miss. Rom.). Sed omittere adverbium *enim* ex Suaresio leve est, ex S. Alph. letale.

esse oportet, ac definitam, intentione consecrantis (33); quamobrem si ex duabus hostiis unam consecrare velis, nisi eam determines, neutram consecras (34). Quid si unam putes, et duo sint, alia aliae superposita? Et si eas *prae manibus* habeas, utraque consecratur: intelligeris enim consecrare velle quod manibus tenes (35); sin *prae oculis*, ea tantum quae apparet, si quid opinor. Ex 2° esse debet consecranti, dum formam pronunciat, *coram posita* (36), saltem moraliter, idest in vase aliquo ad id destinato velut pixide (37); licet is illam, forte caecus, non videat (38). Ex 3° demum non consecratur materia procul posita: et si extet ultra 50 circiter passus, consecratio invalida erit; si non ultra 20, valida; inter hos, dubia (39).

389. Rite prolatis verbis consecratoriis, ex pane et vino fit corpus et sanguis D. N. I. C., verissima (ut in scholis loquimur) *transubstantiatione*. Et corpus quidem existit sub specie panis, sanguis autem sub specie vini, ex vi verborum; alterum vero in altero, et in utroque anima existit vi concomitantiae; et divinitas vi unionis hypostaticae (40). Existit autem Christus sub utraque specie ad instar naturae (41), ideoque integer singulis utriusque partibus: quod, hostia nondum fracta, et vino nondum in partes diviso, *certum;*

(33) Lugo, IV, 129. Proinde non consecratur materia, quam non animadvertis, utputa particulam positam super corporali inscio te, vel a cumulo seiunctam (Busemb., ap. S. Alphon., VI, 215).

(34) Miss. Rom., *De Defect.*, VII, I. Quamobrem, si particulis consecratis non consecratae fuerint admixtae, nec discerni et separari possint, sacerdos (dum eas iterum consecrat) intendere non debet, nondum consecratas dumtaxat consecrare, ceu Laym. existimavit, sed totum cumulum sub conditione, *si non sint consecratae* (Lugo, IV, 136, 139; S. Alphons., VI, 216).

(35) Miss. Rom., *l. c.*, n. 2.

(36) Salm., 4, 4, 11. Ideoque non consecratur posita post tergum celebrantis, vel post parietem, aut aliud corpus opacum, vel (quae mihi vera prorsus sententia est) sub corporali (V, Salm., n. 116; V. Croix, VI, I, 455).

(37) Lugo, IV, 123. Quamvis clausa, sed hoc levi non vacat (Ex Rub. Miss., *Ritus*, etc., VIII, 5). *Destinato*: ideo non consecratur si recondita est in ciborio (Pal., P. VI, 5).

(38) Sot.; Salm.; S. Alph., VI, 212.

(39) Salm., 4, 115; S. Alph., 113. – *Circiter*, nam et quantitas materiae inspicienda est (Lugo, IV, 125). Ad haec, grave est consecrare materiam positam extra corporale. Quid igitur si destinaveras eam consecrare, et, dum consecras, non animadvertis extra corporale esse positam? Quidam putant nihilominus consecrari, quia ad validam consecrationem nihil deest; alii contra, quia intentio deesse praesumitur. Ego, si tibi aliquando propositum fuit non consecrare quae sine peccato consecrari non possunt, his; secus illis assentior (V. Prol., § 136, n. 25).

(40) Trid., XIII, 3; D. Th., III, 75, 1.

(41) D. Th., III, 75, 3.

post haec vero *de fide* est (42). Et tamdiu remanet sub speciebus, quamdiu ita fuerint corruptae, ut desierint esse species panis et vini. Hucusque de rebus et verbis quibus eucharistiae seu sacrificium, seu sacramentum conficitur. Nunc de ministro agendum foret. Sed de hoc expedita res est; etenim omnes et solos Sacerdotes posse Eucharistiam conficere latet neminem.

ART. II. *De Eucharistia qua est sacrificium.*

390. Sacrificium definitur: *Oblatio rei sensibilis facta Deo, qua eum dominum vitae et mortis, illam destruendo vel immutando, sacerdotis ministerio, profitemur.* Res quae offertur dicitur *hostia;* et in eius destructione, vel immutatione, omnis sacrificii vis et ratio posita est (1). In V. T. plura, unum in T. N., nempe quo de agimus, sacrificium extat. Et hoc est illud ipsum quod Redemptor noster obtulit in ara Crucis; nam utriusque hostia eadem est, idem Sacerdos, utrumque sanguinis effusione conficitur. Sola offerendi ratio diversa est; in illo enim effusio sanguinis (ideoque et nex) realis fuit, in hoc est mystica (2): habetur enim, ut S. Cyrilli Alexandrini verbis utar, *cum gladio verborum* (consecrationis) *sanguis separatur a corpore.*

391. Huius sacrificii partes quidem praecipuae sunt, oblatio, consecratio, et consummatio. Verum, cum essentia sacrificii posita sit in destructione hostiae, cumque huius hostiae mystica destructio fiat consecratione utriusque speciei, essentiam huius sacrificii, neque in oblatione (uti visum nonnullis), neque in consummatione (uti visum pluribus), sed in sola consecratione utriusque speciei positam esse verius est (3). *Utriusque*, quia, utraque tantum seorsum facta, habetur mystica (vi verborum) corporis et sanguinis separatio (4). Oblatione vero hoc sacrificium quasi praeparatur, consummatione absolvitur: ideo nihil ex his, sine gravi sacrilegio, potest omitti. Sed in primis consecrare unam speciem tantum, *est immane sacrilegium* (5): nihilominus postquam una consecrata fuit, alteram

(42) V. Trident., XIII, Can. 3.

(1) D. Th., II, II, 86, 1. - *Destructione*, ut ecce si mactetur animal, vinum fundatur; *immutatione*, velut in capro emissario (*Levit.*, XVI).

(2) Trid., XXII, Cap., 2, et Can. I, 3.

(3) Suar., D. 75, 5; Salm., 5, 1, 4. - *In sola*, est enim alia sententia Bellarmini, Lugonis, et S. Alphonsi (VI, 305, v. *Quarta sent.*) existimansium in consecratione et consummatione positam esse.

(4) Salm., 5, 1, 4.

(5) D. Th., III, 83, 6 ad 2.

praetermittere, et sacrificium imperfectum relinquere, si gravis causa supervenerit, non est illicitum (6).

392. Quamobrem si sacerdos omiserit oblationem, debet eam (ante consecrationem) supplere, saltem animo et cogitatione conceptam (7). Quoad consecrationem et consummationem casus est, si una species non fuerit valide consecrata, aut defecerit, aut, verius, dubia apparuerit (8). Itaque ANTE alterius consummationem, ne *illic* sacrificium, *hic* sacrificii perfectio desit, illa (9); POST, utraque (10) consecranda est. Nempe si id sine perturbatione celebrantis (11), et (si species consecranda praesto non sit) *mox*, idest infra horam circiter (nam serius non videretur idem sacrificium), fieri possit (12). Hac re, si is qui celebrat forte deficiat (v. c., si incidat in sincopem, vel moriatur) *post consecrationem* panis, vel *ante sumptionem* vini, nec *mox* redire possit, Missa per alium sacerdotem (etiam non ieiunum, aut vitandum), ab eo loco ubi ille cessavit, resumenda ac perficienda est (13): dum-

(6) Ben. XIV, *De Sacrif.*, Lib. IV, Tit. 15, Cap. V, 13. Ut ecce, si post consecrationem hostiae immineat ruina, incendium, hostis (S. Alphons., VI, 352, in fi.).

(7) Ben. XIV, *De Sacrif.*, III, 18, 5. Item si, coepto iam Canone, vel sacerdos hostiam (forte non triticeam) permutaverit vel hostiae ob aliquam necessitatem consecrandae deferantur (S. Alph., VI, 217).

(8) *Non fuerit*, etc.; ut puta, si sacerdos animadvertat hostiam non esse triticeam, aut esse corruptam; vinum esse acetum, vel aquam. *Defecerit*, ut ecce, si hostia dispareat, vinum effundatur; aut appareat alterum ex his esse veneno infectum. *Dubia*, v. c., ne vinum sit acetum (S. Alph., VI, 206).

(9) Rubr., *De Defect.*, III, 4; IX, 3.

(10) D. Th., III, 83, 6 ad 4. Et ex eo Rubr., *De Defect.*, III, 6, 4, 5. Nihilominus Soto (in 4, D. 8, q. 3) et Suar. (D. 85, 1, v. *Atque ex his*) aliud putant; nam si utriusque speciei consecratio iteretur, non sacrificium inchoatum perficitur, sed novum initur, priori imperfecto relicto.

(11) Rubr. Miss., *De Defect.*, IV, 5. Ut ecce si frequens populus, aut magnates intersint (V. Bened. XIV, *De Sacrific.*, III, 15). Igitur pergat et Missam absolvat, omissis verbis et signis quae pertinent ad speciem deficientem (Rubr., *l. c.*).

(12) Ex S. Alph., VI, 355. Quando autem haec incommoda exsulant, sacerdos, cum animadvertit nova consecratione opus esse, illico subsistat; et, facta oblatione, consecret panem et vinum, et prosequatur ab eo loco ubi substitit (Rubr., *De Defect.*, III, et IV), intermediis *hinc inde* omissis (Suar., D. 85, 1, v. *Sed circa*). Quamobrem, si post sumptionem sanguinis advertat, pro vino acetum positum fuisse, vel hostiam non fuisse triticeam, ponat aliam hostiam et vinum cum aqua, offerat, consecret, et *statim* sumat (Rubr., *ll. cc.*).

(13) Rubr., *De Defect.*, X, 3; Suar., D. 85 Sect. ult.; Croix, VI, II, 548. – *Post, ante;* nam si defecerit, interierit ante consecrationem vel post consummationem, nihil prosequendum erit, quia sacrificium illinc nondum inchoatum fuit (D. Th., III, 83, 6 ad 1), hinc expletum est

modo id quoque et mox, et absque gravissimo incommodo, fieri possit (14).

393. Sacrificium Missae est absolutissimus latriae actus, et ad gratias agendas *Deo* cum primis pertinet; ideo, vi sua, *latreuticum* est. Sed est et *impetratorium*, et *propitiatorium*, et *expiatorium* (15). Cumque sit ipsum Sacrificium Crucis, pro his omnibus potest offerri, pro quibus *illud* oblatum fuit; nisi Ecclesia pro aliquo offerri vetet (16). Ideoque, 1° pro viatoribus, infidelibus quoque (17); 2° pro animabus in purgatorio detentis; 3° pro Beatis. Nempe pro *illis*, qua sive impetratorium est, sive propitiatorium, sive expiatorium; pro *istis*, qua expiatorium; pro *his*, qua Eucharisticum est. Verum ut alicui speciatim prosit, pro eo speciatim offerri (sive uti aiunt), *applicari*, debet (18). Sane uti Crucis, ita et altaris sacrificii virtus (*valor*) prorsus infinita est (19): ideo eatenus cuique prodesse, seu quisque fructum ex illo eatenus capere potest, quatenus eget (20); nec quidquam singulis detrahitur, sive pro uno tantum, sive pro pluribus applicetur (21). At quantum revera quis capiat, hoc pendet ex Christi beneplacito, qui tribuit singulis prout vult.

ART. III. *De Eucharistia qua est Sacramentum.*

394. Eucharistia sacramenti vim habet in *facto esse*, praesertim cum sumitur. Definitur: *Sacramentum, quo corpus et sanguis Christi, sub speciebus panis et vini, ad refectionem spiritualem animarum, continetur et sumitur.* Hoc sacramentum institutum est ad instar convivii, atque ideo sub speciebus panis et vini.

(Croix, VI, II, 548). Et si non appareat ubi cessaverit, ab ipsa consecratione (praemissa oblatione) sub conditione resumere oportet.

(14) Croix, *l. c.;* S. Alph., VI, 355.

(15) V. D. Th., III, 79, AA. 3, 4, 5, 6.

(16) Suar., D. 78, 2, v. *Dico tertio.* Vetat autem offerre pro excommunicatis tantum Bened. XIV, C. *In Superiori*, 18 mart. 1755, § 27. Sed V. Prol., § 360, n. 8, etc.

(17) Suar., *l, c.* Et nedum generatim, sed, verius, etiam pro singulis (Ex I *Esdr.*, VI, 10; II *Machab.*, III, 32); regibus quoque (Ben. XIV, *l. c.*).

(18) Scilicet triplex est fructus Sacrificii, *generalis*, *specialissimus*, *et specialis:* obtigit *ille* omnibus fidelibus, et maxime his qui sacro intersunt; *iste* celebranti; *hic* ei pro quo sacrificium offertur (*applicatur*). Quod idcirco applicari debet, saltem dum conficitur, idest saltem ante consecrationem calicis (Salm., 5, 3, 29; V. S. Alph., VI, 335).

(19) Salm., 5, 3, 40.

(20) D. Th., III, 79, 5.

(21) Salm., 5, 3, 43.

395. Itaque Eucharistiae minister hodie is solus est, regulariter, qui et presbyteri et parochi fungitur officio (1). Nihilominus etiam non parochi eam dare possunt; nempe *saeculares* tantum in Missa per modum sacrificii, ex consuetudine (2): *regulares* etiam extra missam, ex privilegio (3); sed utrique his dumtaxat qui communicant ex devotione, non ex praecepto (4). Diaconis permittitur eam dare in necessitate gravi (§ 112, n. 1); clericis, si diaconus desit, in periculo mortis; immo et laicis, si desit clericus; maxime his quibus nec poenitentia, nec E. U. ministrari potuit (5). Cui autem licet aliis dare, huic et sibi dare licet in eadem conditione rerum constituto. Ideoque licet sacerdoti, si alius sacerdos desit, seipsum communicare etiam sola devotionis causa: hoc idem licet diaconis, quoties sacerdotibus licet: clericis vero in extrema necessitate, si diaconus desit; immo et laicis, si desit clericus (6).

396. Subiectum sunt omnes fideles utriusque sexus, postquam ad annos discretionis pervenerint (7); idest eius aetatis, qua hunc panem coelestem a terreno distinguere norint, et latentem in eo maiestatem revereri (8); ideoque, verius, etiam vix infante maiores (9), et semifatui, si hi et *aliquam huius sacramenti reverentiam concipere* (10); et citra omnem irreverentiam et aliorum offensionem illud recipere possint (11). Quamobrem ex hoc capite prohibentur obsessi, dum vexantur; vomentes qui tussi laborant adeo assidua, ut particula in stomachum descendere nequeat (12); deliri (nempe in articulo mortis), nisi forte prius in particula non consecrata facto periculo (13).

(1) Ex Clem., 1, *De Privil.*

(2) Gavant., Tom. 1, Par. 2, Tit. 10, Rubr. 6; Van Espen, *I. E. U.*, Par. II, Sect. 1, Tit. IV, Cap. 1.

(3) V. S. Alph., VI. 239, 240.

(4) V. Ben. XIV, *De Syn.*, IX, 15, 3.

(5) S. Alph., VI, 237, qq. 2, 3.

(6) Croix, VI, 1, 489; Suar.; Salm., 4, 9, 18; S. Alph., *ll. cc.*

(7) C. 12, *De Poenit.*; Trid., XIII, Can. 9.

(8) D. Th., in 4, Dist. 9, Quae. 1, Art. 5, q. 4; Lugo, XIII, 33.

(9) S. Alph., III, 301, q. 1.

(10) D. Th., III, 80, 9; S. Alphon., *l. c.* Cuiusmodi Ethiopes esse dicuntur. Verum, ex devotione, rarius quam ceteri (Lugo, XII, 51). Sed nullatenus hi, qui infantium iure censentur (Prol., § 36), ut idiotae, et surdi muti caecique simul a nativitate (D. Th., *l. c.*, ad 3; S. Alph., VI, 303): utrum et surdi-muti, V. § 260.

(11) Ex *Rit. Rom., h. t.*

(12) Rit. Rom., § 3, *Potest;* Lugo, n. 67. - *Qui tussi adeo* etc.; nam alias dari potest, quamvis tussiendo phlegmata egerat, quippe non ex aesophago (quae est via cibi et potus), sed ex aspera arteria (quae via respirationis est) eiiciuntur (S. Alph., VI, 292).

(13) S. Alph., VI, 291, *In dubio.*

397. Eucharistia sumenda est ex praecepto divino saepius in vita, et semel in morte, sub gravi. Et primo saepius in vita, idest ex determinatione Ecclesiae, saltem quotannis in paschate (14): digne inquam (15). Annum heic, verius, initur a paschate ad pascha (16). Itaque huius praecepti dies *cedit* Dominica palmarum; *venit* Dominica in albis (Prol., § 167). Qui in paschate impeditur praeceptum implere, *antea* nec potest (17); *postea*, verius, *debet*, quia duo heic praecepta sunt, communicare semel in *anno*, et saltem in paschate (18); ideoque, non quamprimum, sed antea quam *annus* finiat (19). Uti autem hoc praeceptum impleatur, oportet Eucharistiam sumere vel a proprio Ordinario, aut parocho; vel in propria ecclesia parochiali (20), non qua alia, ne cathedrali quidem (21). Verum quoad utrumque sufficit licentia parochi vel tacita, immo et praesumpta (22). Sed si quis absens sit, et sine gravi incommodo domum redire nequeat, is communicat quo loco, quave ecclesia maluerit (23).

398. Deinde sumenda est in periculo mortis; sive hoc immineat ab intrinseco, sive ab extrinseco (24). Quod si sanus communicaveris, et post septem dies vel octo – aut mane, et vespere eius diei – incideris in morbum letale, quaestionis est, *illic* utrum de-

(14) C. 12, *De Poenit.;* Trid., XIII, Can. 9. Idest a Dominica Palmarum usque ad Domin. in Albis (Eug. IV, C. *Fide digna*); nisi ultra, citrave, consuetudine dilatatum fuerit (Lugo, XVI, 62; Salm., 4, 8, 17; V. S. Alphons., VI, 296). Et protrahi posse ex Episcopi, aut parochi, dispensatione censuit S. C. C., 19 nov. 1616 (ap. Ferrar., v. *Eucharistia*, 1, 10). Sed parochi singulariter tantum (Proleg., § 231, n. 14).

(15) Innoc. XI, 55.

(16) S. Alph., VI, 296. Alias, si ab Ianuario iniatur, usque ad pascha tempus vix erit utile, aut ne vix quidem.

(17) Suar., 70, 2, in fi.; S. Alphons., VI, 298. Ideo si anteverterit praevidens impedimentum (quod postea cessavit), iterum communicabit (Lugo, XVI, 77; S. Alph., 297; V. Prol., § 167).

(18) Suar.; Laym.; S. Alph., *l. c.* Contra putant S. Anton., Sot., Silv., etc. Sententia *non contemnenda* (S. Alph., *l. c.*).

(19) Lugo, XVI, 69; Prol., § 40, n. 41.

(20) Cit. Cap. 12, *De Poenit.;* Salm., 4, 8, 28.

(21) Inn. XI, an. 1682, ap. Clericat., Decis. 48. Nec monasterii, cui forte inservit (S. Alph., VI, 239, 10); quamvis degat in atriis, vel mansionibus monasterii (S. C., ap. Ben. XIV, Not. 55, 7): immo et in ipso monasterio studiorum causa (S. C. Epp., 21 ian. 1848; Lugo, *Resp. Mor.*, IV, 33).

(22) V. S. Alph., VI, 300, V. *Dixi.*

(23) S. Alph., VI, 240, 9; 300, 2. At sacerdotes satisfaciunt ubivis *celebrando* (Salm., 4, 8, 29): si non celebraverint, tenentur ut laici (Ben. XIV, n. 9).

(24) S. Alph., VI, 291. Ut ecce capite damnatis. His alicubi dari non solet: mos abolendus (Ex Epist. S. Pii V, ap. Ben. XIV, *De Syn.*, VII, XI, 3).

beas, *hic* utrum possis iterum communicare: ideo in priori casu tuum (25), in posteriori parochi (26) arbitrium erit. At sufficit huic praecepto semel satisfecisse, etsi postea reincideris vel incideris in mortalia (27). Quoad caetera aptari suo modo hic debent quae de confessione diximus (§ 378). Ad haec Eucharistia obligat per accidens quoties urget tentatio, quae alias superari non valet; sed recte Nostri animadvertunt hoc vix unquam fieri, aut ne vix quidem.

399. Ad ultimum, ut quis praecepto sumendae Eucharistiae satisfacere possit necesse est, ut digne eam sumat, et hoc planum est; ideo illud non implet qui eam sumit sacrilege (28). Deinde quia hoc sacramentum institutum fuit ad instar cibi ac potus, manducare eam oportet: quamobrem nec is implet, qui species consecratas non deglutit, sed in ore consumit (29).

CAPUT II.

DE EUCHARISTIA CONFICIENDA, SUSCIPIENDA, ET MINISTRANDA.

ART. I. *De Sanctissima Eucharistia conficienda.*

400. Missa sub gravi celebranda est, 1° in ecclesia saltem benedicta, non execrata, nec polluta (1); sub dio eam celebrare grave est, nisi ex graviori necessitate (2), et de licentia Ordinarii, si peti queat (3). 2° Super altari non execrato (§ 2 etc.); cruce in medio eius posita cum Crucifixo omnibus visibili, nisi forte in altari sit magna Crucifixi imago sive sculpta, sive depicta (4): et tribus lin-

(25) V. S. Alph., VI, 285, d. 2. - *In morbum;* scilicet quia eius initia iam extare videntur tunc, cum communicas: ideo si ex aliqua *causa extrinseca* postea in periculum mortis deveneris, ut puta ex veneno, aut vulnere heri accepto, verius puto in priori casu, iterum esse communicandum (V. S. Alph., *l. c.*, d. 3).

(26) Ben. XIV, *De Syn.*, VII, XI, 2. Et quidni heic quoque moriturі arbitrium sit, si ex causa extrinseca hoc a communione periculum incurrerit?

(27) S. Alph., VI, 293, 4.

(28) Innoc. XI, 55; Prol., § 200, n. 9. Nisi forte conteratur antequam species in stomacho consumentur (S. Alph., VI, 227).

(29) V. S. Alph., VI, 226, 227.

(1) C. 11, *De Cons.*, D. I; V. §§ 9, 19. Nisi Episcopus permiserit ex iusta causa, etsi non gravi (Suar., D. 70, 40; Lugo, XX, 63; Reiff., III, 41, 4).

(2) Salm., 5, 4, 65; S. Alph., VI, 356; ex cit. C. 1, *De Consecr.*, D. 1. Utputa si ecclesia collapsa fuerit, vel si in solemni festo non capiat eos qui convenerunt (Lugo, XX, 48).

(3) V. Rubr. Miss., X, 1.

(4) S. C. C., 17 sept. 1822; Ex C. *Accepimus,* Ben. XIV. Sed est leve (S. Alph., VI, 393). In altari, in quo expositum est SS. Sacramentum, cuiusque Dioecesis consuetudo servanda est (S. R. C., 2 sept. 1741; martii, n. 1026).

teis operto; duos adhibere leve est, nullum grave, nisi in gravi necessitate (5). Ac demum, 3° duobus luminibus cereis: uti subaceis, ex stearina, vel ex oleo, praeterquam in necessitate (6); nullis, etiam in necessitate gravi (7), grave est. At, extinctis post consecrationem, licet prosequi si inter horae quadrantem, immo, si statim iterum accendi nequeant (8).

401. Ad haec opus est sacra supellectili: nempe I° amictu, alba, cingulo, manipulo, stola (orario), planeta (casula). Non uti amictu (9), vel cingulo (10), leve est; et, si subdat aliqua iusta causa celebrandi, ne leve quidem (11). Non uti stola (quod est maximum ornamentum sacerdotale), vel manipulo nisi in gravi (12); alba, aut casula nisi in gravissima necessitate, et remoto scandalo, est grave. At sine ullis vestibus celebrare, regulariter, nunquam licet (13). Praeterea haec benedicta adeoque non execrata (§ 9) esse debent; et quibus non uti grave est, his non benedictis uti letali non caret, nisi necessitas gravis excuset (14). Demum manipulus, stola, casula esse debent coloris officio convenientis: sed hoc, remoto scandalo, leve est; et si qua causa subsit, ne leve quidem (15). II° Palla, purificatorio, corporali, patena, calice, benedictis (V. cit. § 9): celebrare sine palla aut purificatorio, est leve; sine corporali, nisi ex causa gravi; sine calice vel patena, nisi ex gravissima, est letale (16). III° Missali; et est grave, nisi et gravis necessitas cogat, et celebrans constantissima memoria polleat (17). Denique ministro, eoque mari; et utrumque est grave: et satius est sa-

(5) S. Alph., VI, 375.

(6) S. Alph., VI, 394. Et non ex sola devotione (*ibid.*).

(7) Ex C. ult., *De Celebr. Miss.* Ideoque nec ad Viaticum ministrandum.

(8) S. Alph., VI, 394. - *Statim* (Quintanad.; Pasqual.; Croix, VI, III, 394). Quin Gobat. (n. 292), Sporer (n. 381), Croix (n. 93) idem iuris esse putant, si utrumque lumen post offertorium extinguatur.

(9) Pasqual., q. 810; Croix, VI, II, 327.

(10) S. Alph., VI, 377.

(11) Suar., 28, 3, d. 1; Silv.; Escob., Lib. 21, Sect. 2, 485, qui id a multis viris prudentibus teneri tradit.

(12) S. Alph., VI, 377.

(13) S. Alph., VI, 377. - *Regulariter*; nam quaestionis est, utrum liceat ad mortem vitandam: negant Caiet., Suar., Tourn., S. Alph. (VI, 289, 377, d. 2): affirmant Vasquez, Azor., Valent., Laym., Silv., etc. Scilicet, illi aiunt hoc magnam irreverentiam praeseferre; quod hi negant. Quaestio est magis facti, quam iuris.

(14) V. Gob., VI, II, 328.

(15) S. Alph., VI, 378, q. 5. Ut ecce si alias omittenda esset Missa; in concursu sacerdotum, etc. *Remoto scandalo,* v. c., celebrare in paramentis nigris die paschatis, immo forte quovis die festo (V. S. Alph., *l. c.*).

(16) V. S. Alph., VI, 388, 389.

(17) Laym., VI, 17.

crum omittere, vel (si urgeat gravis necessitas) sine ministro illud obire, quam foemina ministrante (18). At vero si is post missam incoeptam recedat, poterit sine eo prosequi, maxime si facta iam fuerit oblatio (19).

402. Celebrari autem potest *quovis die*, excepta feria VI maioris hebdomadae, quae prorsus aliturgica est: nec non feria V et Sabbato sancto, in quibus conventualis dumtaxat celebrari permittitur (20). Nihilominus ubi viget consuetudo ut parochus his diebus celebret, ferenda est (21). At non *quavis hora*, sed ab aurora ad meridiem (22), quod sic interpretamur, ut nec ante auroram illam finire liceat, nec post meridiem inchoare (23). Ceterum minus quam horam intervertere est leve; et ex gravi causa innoxium prorsus (24). At vero, si necesse sit deferre viaticum morituro, licet vel statim a media nocte sacrum facere (25): et ne populus die festo careat Missa, licet eam et ad duas horas post meridiem differre (26).

403. Missa autem convenire debet, quoad fieri potest, cum officio (27)

(18) Salm.; S. Alph., IV, 391, 392. Ut ecce si *Viaticum* deferendum sit, vel ut populus audiat Missam die festo (S. Alph., VI, 391). Sed respondere celebranti in necessitate non est illicitum (S. R. C., 27 aug. 1836); et extra eam est leve (S. Alph., VI, 392).

(19) Ex C. 1, § ult., *De Cohabit. Cler.*

(20 Decr. Clem. XI, 15 mart. 1712; Cf. Ben. XIV, Not. 38; S. Alph., VI, 350. Porro feria V in Coena Domini unica Missa conventualis celebratur, non quod ea dies aliturgica sit, sed ut omnes, sacerdotes quoque more laicorum, ad sacram synaxim accedant. Nihilominus in parochiis ruralibus, in quibus tres vel quatuor saltem clerici haberi nequeunt ad sacras functiones subinde feria VI et Sabbato sancto peragendas, parochi de licentia Episcopi (quae pluribus in locis non quaeritur) quotannis impetranda, celebrare possunt Missam lectam feria V in Coena Domini, priusquam in Cathedrali, vel matrice, conventualis incipiat (S. R. C., 28 iulii 1821, prob. Pio VII, 31 iulii 1821). Et si eo die inciderit festum S. Iosephi, aut Virginis ab Angelo salutatae, fas est quotquot erunt necessariae, iusso et arbitrio Episcopi, celebrare (S. R. C., 27 septemb. 1716).

(21) *Acta*, I, 495. Ad haec in sabbato sancto Missa celebratur in parochialibus propter benedictionem fontis, ubi extat.

(22) Rubr. Miss., XV, I.

(23) Lugo, XX, 23; S. Alph., 341. Et a Ben. XIII, probatum fuit (Ben. XIV, Not. 12, 4).

(24) Salm., 5, 9, 28, 37. V. c., itineris causa (S. Alph., 344), vel si ita consuetudine sit introductum. Ceterum graviori causa opus est, ut tempus antevertere, quam ut postponere liceat; quia illud semper insuetum fuit, hoc non item (Lugo, XX, 41).

(25) S. Alph.. VI, 343.

(26) S. Alph., VI, 344.

(27) Rubr., IV, 3. Scilicet (officium et Missa) *unum* eidem mysterio, vel Sancto, cultum praestant; quem quasi dimidiatum, regulariter, praestare non licet.

quod quis recitavit (28); quamvis celebret in ecclesia aliena. Nihilominus tenetur se huic conformare, 1° si in ea color variat (29); 2° die festo (30); 3° si celebrat cum cantu (31), vel missam conventualem in ecclesia quae chorum habet (32), vel, 4° faciat de beato, de quo in ea ecclesia fieri non solet (33). Ideo calendarium sequi debet eius ecclesiae cui adhaeret, sive suae, sive alienae (34). Missali autem semper proprio utendum est; et qui, v. c., romano utitur, culpa non vacat si utatur missali regularium diversi ritus, etiam in ipsorum ecclesiis et dum peregre agit (35), si proprio, saltem *de communi*, uti possit (36).

404. Praeter haec Missa legenda est continuo. Nihilominus licet eam interrumpere ex iusta causa: quae, canone nondum coepto, gravis esse debet; eo coepto, gravior; consecratione facta, gravissima (37). Deinde nihil detrahere, addere, variare licet. I. *Detra-*

(28) S. R. C. 13, 17 febr. 1847; 17 sept. 1853; V. A Carpo, Cap. IX, I. Exceptis diebus quibus Missae votivae, vel defunctorum dici possunt.

(29) S. R. C., 12 nov. 1741.

(30) S. R. C., 22 mart. 1817. Vel cum solemnitate et populi frequentia (S. R. C., 11 iun. 1701; 29 ian. 1752).

(31) S. R. C., 15 dec. 1691, *In Neapol.*

(32) S. R. C., 7 decem., 1844; Prout, v. c., confessores monialium.

(33) S. R. C., 7 sept. 1816.

(34) A Carpo, cit. C. IX, 2. Nempe quoad *Gloria, Credo, Praef. commun.*, etc. Sed si utatur calendario ecclesiae suae, et ex eo dicatur *Credo*, siquidem ratione Reliquiae, vel ex privilegio, *debet;* sin ex alia causa, *potest* illud omittere (S. R. C., 11 apr. 1840, 17 septemb. 1853).

(35) S. R. C., 19 novemb. 1662; S. Alphons., VI, 390, v. *Sacerdos.* Nempe nisi aliud eis privilegio concessum sit. Ceterum in ecclesiis unde regulares (sive iuste, sive iniuste) deiecti sunt, Missa non potest amplius celebrari ex calendario Ordinis, ne a regularibus quidem (si quis forte quasi capellanus aut custos in eis remanserit), sed dioecesano uti oportet (S. R. C., 20 dec. 1864).

(36) S. Alph., *l. c.* Ut ecce si in eo desit Missa, vel propriae orationes desint. At evangelium semper evangelio officii respondere debet (S. R. C. 1 sept. 1804). Et haec in capellanis quoque monialium locum habent (S. R. C. 1 decemb. 1717); nisi Missam conventualem celebrent (34). At in oratoriis privatis Missa debet semper concordare cum officio celebrantis (S. C. C., 12 mart. 1831).

(37) C. 57, *De Cons.*, Dist. 1; S. Alph., VI, 352, etc. - *Gravis,* ut ecce si ecclesia polluatur, aut vitandus supervenerit. Quod si supervenerit princeps, aut Episcopus, aut turba peregrinorum, vel processio, licet Missam incoeptam (ante oblationem) abrumpere, et iterum inchoare (S. Alphons., 353). *Gravior,* utputa si E. U. danda sit infirmo animam agenti, cui nullum aliud sacramentum conferri potuit (S. Alph., 728). *Gravissima,* veluti si moriturus egeat baptismo, vel poenitentia (Salm., 5, 4, 109). Et, si is in propinquo sit, poterit ei extrema quoque unctio ministrari; dummodo sacerdos sacras vestes exuere non debeat, et altare a conspectu suo non amittat (S. R. C., 19 dec. 1829). Missa interrupta, si celebrans brevi redeat, resumenda est ab eo loco ubi desiit; sin post horam, si

here; et aliquid praetermittere eorum quae in Missa sunt extraordinaria, velut *Gloria, Credo, Sequentia,* non est grave; nisi plura omittas, quae simul sumpta notabilem materiam faciunt (38). At ea omittere quae ordinaria et perpetua sunt, in his *Iudica me*, est grave in materia gravi : quae autem gravis materia sit, petendum est ex communi sensu TT., licet hi interdum rigidiores ; maxime quoad ea quae in canone continentur, quippe sacrificio propius accedunt. Itaque convenit letale esse omittere, 1° aliquid, etsi parum, ex his quae sunt velut membra principalia huius corporis etherogenei, velut *Confiteor*, *Pater Noster*, etc. (39), dum ne sit aliquid minimum, velut *Kyrie* (40); 2° quidvis aliud, non parum inquam, ut ecce *orationes* (41), nomina SS. in canone (42); 3° fractionem hostiae, vel illius mixtionem in sanguine, aut *multa signa super oblata* (43). II. *Addere:* et hoc districtius vetatur (44), propter novitatum periculum (45). Et si quid addatur quod in missali non continetur, si res sit alicuius momenti, gravi non vacat, quamvis ex devotione additum sit (46) : nisi forte vel sit aliquid ex his quae alias dici solent (47), vel ea addat quasi persona privata, ideoque secreto (48). III. Demum *variare.* Ex hoc capite quidquid non levem

quidem nondum facta erat consecratio, ab initio iterum ordiendum est ; post eam factam, ab eo loco ubi cessavit (Sed. V. S. Alph., 355).

(38) Croix, VI, II, 416, 417 ; S. Alphons., VI, 404, 406, 409.

(39) Suar., D. 83, 3, Vel *Epistola, Evangelium, Praefatio* (S. Alphon., VI, 404). Sed in missa solemni omittere epistolam vel evangelium, verius, est leve, quia ea canunt ministri (Salm., 5, 4, 17; Croix, VI, II, 425 ; S. Alph., VI, 410, d. 4).

(40) S. Alph., VI, 406.

(41) Quarti; Croix, 421. At S. Alphons. (VI, 406) putat esse mortale omittere duas *orationes,* ex sententia Conc., Pala., Salm., et Suar. Verum, Salm., de hac re nihil, Suar., (D. 83, 3) magis contra. Leve est omittere *commemorationes* et *collectas,* vel evangelium S. Ioannis in fine ; quippe *illae* ad ea pertinent quae in missa sunt extraordinaria ; *hoc* est quasi extra missam (S. Alph., *l. c.*).

(42) S. Alph., VI, 405. Porro si omisso aut mutilato uno verbo, totus sensus orationis pereat aut variet, perinde est ac si tota ea oratio fuerit omissa (S. Alph., 405).

(43) Croix, VI, II, 419 ; S. Alphons., VI, 404.

(44) S. Pius V, Cit. B.; Ex Trid., XXII, *De Observand.*, etc.

(45) Suar., D. 83., 3. Et si quam novitatis suspicionem ingerat, grave est etiam in re levi (V. Lugo, XX, 104; S. Alph., 412).

(46) Suar., *l. c.*, in fin. ; Filiucc., VI. 156; Salm., 5, 4, 113.

(47) V. Croix, VI, 11, 429. Ut puta *Gloria,* vel *Credo:* dum ne magnam deformitatem adferant, velut duo haec in missa *de Requiem* (S. Alphons., VI. 411). Et si ex *iusta* causa, v. v., ex speciali devotione haec addiderit, v. c., *commemorationem* alicuius Sancti, vel collectam pro tribulatis, ad petendam pluviam, serenitatem, etc., nec leviter peccat (S. R. C., 12 aug. 1854; S. Alph., 412).

(48) Suar., *l. c.;* Salm., 5, 4, 113.

deformitatem adfert, grave est, ut ecce evangelium ante epistolam legere (49); quod modicam, leve; ut puta legere unam missam pro alia (50), vel unam epistolam, praefationem, evangelium pro alio recitare (51).

405. Semel autem tantum in die permissum est sacrum facere, excepta die Natalis Domini; nisi Ordinarius pluries celebrare permiserit. Quod is iure suo potest *si causa necessitatis id suadeat* (52), et alii sacerdotes penitus desint (53). Necessitas huiusmodi haec est: ne *plures* amittant sacrum die festo (54); ideoque id concedere potest solum, 1° si unus parochus duas dissitas paroecias, et ob locorum distantiam ad eamdem ecclesiam, vel, 2° si ob angustiam ecclesiae ad eamdem missam omnes convenire non possint (55). At

(49) Pasqual., n. 222; Croix, VI, II, 437,

(50) Suar., D. 83, 3; Gob., n. 703; Sporer, n. 429; Croix, VI, 17, 371. Utputa Missam de Requiem die festo (Diana, Tr. *de Celebr. Miss.*, resp. 30; Lugo, XX, 105). Sed cavenda est admiratio fidelium. Aliud iuris est in horis canonicis, quippe haec recitare tenemur (Suar., D. 83, 3).

(51) Croix, VI, II, 432. Vel unam orationem pro alia. Immo in missa quotidiana *De Requiem* secundae orationi: *Deus veniae largitor* - subrogari potest alia, v. c., pro Patre vel matre, dummodo prima - *Deus qui* - semper primo, et tertia - *Fidelium* - semper ultimo loco dicantur (S. R. C., 25 sept. 1837, 27 aug. 1836, 2 sept. 1841).

(52) C. 3, *De Celebrat. Missar;* non cuiuslibet utilitatis; immo regulariter nec eius necessitatis, quae oritur ex inopia celebrantis (Benedict. XIV, Const. *Declarasti Nobis*, § 11, 16 mart. 1746; S. C. de Propag., 24 maii 1870, § 11; S. C. C., 14 octob. 1843, 15 sept. 1858. *Acta*, I, 10). Et Archiep. Cameracensi poscenti ut S. Sedes confirmare dignaretur facultatem a decessore suo datam parochis suae dioecesis bis missam celebrandi in die commemor. omnium defunctorum, die cinerum, fer. V maior. hebdom., Sabbato sancto, et vigilia Pentecost., iussu Gregorii XIII responsum fuit: *Ordinariorum esse de re cognoscere*, dum ne *permissio concedatur generaliter* (*Acta*, XII, 236).

(53) Ben. XIV, *l. c.*, § 13. Et Episcopo qui praeest duabus cathedralibus unitis vetatur in utraque sacrum facere fer. V in Coena Domini ad olea sacra consecranda (Bened. XIV, *l. c.*, § 10).

(54) Ben. XIV, C. *Apostolicum Ministerium.* Quibus nempe sacri audiendi necessitas urget (cit. S. C., § 5).

(55) Bened. XIV, C. *Declarasti.* Et in priori, parochus *tenetur* (Bened. XIV, *l. c.*); in posteriori, charitas tantum eum tenet. Ait Pontifex (*l. c.*) si duas paroecias, vel *duos populos adeo seiunctos*, etc., (cit. C.). Verum hic casus quoad necessitatem in priorem, quoad obligationem parochi in posteriorem recidit, ideo eum praetermisi. Qua vero distantia opus sit, quove numero fidelium ut missa iterari possit, utrumque charitati et prudentiae Ordinariorum relictum est; et si uno lapide distent, aut viginti sint qui alias Ecclesiae praecepto non satisfacerent, permittere poterit (Cit. S. C. C., 31 iulii 1851, et an. 1868, §§ 15, 17), ut quis tot celebret, quot necessariae sunt (V. *Acta*, VI, 568); immo debet (S. C. C., 12 ian. 1847; *Acta*, I, 9).

Datur et Missionariis apud infideles ex Indulto Apostolico. Sed heic *necessitatem* latius accipere debe-

vero celebrantem ieiunum, cum iterum celebrat, esse oportet (56); et duplicatum stipendium, etiam ad pias causas recipere, omnino prohibetur (57): Nihilominus *Episcopus permittere potest aliquam remunerationem intuitu laboris et incommodi* (58).

ART. II. *De Sanctissima Eucharistia administranda.*

406. Eucharistia administrari potest vel in missa, vel extra missam. In missa, quaecumque ea sit, mortuorum quoque, et in paramentis nigris sive in ipsa missa, etiam pixidem extrahendo; sive immediate post; vel, ex iusta causa, immediate ante, omissa benedictione in utroque casu (1); excepta missa quae celebratur in nocte Nativitatis Domini (2); et (nisi aliud ferat usus) in missa Sabbati Sancti (3).

407. Extra missam grave est eam ministrare sine superpelliceo, vel alba: at sine lumine, immo et sine stola, vel omissa confessione est leve (4). Hoc primum: deinde *sanis* non licet eam dare, praeterquam in ecclesia, vel in oratorio privato (sed V. § 6); sed quavis die, excepta fer. VI maioris hebdomadae (5), dari potest, et quavis hora, sed interdiu (6). Infirmis deferri debet, regulariter, *manifeste*

mus, magnam quoque Christifidelium utilitatem (S. C. de Propag., 13 april. 1828: 9 mai 1848; *l. c.*, § 16), v. c., propter viaticum dandum (cit S. C., an 1832, § 11).

(56) S. C. de Propag., § 19; Bened. XIV, *De Sacr.*, Lib. III, Cap. V, 4. Porro si altera missa (vel tertia) in alia ecclesia sit celebranda, sacerdos poterit alio calice uti (S. R. C., 12 sept. 1825; S. C. de Propag., § 19). Sed eum, quo primo usus fuit, ita purificare debet: primum divinum sanguinem diligentissime sorbeat, dein, admoto aquae vasculo, digitos lavet; tum calicem de more cooperiat. Completo ultimo Evangelio, si quae divinis sanguinis gutta in calice supersit, eam iterum ex eadem parte, qua primum sorbeat; exque eo infusam subinde, et circumactam aquam in vas demittat. Calicem deinde iterum purificatorio abstergat, eoque de more cooperto, ab altari discedat. Depositis sacris vestibus, et gratiarum actione completa, aqua demissa vel servetur, vel gossypio, aut stupa absorta, comburatur, vel demittatur in piscinam (S. R. C., 11 mart. 1858; *Acta*, III, 604).

(57) S. C. C., 25 septemb. 1858, 21 mart. 1863.

(58) S. C. C., 23 mart. 1861; S. U. I., 19 decemb. 1866.

(1) S. R. C., 27 iun. 1868, probante SS.

(2) S. R. C., 1641, ap. S. Alph., VI, 252.

(3) S. R. C., 23 sept. 1837. Sed post missam licet (S. R. C., 7 septem. 1850).

(4) S. Alph., VI, 241.

(5) Ex Rubr. Miss.; V. S. Alph., VI, 252. In Sabb. sancto licet, sed post missam expletam; vel (si id ferat consuetudo) post cantatum *Gloria* (S. R. C., 13 ian. 1882, ap. Constanti., III, 702).

(6) Suar., 66, 5. At non sub vesperas, nisi *accedat aliqua specialis causa:* noctu vero nunquam (S. Alphons., *l. c.*).

atque honorifice (7). Et si is ex devotione eam petit, caetera omnia observari debent quae in sanis; sin ut satisfaciat praecepto paschali siquidem longo abest, sacerdos permittitur ire equo, et propter aeris inclementiam, operto capite (8); at si eam petat moriturus, licet eam deferre etiam in fer. VI Parascev. (sed quasi privatim), etiam noctu, sine luminibus, sine sacris vestibus, immo et currendo; dummodo scandalum absit (9).

ART. III. *De necessariis tum animae tum corporis dispositionibus.*

408. Ei qui SS. Eucharistiam conficere, aut recipere vult, dispositiones tum quoad animam, tum quoad corpus sunt necessariae. Quoad animam, ut nullo letali, nulla excommunicatione teneatur. LETALI: itaque si *conscientia* mortalis eum *gravet*, confiteri debet, etsi contritus (1). Verum haec lex, etsi verius divina, quia ad *maiorem* dumtaxat sacramenti reverentiam pertinet, facile cedit legibus ceteris (2). Itaque cessat quoties ex uno capite confessoris copia deest, ex altero urget necessitas communicandi vel cele-

(7) Rit. Rom., *De Comm.*, Tit. 2, § 5.

(8) S. Alph., VI, 241, 243; *H. A.*, XV, 12. Sed non intra civitatem, vel oppidum, et de consensu Episcopi (S. R. C., 10 ian. 1693, 22 ian. 1740; Scavini, III, 245), si consuli possit.

(9) S. Alph., 241, 242. At enim sive sanis detur, sive infirmis, ministranda est pollice et indice; verum utrum, si forte his nequeat (puta quia chiragra laborat), aliis non liceat, quia illi tantum ad id consecrantur (S. Alph., VI, 244); an liceat, quia tota manus sacerdotis consecrata est? (Tolet.; Croix, VI, I, 490). Prior sententia communior est, a qua recedendum non puto, praeterquam cum necesse est dare viaticum morituris: quibus et medio instrumento, v. c., cochleari, dari posse non improbabile putat S. Alph. (*l. c.*). Sed nunquam licet eam ministrare sub specie vini; ne morituris quidem, qui alias communicare nequirent; et est grave. Nec licet sine causa plures particulas, vel grandiorem, tradere, ut satisfiat devotioni accipientis; sed hoc est leve (S. Alph., VI, 245).

Porro cum species consecratae corrumpuntur, SS. Christi Corpus desinit sub eis esse. Ideo cautum est, ut veteribus omnino consumptis (S. R. C., 3 sept. 1672), octavo, vel tempore hyemali, decimoquinto quoque die renoventur (Ben. XIV, C. *Etsi*). Qui autem tamdiu differt, ut corrumpi incipiant, diro sacrilegio tenetur.

(1) Trid., XIII, Can. 11. - *Conscientia*, ergo si certus sit admisisse (S. Alph., VI, 475), non si dubitet. *Gravet:* ideo ei, cui aliquid in confessione excidit inculpabiliter, si eius mox ante celebrationem, vel communionem meminerit, verius sine nova confessione licet communicare (S. Alph., VI, 257, v. *Secunda*). Et idem prorsus dicendum est de omissis ex iusta causa. Et re quidem vera, quid heic exigitur? Nempe ut quis *probet*, idest *purget* seipsum confessione sacramentali: atqui id praestitit.

(2) V. Lugo, XIV, 110.

brandi (3). Confessor *deesse* intelligitur si adiri, vel arcessiri nequeat sine incommodo gravi (4): aut adsit, sed nolit confessionem audire; aut non possit, seu facto, seu iure, puta surdus, suspensus. At vero, quia valet confessio vel tantum formaliter integra, verius, non excusat quod vel poenitens ob angustiam temporis nequit omnia confiteri (5), vel si habeat reservata, quod confessarius omnia absolvere nequit (6). *Necessitas* autem gravis esse debet, quia versamur in re gravi. Et in primis excusant ex parte celebrantis *quodcumque incommodum grave* (7): tum integritas sacrificii (8); immo *agendae* continuitas et unitas (9); viaticum dandum (10); si quis *ex officio* celebrare debeat ut populus audiat missam die festo (11), praeceptum paschale (12). NULLA EXCOMMUNICATIONE: sed seu haec sit reservata et superior, seu non reservata et confessarius facile adhiri non possit, quia lex quae vetat *illic* absolutionem dari, *hic* ad sacramentum accedere (V. Prol., § 87, n. 1), humana est, cessat quoties gravior lex urget, ut ecce si a cele-

(3) Trid., XIII, Cap. 7; V. Lugo, XIV, 84.

(4) V. Lugo, XIV, 83. Quod varie metiri debet ex personis, tempore, locis et aliis rerum adiunctis, quibus interdum vel sola 50 passuum distantia poterit excusare (S. Alph., VI, 264).

(5) S. Alp., VI, 260, q. 2.

(6) S. Alph., VI, 265. *Communissima.* Multi et graves negant eum hac lege teneri, et Suaresio *merito probabile est,* ait S. Alph. (*l. c.*). Quod mihi perdifficile est; scilicet putant confessionem hanc invalidam esse.

(7) S. Alph., VI, 264, 260, 261. Et non sufficit sola utilitatis causa (Salm., 4, 7, 41), v. c., lucrandi indulgentias.

(8) D. Th., 3, 83, 6 ad 2. Idest si celebrans illius recordetur, vel illud admittat post consecrationem hostiae.

(9) S. Bonav., Navarr., Suar., Pal., ap. S. Alph., VI, 262. Nempe si eius recordetur vel illud admittat post missam incoeptam ante consecrationem. Verum S. Alph. (*l. c.*) ex D. Th. (*l. c*). et ex Rubr. Miss., ut ipse ait, Tit. VIII, nn. 4, 5, putat huic, si non possit confiteri missam deserendam esse. At Rubr. Miss. non habet ea quae S. Dr. ibi descripsit, quin potius nobis favet: ait enim » *Si* IN IPSA CELEBRATIONE *missae sacerdos recordetur se esse in mortali,* CONTERATUR *cum proposito confitendi* ». Angelicus autem dicit - *tutius reputarem* – additque. – *nisi grave scandalum timetur* – Atqui - *eo casu vix nota infamiae vitari poterit* (S. Alph., cit. n. 262, in fi.).

(10) Lugo, XIV, 110; S. Alph., VI, 260.

(11) Suar., ap Lugo, XIV, 114, et Busem., ap. S. Alph., VI, 261. Ideoque etsi abstinere posset citra infamiam (V. Lugo, *l. c.*). Nempe si nec per alium possit (S. Alphons., *loc. cit*).

(12) Lugo, XIV, 116. Et probabile est S. Alphons. (*l. c.*). Verum omnes tenentur actum perfectae contritionis elicere; et si de eo probabiliter dubitent, abstinere debent (V. Lugo, XIV, 119, etc.). Quid si nec conteri possint, nec recedere sine infamia? V. § 248 n. 6.

brando, vel communicando abstinere nequeas citra periculum scandali, vel infamiae (13).

409. Et haec tenent omnes, sive clericos, sive laicos. Verum sacerdos, si *necessitate urgente* absque praevia confessione celebraverit, necesse habet confiteri *quamprimum* ex Tridentini (14) praecepto (15). *Quamprimum;* ideoque, non *cum suo tempore confiteb.tur* (16), quod plane ridiculum est, nec cum primum iterum celebrat (17), sed cum primum poterit (18) sine incommodo gravi (19). Nec illico, sed in biduo triduove proximo (20); nisi interim velit iterum celebrare, aut postea confessario sit cariturus (21). Porro haec lex ad laicos non pertinet (22): proinde non tenet sacerdotes communicantes, quippe quasi laici communicant (23). Immo nec omnes sacerdotes, sed eos tantum qui, 1° letali sibi conscii *celebraverint*, idest ad celebrandum *accesserint* (24); 2° *necessitate urgente:* ideoque eos non tenet (ex 1°) qui letale vel recordati fuerint, vel admiserint vix post missam incoeptam (25); nec (ex 2°) eos qui poterant vel confiteri, vel a celebrando abstinere, quia non ex necessitate celebrarunt, sed in legis contemptum (26).

410. Venio ad dispositiones quae corpus spectant: ex his ea potior est, ut is qui communicat, ideoque et is qui celebrat, sit omnino ieiunus. Haec ecclesiae quidem lex est, sed gravissima; et nullam materiae parvitatem recipere notum est. Ieiunium autem naturale (non ecclesiasticum) heic accipimus. Hoc frangit qui post mediam noctem sumit aliquid, vel minimum, per modum cibi, vel potus, vel (quod in alterutrun recidit) medicinae (27). Ideo ne quis ieiu-

(13) S. Alph., VI, 265, q. 3. V. Prol., § 349.

(14) Trid., XIII, C. 7; Rubr, Miss., *De Defect.*, VIII, 2, 3.

(15) Alex. VII, 38.

(16) Alex. VII, 39.

(17) Lugo, XIV, 160. Nempe si non soleat celebrare quotidie.

(18) Rubr. cit., n. 3.

(19) S. Alph., VI, 266.

(20) Lugo, XIV, 163; S. Alph., *l. c.*, ex L. 3, C. *De Error. Advoc.*

(21) Lugo, XIV, 162, 163.

(22) S. Alph., VI, 268.

(23) Lugo, XIV, 138, 139. Sed an teneat eum qui celebrat in feria VI maior. hebd., vel eum qui perficit missam alterius post consecrationem deficientis? Affirmant Suar., Vasq., Lugo (n. 139); sed alii hoc merito dubium putant (Croix, VI, I, 549), quia casus extraordinarius est.

(24) Lugo, XIV, 144, 145.

(25) Vasq., Lugo, XIV, 146; Croix, VI, I, 548. Et manifestum est ex Rubr. Miss., *De Defect.*, VIII, 4.

(26) Suar., 66, 7, in fi. – *Communissima* (S. Alph., VI, 266, V). Scilicet lex his magis obfutura esset, et *occasio certa nova peccati absque spe fructus* (Lugo, XIV, 150; V. S. Alph., *l. c.*).

(27) Rubr., *De Defect.*, IX, 1. Tempus autem computatur de momento ad momentum (Prol., § 39, n. 15; S. Alph., IV, 282).

nus dici possit necesse est, ut quod ipse sumpsit, 1° vere habeat vim cibi aut potus; 2° ut ab extrinseco illud sumpserit; 3° ut sumpserit ad instar cibi vel potus (28). Ex 1° ieiunium non frangit qui deglutit aliquid prorsus indigestibile (29); nec, ex 2° qui deglutit sanguinem defluentem ex capite, vel ex gengivis (30); nec demum, ex 3° qui aliquid per respirationem attraxit (31), vel aliquid traiecit per modum *salivae* (32). Ieiunum autem esse oportet a media nocte praecedenti: pluribus autem horologiis dissonis, licet segnius sequi, dum ne sit ex his quae ut plurimum errant (33). Si horologia desint, et non appareat utrum potum seu cibum produxeris ultra mediam noctem, an secus, et utrumque videatur vere probabile, libertas possidet (scilicet ecclesia *non iubet* ieiunos ad sanctam eucharistiam accedere, sed non ieiunos accedere *vetat* quia id olim licuit); ideoque et celebrare et communicare non est illicitum (34).

411. *Sacerdoti* non ieiuno permittitur sacrum facere, 1° quando non potest eo abstinere sine periculo gravissimo seu capitis (35), seu famae (36); 2° quoties id exigit integritas sacrificii; 3° demum, si post sumptam ablutionem animadvertat superfuisse reliquias consecratas; nempe quia ad idem sacrificium pertinent (37). Sed

(28) D. Th., in IV, Dist. 8, Q. 1, art. 4. q. 2, ad 3; S. Alph., VI. 278.

(29) S. Alph., 281. Veluti metallum, lapillos, nucleos fructuum omnino dilutos, fila serica aut lanea: non item ceram, chartam, paleas, linum, etc.

(30) Lugo, XV, 23. Non item ex digito, nec si deglutit lacrimas quae ex oculis cadunt (S. Alph., 279, v. *Secus*).

(31) Regin.; 29, 119; Suar.; Lugo, XV, 34.

(32) Ex Rubr. Miss., *De Defect.* – Uti aliquis per modum salivae, et non per modum cibi vel potus, deglutisse aliquid videatur, necesse est, 1° ut hoc sit *aliquid minimum*, utque *non sciens volens* traiecerit (V. S. Alphons., VI, 279). Ut ecce si coquus degustaverit aliquid iusculi, quamvis data opera degustaverit (Lugo, XV, 23); si aquae guttula inter lavandum in os deciderit (Rubr. IX, 3); si quis dum terit dentibus folium, v. c., pulveris nicosiani, aliquid succi degluterit praeter intentionem (S. Alphons., 280, 3): vel reliquias cibi pridie sumpti, dentibus adhaerentibus transglutit (Rubr., *l. c.*), licet, probabiliter, voluntarie (V. S. Alph., 279) quia verum est sumptas non fuisse ab extrinseco. Ceterum omnes conveniunt non oportere hic scrupulis abundare.

(33) S. Alph., VI, 282. – *Communissima.*

(34) S. Alph., VI, 282.

(35) S. Alph., 289. Secluso contemptu.

(36) S. Alph., VI, 287. Ut ecce si, coepta iam missa, recordetur se non esse ieiunum; immo et ea nondum coepta, si populus ad eam audiendam iam convenerit, nec ipse possit sine obmurmurationibus eam omittere (Luzer,, *Instruct. super Rit. di Langres.;* Scavini, III, 140).

(37) Rubr., *De Defect.*, VII, 2. Et poterit eas sumere dummodo et ipse nondum sacras vestes *exuerit*

an liceat ad communicandum moriturum? Quidam affirmant, quia lex divina (viatici) potior est; plures negant, quia haec lex solum morientem, cum ipse potest, obligat; S. Alphonso illud probabile est, hoc probabilius (38). Ego, si lateat sacerdotem non esse ieiunum, priorem sententiam tuto sequi posse reor; secus, propter scandalum, alteram omnino sequendam puto. Laicis graviter aegrotantibus licet non ieiunis communicare ad *viaticum* suscipiendum (39): ex sola devotione non licet (40), nisi forte in morbo diuturno, ceu putant TT. plures et graves (41). Quod si probabile est, eo magis licebit eis dare ad satisfaciendum praecepto paschali; et tacite id concedere videtur Rit. Rom., quum dari vetat tantum ex devotione petentibus: et iure prorsus, quia *praeceptum* huiusmodi profluit ex iure divino: nisi aliud consuetudine sit introductum.

412. Ad haec non licet sacrum facere capite pileolo cooperto, sine licentia Ap. Sedis (42). Ideoque neque cum coma adscititia; sed hoc multis in locis obsolevit (43). Nec nudis pedibus, sine causa: sed hoc est leve, et sufficit crepidis calceatum esse (44).

413. Hactenus de eo qui eucharistiam conficit, et de eo qui sumit: superest ut videamus de eo qui ministrat, utrum peccet graviter si est in mortali. Negant plures, quippe nec Christi nomine agit, nec ipse sanctificat quemquam; sed quasi sacramentum

(Bened. XIV, *De Sacrif.*, III, 17, 6); et non sint reliquiae alterius sacrificii (Lugo XV, 81). Sed si adsit periculum irreverentiae, neutrum obstabit (V. S. Alph., VI, 251). Quod si consecraverit hostiam corruptam vel non triticeam, *sumat post sumptionem corporis et sanguinis* (Rubr. Miss., *De Defect.*, § III, n. 5, *si id.*).

(38) S. Alph., VI, 286.

(39) Rit. Rom., *De Commun. Infirm.* - Ac proinde et capite plectendis (V. S. Alph., VI, 284). Nec semel tantum sed pluries, immo et quotidie, ex multorum sententia, quam non improbat S. Alph., (VI, 285; et *H. A.*, XV, 47). Nec ullus negat alicuius nominis Theologus (Bened. XIV, *De Syn.*, VII, 12). Immo potest non ieiuno dari hodie viaticum quamvis possit postridie ieiunus illud sumere, si vel ipse aegrotet periculose, vel parochus postridie sacris vacare debeat (Croix, VI, I, 612).

(40) Rit. Rom., *l. c.*, § 3.

(41) V. S. Alph., VI, 24. Sed nec his posse sententia est Gury (II, 334) *communissima;* quod vereor ne verum sit. Ego autem puto a consuetudine cuiusque loci recedendum non esse.

(42) C. *Nullum De Cons.*, Dist. 1. Sed utrum hoc sit grave an leve, non satis convenit. Et non obligat (secluso scandalo) cum incommodo gravi: ideo licet sacerdoti infirmo, vel seni, excluso canone (V. S. Alphons., VI, 397).

(43) V. Ferr., v. *Coma ascititia;* Craisson.; Bouv., *h. t.*, VII, 7; Gury, II, 409.

(44) V. S. Alph., VI, 402. Accedere autem ad altare cum baculo, si alias non valeas; vel celebrare brachiis innixum super altari, si erectus stare nequeas, etiam ex devotione, aut nulla, aut vix aliqua culpa est (V. S. Alph. *l. c.*).

transfert de loco in locum (45). Affirmant alii, quia sacerdos vel diaconus vere sunt ministri huius sacramenti (46). Mihi prior sententia videtur probabilior, auctoritate tum extrinseca tum intrinseca: utcumque lex dubia est (47).

(45) Vasq., Disp. 136. Cap. 3, n. 38; Lugo, *De Sacrament.*, VIII, 155; Croix, VI, I, 94; Sporer, n. 172; Diana, aliique multi. Et ex recentioribus Babenst., Struggl., Beuter., Baller. ad Gury, II, 209.

(46) Suar., D. 16, 4; Conc.; Ronc.; Laym., *De Sacram.*, V, 7; S. Alphons., VI, 35.

(47) V. S. Alph., VI, 35. Itaque is tantum qui communicat, et is qui celebrat in letali, letaliter peccant. Hic autem utrum *bis* peccet, nempe quia indigne consecrat et indigne sumit, an *ter* quia et ministrat sibi indigno, an *quater* quia indigne quoque ministrat? Sed nonne ex his omnibus una tantum actio coalescit? Utcumque, confitenti sat erit dicere, se celebrasse in letali.

TRACTATUS V.

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS

414. Extrema unctio est: – *Sacramentum quo, per olei unctionem, et orationem sacerdotis, confertur adultis aegrotis vita periclitantibus salus animae, et quandoque etiam corporis* –. Huius sacramenti materia remota est oleum (1) olivarum (2). Proxima est unctio (hodie) quinque sensuum, videlicet – oculorum – auriumnarium – oris – manuum (3); vel, si quis aliquo eorum careat, partis ei proximae (4). Omnium ne, sacramenti necessitate, an vel unius tantum? Utraque sententia probabilis est (5); sed illa antiquior, communior, et tutior, ideoque omnino sequenda. Utcumque, in sensibus geminis non est unctio utriusque necessaria. (6). Ad haec, nisi aliud loci usus ferat, ungendi sunt pedes, et renes; sed renes virorum tantum, et modo commode moveri possint (7).

415. Forma haec est: – *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum* (auditum – odoratum – gustum et locutionem – tactum – gres-

(1) *Iacob.;* V. 14.

(2) Eug. IV, Decr. *Pro Unione,* etc. Nempe *ab Episcopo benedictum* (Trid., XIV, *h. t.*, Cap. 1). Et propositio quae affirmabat *E. U. oleo Episcopali benedictione non consecrato ministrari valide posse,* damnata est tamquam temeraria, et errori proxima in S. U. I. cor. Paulo V, die 13 ian. 1665. Quamobrem non potest sacerdos uti oleo a se benedicto (nisi forte ex delegatione R. P.), nec in casu necessitatis (S. U. I., 14 sept. 1842, 10 ian. 1850, probantibus Greg. XVI, et Pio IX).

(3) Rit. Rom., *h. t.* (*De Extrema Unctione*), § 14. - *Hodie* (V. Morin., App. ad Tract. *De Poenit.*; et Marte., *De Ant. Eccl. rit.*, To. I, Lib. I, Cap. VII, Art. 4).

(4) Rit. Rom., *l. c.* Quamvis a nativitate eo caruerit (Suppl. D. Th., 32, 7).

(5) Ben. XIV, *De Syn.*, VIII, 3, 3; Salm., 7, 2, 18; S. Alph., VI, 710, v. *Quaeritur.*

(6) S. Alph., *l. c.* v. *Certum.*

(7) Rit. Rom., § 14; Ben. XIV, n. 2. Alicubi omittitur in viris religiosis unctio renum (V. Mazzo., *h. t.* Cap. 1, q. 3). Ubi autem non est in usu, introducatur, si fieri potest (S. R. C., 14 aug. 1858).

sum – lumborum delectationem) *deliquisti. Amen* –, in singulis repetita. Ex his verbis, ad essentiam ea pertinere – *Per istam unctionem* (quibus actio sacramentalis), *indulgeat tibi Dominus* (quibus effectus sacramenti generaliter), indubitata; ea vero – *quidquid per visum*, etc., *deliquisti* (quibus specialis huius sacramenti effectus significatur), probabilior sententia est (8). Contra ad essentiam non pertinere illa: – *per suam misericordiam* (quippe eo verbo *indulgeat* tacite continentur), verior; nec illa – *sanctam – piissimam – Amen* –, certa sententia est (9). Porro forma E. U. deprecatoria est; ideo si vel indicativo modo, vel imperativo concepta fuerit, communior sententia est, irritam fore (10).

416. E. U. ministri sunt sacerdotes (11). Et quivis *valide* eam confert; *licite* solus parochus loci in quo quis aegrotat (Prol., § 86, n. 34), clericis quoque (12); exceptis regularibus, et his qui regularium iure censentur (Prol., § 105); his enim dari potest a propriis Praelatis si forte extra monasterium decumbant (13). Et valide eam confert, sive unus, sive plures: et seu omnes ungant una simul, seu successive, ceteris paribus; sed nostris moribus grave est plures adhibere; praeterquam infirmo ad exitum properante; vel nisi ministro, omnibus unctionibus nondum absolutis, deficiente. Quod eum fit, reliquas quidem unctiones prosequi licet; at non iam peractas repetere, nec sub conditione, nisi longior mora intercesserit, velut horae quadrantis (14).

417. E. U. est *Poenitentiae consummativa* (15); ideo subiectus eius est baptizatus quisque qui ad usum rationis pervenerit (16); nempe aegrotus in probabili periculo mortis (17). Quocirca perpe-

(8) Cf. Salm., 7, 2, 30, etc.

(9) S. Alph., VI, 711, d. 2. Verum *illa* omittere gravi, *haec* levi non vacat.

(10) Suar., 40, 3, 6; S. Alph., 711, d. 1.

(11) *Iacob.*, V, 14; Trid., XIV, 1.

(12) S. C. C., 16 sept. 1871. *Acta*, VIII, 203. At Episcopus eligit a quo ungi malit; seu sacristam (idest maiorem capituli sui dignitatem), seu curatum (Coerem. Episc., cap. 38, § 3; S. C. C., 7 iun. 1760, 24 mart. 1873; V. *Acta*, VIII, 202, etc.).

(13) S. Pius V, C. *Immarcescibilem;* Bonac., *De Censur.*, Disp. II, Q. IX, 12.

(14) Croix, VI, II, 2098. *Sed et post quadrantem sub conditione repeti debent* (S. Alph., VI, 724).

(15) Trid., XIV, *Doctr. De Sacr. E. U.*

(16) Rit. Rom., § 4. Etsi nondum communicaverit (Ben, XIV, *De Syn.*, VIII, 6, 2). Et, in dubio an pervenerit, ungendus erit sub conditione (S. Alph., VI, 719). Non item infantibus, nec his qui infantium loco censentur, ut idiotae, amentes a nativitate, etc. (Bened. XIV, *l. c.*, n. 3).

(17) *Iacob.*, V, 14; Rit., Rom., § 4. In quo (periculo) versari intelligitur quisquis gravi morbo laborat

ram datur sanis, licet in mortis periculo (18); et, verius, aegroto citra periculum huiusmodi (19). Et semel tantum in eadem infirmitate dari valide potest: nihilominus si haec fuerit diuturna, et infirmus convaluerit, et subinde in eumdem morbum et periculum reinciderit, iterum datur (20).

418. Sacram E. U. confert, I. gratiam (habitualem) *secundam;* et, si infirmus in letali versetur, *primam* (21): dummodo sit attritus; et nedum si se contritum existimet, aut letalium non recordetur, prout cetera vivorum sacramenta (§ 242, n. 3); sed etsi de his conteri nequeat, et confiteri non possit (22): nam secus, in quo ab illis distat (23)? II. Gratiam sacramentalem, quae reliquias peccatorum abstergit: atque ideo hinc animi languorem et tristitiam pellit; inde spem fovet, vires recreat, animos addit; quibus fit ut infirmus fortiter cum diabolo dimicare valeat. Demum III. sanitatem restituit si animae saluti expedierit (24). Quaestionis est, utrum conferat gratiam in singulis unctionibus, quasi unicuique pars eius adscripta sit, quia unaquaeque sua materia et forma constat; an omnibus absolutis, quia ex omnibus una denique unctio coalescit: utrumque est probabile (25).

419. E. U. nullo iure praecipitur; ideo, remoto comtemptu, scandalo, et periculis certaminis cum humani generis hoste, non peccat qui eam omittit (26). At gravi non vacat parochus qui eam non confert, vel in id tempus differt cum infirmus, desperata valetu-

(Ben. XIV, C. *Ex quo primum*); seu ex vulnere accepto, aut veneno, seu ex partu difficili cum mulier torqueri incipit (S. Alph., VI, 713); aut senio, si deficere in dies videatur (Rit. Rom., *l. c.*). *Probabili,* nempe iudicio viri prudentis (S. Alph., 714, v. *In dubio*).

(18) Bened. XIV, *De Syn.,* VIII, 5, 1. Velut praelium inituris, capite damnatis, etc. (Rit. Rom., § 8): adeoque, verius, nec his qui operationem chirurgicam passuri sunt (Croiz, VI, II, 2109; Mazzo., Cap. 3, q. 1).

(19) Suar., 4, 2, 24; S. Alph., VI, 713, d. 2.

(20) Rit. Rom., § 9. Convaluisse autem non intelligitur, si quatuor aut quinque dumtaxat dies se melius habuerit, sed si periculum mortis evaserat (S. Alph., VI., 715). Cetenum in *hoc* dubio poterit iterum inungi sub conditione (Ben. XIV, *De Syn.,* VIII, 8, in fin.).

(21) *Iacob.,* V, 14; S. Alphons., VI. 731.

(22) Possevin., n. 2; Filiucc., n. 132, et alii, quos tacito nomine laudat Bonac. (*h. t.,* 35, n. 2). Qui tamen contra sentit.

(23) Salm., ¶, 3, 3, in eo distare aiunt, quod cetera vivorum sacramenta *probabiliter,* hoc *certo* primam gratiam non ponenti obicem confert. Sed nonne *certa et generalis regula est, sacramenta N. L. non ponentibus obicem semper, et infallibiliter effectum gratiae conferre?* (Salm., 1, 5, 40).

(24) Trid., XIV, *h. t.,* cap. 2.

(25) S. Alph., VI, 707; *H. A.,* XVII, 3.

(26) S. Alph., VI, 733.

dine, vita et sensibus carere incipit (27). Datur ex consuetudine regulariter post viaticum (28). Iuverit nunc paucis dispicere quae servanda sunt ut hoc sacramentum valide, quae ut licite conferri possit.

420. Ut *valide*, haec: 1° ut pars vere lita sit, ungere enim est oleo linire, ideo si oleum tantum super ea distilles nihil erit actum; utrum vero sufficiat una olei gutta, disputatur (29); 2° ut omnes sensus inungantur: 3° ut continuo, nempe quia probabilis sententia est, ex omnibus unam unctionem coalescere, et omnibus demum absolutis gratiam conferri: itaque longiori (V. § 238) inter unam alteramque mora interiecta, sacramentum in incerto erit. Ut *licite*, haec: 1° ut unctio fiat pollice; non alio digito, nec virgula (etsi id usus habeat), nisi qua iusta causa subsit (30): 2° ut in crucis figuram; 3° ut in sensibus geminis et sacerdos non prius formam absolvat, quam utrumque perunxerit (31): 4° demum, ut omnes unctiones ex ordine fiant. Primum et alterum leve est, tertium leve puto, ultimum Nostri grave esse docent (32). Verum haec regulariter: nam si periculum sit in mora, fas erit omnes unctiones perficere sub unica formula – *Per istam s. unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum* (dum oculos inungit), *auditum*, etc. (33). Immo si aegrotus morbo contagioso laboret, aut animam agat, satis erit unica unctione defungi, nempe (quod est consultius) in fronte, vel pectore, vel scapulis, his verbis – *quidquid per* SENSUS *deliquisti*. At enim in

(27) *Catech. Rom., h. t.*, § 9. Qua in re decipiuntur oppido multi – Parochus proprius inquam, ex officio: nam proprius instar simplicis sacerdotis est; is autem tenetur ex caritate sub gravi, si aegrotus non potuit aliud sacramentum recipere, vel gravioribus tentationibus divexetur; alias non tenetur; nam si caritas infirmum non obligat, quî sacerdotem obliget?

(28) Rit. Rom., *h. t.*, Sed ante eam dare leve est (Croix, VI, II, 2120).

(29) V. Croix, VI, II, 2094; S. Alphons., VI, 709, d. 4. Ceterum sufficit intingere in oleo extremum digiti et ungere (S. Alph., *l. c.*). Inungendae autem sunt palpebrae occlusis oculis – extrema auricula – alae lateralis narium – os, compressis labiis, – vola, (sed in sacerdotibus in quibus haec iam alias uncta, metacarpium, *dosso della mano*) – planta pedis, vel (ut alicubi) metatarsium (*collo del piede*).

(30) S. R. C. 9 maii 1847. V. c., si infirmus morbo contagioso laboret.

(31) Rit. Rom., § 16. *Etsi id usus, etc.; remota necessitatis, etc.* (S. R. C., 12 aug. 1854).

(32) V. S. Alph., VI, 710, v. *Nec etiam.*

(33) Croix VI, II, 2121. Praemittendo verbum *deliquisti:* ne, eo postposito, et infirmo mortuo nondum omnibus unctionibus absolutis, nihil forte, omnino actum sit (S. Alphons., VI, 710).

hoc posteriori casu, si periculum cessaverit, omnes unctiones de more, sub conditione, postea fieri debebunt (34). Die tamen 25 aprilis 1906, S. U. I., decrevit, in casu verae necessitatis sufficere formulam: *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen.*

421. Ad haec grave est, citra necessitatem, 1° omittere *orationes* a Rit. Rom. praescriptas (35); et si praetermissae fuerint, aegroto ad exitum properante, et postea suppetat tempus, dicendae erunt (36): 2° hoc sacramentum ministrare sine superpelliceo et stola nisi necessitas urgeat (37). At leve est illud conferre sine lumine, sine ministro, vel foemina ministrante (38). Ad ultimum qui E. U. confert voluntarie distractus animo, licet culpa non vacet, nihilominus, cum forma deprecatoria sit, valide confert; nec audiendus est unus vel alter Theologus qui contra sensit (39).

(34) Croix, et S. Alph., *ll. cc.* Quid si, cum aegrotus post manuum, ante pedum, et renum unctionem, *spiritum* emisisse visus fuerit, sacerdos cessaverit, et post horae quadrantem, animadvertat auhuc eum vivere? Existimo, cum dnctiones essentiales omnes peratae fuerin t, nihil iterandum esse, nec sub conditione; nihil addendum.

(35) S. Alph., VI, 727. Non item psalmos et litanias quae, non a ministro, sed ab adstantibus dicenda sunt.

(36) Rit. Rom., § 9.

(38) S. Alph., VI, 726.

(37) S. Alph., VI, 724, 728.

(39) S. Alph., VI, 177, *Ratio* 3.

TRACTATUS VI.

DE MATRIMONIO

SECTIO I.

De matrimonii definitione et natura.

422. Matrimonium theologum dispicere oportet qua est in officium naturae, qua est sacramentum, et qua est in officium communitatis (1). Qua est in officium naturae, recensetur inter contractus naturales: definitur - *Coniunctio maris et foeminae individuam vitae consuetudinem retinens* (2) –. *Coniunctio* (idest consortium, societas), qua intelligitur tum huius societatis contractus, tum societas ipsa iam coita: et corporum cum primis initur (3); *maris et foeminae,* et hoc planum est; nempe unius cum una, quod naturali aequitati convenit; *individuam*, etc. idest indissolubilem (4); quod congruit naturali iuri, quippe Deo auctore (§ 426, n. 25) contrahitur. Duo haec ab initio constituta, restituta fuerunt iure evangelico (5); atque ideo perpetuo, et ubique gentium (Prol., § 197). Est autem contractus *mere consensualis* (Par. II., § 408): ideo suapte natura solo consensu nulla adhibita forma (6) et ante commixtionem (7) perficitur. Cuius finis (causa) fuit ab initio, sobolis pro-

(1) D. Th., in 4, Dist. 34, Q. 1, Art. 1, ad 4. Cf. cl. Gasbarri – *Tract. Canonic. De Matrim.*, Paris 1891 –, qua canonicus, numeris omnibus absolutus.

(2) § 1, *De Patr. Potest.;* C. 11, § *Vero, De Praesumpt.;* C. 4, *De Bigamis.*

(3) Suppl. D. Th., 41, 1. – *Cum primis*, nam et animorum (*Ephes.*, III, 31), et quodammodo omnium rerum (Ex L. 31, *De Rit. Nupt.*) societas est.

(4) Leo XIII, *Lit. Ad Archiep. et Episc. Prov. Taurinen.* Inde Romanis, *consortium* OMNIS *vitae* (L. 1, *De Rit. Nup.*). Ex quibus licet intelligere duos esse huius contractus proprietates, *unitatem* videlicet, *et perpetuitatem* (Leo XIII, C. *Arcanum*, 10 febr. 1880).

(5) *Genes.*, I, 27; *Matth.*, XIX, 4, etc.; C. 8, *De Divort.*

(6) C. 1, *De Sponsalib.;* CC. 1, 2, 3, *De Cland. Desponsat.*

(7) D. Th., in 4, D. 26, q. 2, art. 4.

creatio et cum primis educatio, et mutuum vitae adiutorium (8); tum, post Adae lapsum, etiam remedium incontinentiae (9).

423. Matrimonium apud Christicolas sacramenti dignitate praestat (10); at vero sacramentum non est aliud a contractu ceu olim pluribus visum (11); nec aliquid ei *allapsum extrinsecus* (12), sed est ipsemet contractus naturalis a D. N. I. C. sacramenti dignitate auctus (13); atque ideo alterum ab altero separari non potest (14). Proinde quae contractus, haec eadem sacramenti et forma et materia est: contrahentes et ministri sunt (nempe quasi per consequens) et subiecti (15). Signum vero gratiae quam confert (qua anima unitur Deo) inest consensu, quo vir et mulier invicem uniuntur. Quocirca definiri potest – *Sacramentum, quo Christianis matrimonium ineuntibus datur gratia ad pie sancteque in connubio vivendum et prolem educandam.*

424. Demum qua matrimonium est in officium communitatis, cum civitatis intersint matrimonia, quaedam eis ineundis solemnia, iure cuiusque civitatis, constituta sunt: his autem qui ex hoc iure ea coeunt multa competunt privilegia, ut ecce quae pertinent ad dotem mulieris, ad patriam viri (nunc, apud nos, et uxoris) potestatem, ad successionem filiorum, etc. Haec dicuntur *iura civilia:* itaque si non ex iure quoque civili coierint nuptiae, iura civilia

(8) *Genes.,* I, 28; D. Th., in 4, D. 39; Q. 1, 2.

(9) I *Corinth.,* VII, 2, 5, 9.

(10) Trid., XXIV, *h. t.,* Can. I: sacramentum est, stricta significatione, *in fieri;* lata (*mysterium*) *in facto esse,* nempe *in Christo et in Ecclesia (Ad Ephes.,* V, 32; C. 5, *De Bigam.).*

(11) Gulielmo Paris. (*h. t.,* C. IX), Palud. et post Trident. Cano, aliisque pluribus doctissimis (V. Ben. XIV, *De Syn.,* IX, 13). Scilicet existimabant, sacramentum in benedictione nuptiali positum esse; ideoque ipsam benedictionem materiam, verba benedictionis formam, sacerdotem vero benedicentem esse ministrum. Quae doctrina hodie damnata est (*Sillab.,* 67, 73).

(12) Leo XIII, Const. *Arcanum.*

(13) Pius VIII, Encycl., *Humilitati,* 24 maii 1829. Quin aliquid novae difficultatis ei superadditum sit (Lugo, *De Poenit.,* XIV, a n. 116, omnino legendus). Haec igitur distat inter matrimonia infidelium et fidelium, quod inter corpus opacum et luminosum, quod inter ferrum frigidum et candentem distat.

(14) Pius IX, Enc. *Ad Apostolicae,* 1851. Itaque si matrimonium est, sacramentum est, etsi nolint sacramentum facere qui matrimonium contrahunt: et si non est sacramentum, matrimonium ne intelligi quidem potest, etsi partes velint matrimonium contrahere (Pirin., IV, I, 74).

(15) Bellarm., *h. t.,* I, VII; Sanchez, *h. t.* (*De Matrim.*), II, V, 6; VI, 2. Idest materia remota est ius in corpora; forma sunt verba, nutus, etc., quibus consensus significatur ultro citroque.

matrimonio non constant; ideoque nec dos, nec patria potestas, nec liberi (hoc iure) legitimi intelliguntur (16).

425. Matrimonium qua sacramentum est solo iure canonico regitur, qua est actus civilis regitur solo iure civili; qua est contractus naturalis regitur tum iure naturae, tum iure Evangelico ubique gentium (17). Sed utro praeterea regi debeat apud *christicolas;* civili ne, quia reip., an canonico, quia religionis intersunt contractus huiusmodi, an utroque? Porro sacramentum sine contractu naturali constare non potest; aut utrumque igitur (idest et contractum, et sacramentum) utrique potestati, aut sacramentum civili, aut contractum naturalem ecclesiasticae potestati subesse necesse est. Primum absurdum, quid enim si pugnantia exigant? Alterum haereticum; ergo tertium (18), ergo solius Ecclesiae est, non Principis, neque christiani (quod usque ad finem saec. XVIII nemo unquam dubitavit), neque infidelis, quod est verius, ea moderari, quae pertinent ad substantiam huius contractus naturali iure (19). Uno verbo, matrimonia inter christicolas solo iure divino et canonico reguntur et aestimantur. Itaque inita ex iure canonico, licet contra civiles leges, rata; et, ex diverso, ex iure civili inita, contra ius canonicum, irrita sunt (20). Dixi apud *christicolas,* quia infidelium matrimonia, cum non sint sacramenta, nec ideo iure canonico regi possint (21), verius non ex solo iure naturali et evan-

(16) § 12, *De Nuptiis.*

(17) D. Th., in 4, Dist. 24, Art. 1, ad 4. Huic autem iuri nulli humanae potestati derogare, subrogare, obrogare datum est. Apud protestantes aestimatur ex iure Evangelico, excepta causa divortii, et ex Levitico: penes catholicos, ubi civile matrimonium viget, ex iure civili, et scitis legum latorum.

(18) V. C. 1, *De Spons. et Matr.* Contra Carrière (qui postea a sententia recessit) *Praelect. Theol., De Matrim.,* Vol. 1, p. 136 (Parisiis 1837); quem late et solide confutavit D. Feije (I, §§ 2, 3).

(19) Trident., XXIV, Can. 4; Bened. XIV, C. *Singulari,* §§ 7, 9. Qua potestate eam pacifice usam privative quoad Principes a primis Ecclesiae saeculis, fatetur vel ipse Van Espen (Par. II, Tit. XIII). Nec mutuata ex iure civili (*Syllab.*, 69, 70); nec cessa ab eo, uti existimavit Petrus Soto (*h. t.*, Cap. IV, in fi.); nec ei adempta, ceu ratus est Sanchez (*M.*, VII, 3, 2); sed *iure proprio* (B. Pii VI, *Auctoritatem Fidei,* Propos. 50). Ideoque causae matrimoniales, et sponsalium ad forum dumtaxat ecclesiasticum pertinent (*Syll.*, 74). Si quid igitur Principes super matrimoniis contrahendis decernere possunt, ea solum spectant *quae in genere civili versantur* (Leo XIII, Encycl. *Arcanum*). *Civile* autem *matrimonium,* quod vocant, commentum esse introductum sub finem saec. XVIII, in summa illa perturbatione omnium rerum divinarum et humanarum, petitum ex separatione contractus et sacramenti invecta a Novatoribus iam a saec. XVI, nemo unus ignorat.

(20) Ex C. 1, *De Sponsalib.;* C. 1, *De Coniug. Servi.*

(21) C. 8, *De Divort.* Ideo si, e. g., duo infideles consobrini contraxerint matrimonium, valet. (C. 8).

gelico, sed ex iure quoque civili, idest Principum (sive fidelium sive infidelium) coiri debent, *quia ea quae pertinent ad legem naturae sunt determinabilia per ius positivum* (22).

426. Itaque matrimonia fidelium tum contractus, tum sacramenti vim habent: age nunc, sunt in utroque singularia permulta. Nam *qua contractus* (societas), I. inter mares tantum et foeminas, et plusquam inter unum et unam hodie constare non potest (23). II. Cum ceteri contractus ex uno tantum latere constare, sive uti aiunt, *claudicare* possint, hic, nisi ex utroque latere constat, nullus infectusque est. III. In contractu matrimonii ineundo nec humani legislatores, nec ipsimet contrahentes ea omnia possunt, quae in ceteris possunt: etenim *illis* non datur voluntatem (V. Par. II., § 302, n. 30), supplere, si forte ex parte unius defuit (24); nec *his* (quia matrimonia et societatis et religionis summopere intersunt) datur aliquid aleatorii in eis introducere. Sed in primis contractus matrimonii est suapte natura aliquid sacrum et sanctum *Auctore,* quippe Deus contrahentes coniungit (25); *re,* quia corpora nostra sunt templum Spiritus Sancti; *fine,* quia ad gloriam Dei cum primis pertinet (26); ac denique *mysterio,* nempe in Christo

(22) D. Th., in 4, D. 39, q. 1, Art. 2, ad 3; Sanch., VII, 3, 5; Pont., VII, 1, 2. Et ita a S. C. De Propag. declaratum fuit die 26 iunii 1820, penes Rasemans (*De Comment. civili in vinculum coniugale infidelium.* Romae 1887, Cap. V, pag. 70). Et congruit tum his quae censuit S. U. I. (*Collect.*, n. 849), tum responsioni ab eadem S. C. datae Vic. Apost. Yunnen. 20 sept. 1854 (*Collect.*, n. 868), quam, non suo, sed quorumdam TT. nomine dederat iam ab anno 1631 (*Ib.*, n. 921). Contrariam sententiam omnium primus docuit P. Ioann. Perrone S. I., quae hodie invalescere videtur (V. Periodic. Isroacen. *Le Mariage,* etc.; Feije, Cap. 1, § 3). Nempe quia matrimonium est aliquid sacrum. Sed neminem latet in LEGE NATURAE sacerdotes non defuisse (*Genes.*, XIV, 18; *Exod.*, IX, 16). Nam qui *gentis* alicuius, seu familiae velut *principes* erant, idest primogeniti (V. *Genes.*, XXVII, 29), ii et antistites sacrorum erant (V. *Genes.*, XLIX, 3). A quibus hoc munus serius in *principes* civitatum transiit (V. *Genes.*, XIV, 18, et in his locis Interpp.). In LEGE SCRIPTA, *lex* Moysis *sacerdotes* quidem *constituit* (V. *Ad Hebraeos*, VII, 28; et I *Reg.*, XIII, 10), sed haec nunc nec ad hebraeos pertinet quia leges hebraeorum coeremoniales eversa eorum rep. exciderunt (Prol., § 15; V. *Oseae,* III, 4).

(23) *Matth.*, XIX, 4; C. 8, *De Divort.* Pluribus viris nubere *(polyandria)*, vel plures uxores ducere (*polygamia*), alterum generationi, alterum educationi liberorum obest; utrumque vero alienum est ab aequitate, quae paria iura desiderat; atque ideo utrumque omnibus prohibetur, illud naturali iure, hoc evangelico.

(24) Ex C. ult., *De Procur.*, in 6°; cit. §, n. 31; Sanch., I, XI, 7.

(25) *Tob.*, VII, 15; *Matth.*, XIX, 15.

(26) *Tob.*, VIII, 9.

et in Ecclesia, quorum unionem significat (27). Quamobrem religiose ac sancte, et non prout contractus ceteri, ineundi sunt; quod nec ipsos ethnicos latuit.

427. Qua est *sacramentum*, a ceteris quam longissime distat materia, forma, ministris. Sed in primis in hoc sacramento locum non habet prop. 1 damnata ab Innoc. XI (§ 250), ac proinde non est illicitum ex hoc capite contrahere matrimonium probabiliter, vel certo invalidum: is igitur qui irritas coit nuptias, contractum directe, et in se invalidum facit (quod sacrilegio vacat proculdubio), sacramentum vero indirecte et per accidens (28). Matrimonium rite initum inter infideles *legitimum*, inter Christianos *ratum* (idest sacramenti dignitate praeditum) appellari solet (29). Utrumque vero *consummatum* dicitur postquam sponsi convenerint, et facti sunt una caro (30); non prius, licet antea commiscuerint (31). Sed iam singula ingrediamur, dispicientes – De matrimonio – De dispensationibus matrimonialibus – et se sponsalibus.

(27) *Ephes.*, V, 33; C. 5, *De Bigam.*

(28) Henriq., *h. t.*, Cap. IX, 6; P. Ledesma, Q. 50, Art. 1, Diff. 3; Sanch., IV, 16, 8; VII, 5, 1; Pont., IV, 6, 4; Lugo, *De Sacram.*, VIII, 930; V. S. Alph., VI, 1102. Ideoque sacrilegii non tenetur qui contrahit simulate quia non sacramentum simulat, sed contractum (Sanchez, I, XI, 2; Croix, VI, I, 162).

(29) C. 7, § *Si vero*, *De Divort.*

(30) D. Th.; S. Alph., VI, 1036.

(31) S. C. E., 18 nov. 1618; Corr., *Prax. Matr.*, VIII, VII, 32; Schmalz, IV, I, 228. Scilicet, *non entis nullae sunt qualitates.*

In matrimonio tria distinguenda sunt: – essentia – vinculum – bona. Essentia, est mutua traditio iuris coeundi (D. Th., in 4, Dist. 24, art. 2, ad 1). Vinculum est quae, ex traditione huiusmodi, ultro citroque nascitur obligatio (Ex pr. Inst., *De Oblig.*; Cf, Tambur., *h. t.*, Tr. IV, Cap. 1, in fin.; V. Card. De Lauraea, To. III, *h. t.*, Dist. XII, n. 6.). Bona demum (S. Aug.; et *Catech. Rom.*, *h. t.*, a n. 23), *proles* nempe cum primis educanda: *fides* mutua scilicet, ac perpetua; et (inter christicolas), postquam consummatum fuerit, *sacramentum*, idest mysterium unionis Christi cum Ecclesia, quo fit, prout haec, prorsus indissolubile, (S. Aug., *De Bono Coniug.*, Cap. VII; *Catech. Rom.*, § 25). Multi putant, matrimonia quoque infidelium consummata signa esse suo modo coniunctionis Christi et Ecclesiae, et Vasq. (in III P. D. Th., t. IV, Disp. 2, n. 57) censuit *sine nota aliqua negari non posse.* Nec potest, quippe fuerunt *vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio* (Leo XIII, Encycl. *Arcanum*, 10 februar. 1880).

SECTIO II.

De Matrimonio contrahendo.

CAPUT I.

SUBSTANTIALIA MATRIMONII.

428. Substantialia matrimonii duo sunt naturali iure, potentia, vel futura, coeundi, et consensus: sed iure positivo multis a nuptiis prohibemur, quae apud Nostros tractatione *de impedimentis matrimonii* comprehensa sunt. Sunt autem impedimenta conditiones vel circumstantiae iure constitutae, quae arcent a nuptiis, seu licite, seu valide, contrahendis. Et quae matrimonia licite inire vetant, *impedientia* dici solent, quae valide, *dirimentia;* verbo (haec) magis quam sensu inconcinno; non enim initum dirimunt, si forte post supervenerint, sed valide iniri vetant (1).

429. Porro impedimenta dirimentia, stricta significatione, non ea accipio, quae quoslibet contractus vitiant, ut error, vis; sed quae *speciatim matrimonium* vitiant. Impedimenta huiusmodi recidunt in leges inhabilitantes; ideo regulariter, nec ignorantia ab eis incurrendis excusat, nec vis et metus (2). Omnia vel naturali iure constant, vel evangelico, vel canonico: neque enim Episcopis ea introducere datum est; nec quidquam cavere quod alias matrimonium irritum facere posset (3). *Illa* et *ista* tenent omnes (4), *haec* christicolas tantum (5). Nihilominus si nuptias coeant fidelis et infidelis cum matrimonium *claudicare* non possit (V. Par. II, § 409, n. 11), si aliquod impedimentum iure canonico introductum

(1) IMPEDIENTIA haec supersunt (V. S. Alph., VI, 982): *Ecclesiae* (Ordinarii) *vetitum et disparitas cultus impropria* (§ 437), *tempus* (§ 464), *sponsalia* (§ 432), *votum* (§ 435). DIRIMENTIA haec (S. Alph., 1008): *Error* (§ 444), *conditio* (§ 444, n. 15), *votum* (§ 435), *cognatio* (§ 433), *crimen* (§ 438). – *Cultus disparitas* (§ 437), *vis* (§ 445), *ordo* (§ 437), *ligamen* (§ 432), *honestas* (§ 434). *Aetas* (§ 431, n. 11), *affinis* (§ 433), *si clandestinus* (§ 459), *et impos* (§ 431). – *Raptave sit mulier, nec loco reddita tuto* (§ 446).

(2) Prol., § 216; V. Sanch., lib. VII. Disp. V; Croix, VI, III, 525. Ex his *famosa* dicuntur quae manant ex causa turpi; nempe affinitas ex copula illicita, et crimen.

(3) Ben. XIV, *De Syn.,* XIII, 23; Lugo, *Resp. Mor.,* I, 45, 4.

(4) Schmalz., IV, 1, 375; Prol., § 197, n. 9.

(5) C. 4, *De Consang.;* C. 8, *De Divort.* Multa scripserunt Ioseph Mansella, Romae, 1881; Henricus Ioannes Feije, Lovanii 1885; et Zephyrinus Zitelli, Romae 1887.

fidelem tenet, eo et infidelis indirecte tenetur (6); et contra (§ 425, n. 22). At omnia, quia libertatem coercent, strictae interpretationis sunt (7). Nobis alia via incedendum est. Quando contractus est matrimonium, dispiciemus ante omnia, quinam matrimonii contrahendi capaces sint naturali iure: et hoc expeditum est; nam omnes, regulariter, qui suae mentis sunt, matrimonium contrahere possunt (Par. II, § 409); dummodo intelligant quae sint officia matrimonii et possint in ea consentire (8). Tum quaenam substantialia eius sint, quaenam accidentalia, quaenam solemnia (Par. II, § 299). A substantialibus ordiamur: haec igitur sunt *res, causa, consensus* (Par. II, § 300).

ART. I. *De Re ad contrahendum habili.*

430. Principio igitur *re* opus est. Est autem res ius *coeundi* ultro citroque tradendum (1). Cum autem res, et, 1° possibilis et 2° honesta esse debeat (Par. II, § 300), ex primo capite matrimonium non intelligitur inter eos qui vel coire nequeunt, vel ius sui corporis amplius non habent: inde impedimenta *impotentiae* et *ligaminis*. Ex altero vero, propter reverentiam personarum, eo prohibentur qui aliquo seu *consanguinitatis* seu *affinitatis*, seu *publicae honestatis* impedimento devincti sunt: ob honorem vero religionis nefas est coire nuptias obstrictis *ordine sacro, aut voto castitatis*.

431. Impotentia et sterilitas distant, et illa non haec matrimonium dirimit. Impotentia proprie virorum dicitur, nam est virilium ad coeundum infirmitas. Sed apud Nostros latissime accipitur quidquid viro et mulieri ad perfecte coeundum impedimentum praestat: *perfecte*, ita scilicet, ut vir et mulier fieri non possint una caro (2);

(6) Ex C. 1. *De Conv. infid.;* V. Sanch., VII, 78, 3; Pont., VII, 45, 6; V. Schmalz., IV 7, 46, etc. Seu simplex impedimentum sit, ut *cultus disparitas:* seu poenale, uti *crimen*.

(7) Engel, IV, VII, 2. Et in dubiis utrum subsit an minus aliquod dirimens impedimentum, matrimonium impediri non potest, quia possidet ius contrahendi (L. 14, § 5, *De Ritu Nupt.*); et initum, quia matrimonium possidet, non est dissolvendum (Ex C. 4, in fi., *De Testib.;* Sanch., I, 18, 7; Engel, IV, 3, 17; V. S. Alphon., VI, 905).

(8) S. U. I., 10 iulii 1867. Et iure prorsus (V. Prol. § 143, n. 6).

(1) D. Th., in 4, Dist. 28, quaest. un., Art. 4. Idest petendi invicem ius (I *Corinth.*, VII, 4; Ex C. 1, § 1, C. 6, *De Frigid.;* Sanch., VII, 92, 7; Pont., VII, 60, 3).

(2) Ex cit. CC.; V. *Nouvelle Revue théologique*, To. XVII, pp. 302, 353. auctore A. A. Eschbach.

seu naturalis ea sit (ut ecce frigiditas), seu accidentalis (velut ex abscissione, morbo, maleficio, etc.). Est autem vel temporanea, vel perpetua: *temporanea* dicitur, quae tolli potest vel *remedio aliquo licito, absque corporali periculo* (3), vel *processu* aetatis (4). Inde patet quae sit *perpetua:* haec autem si cuivis commisceri prohibeat, *absoluta*, sin alicui tantum, *relativa* dici solet. Ex his autem sola perpetua dirimit matrimonium; et si eo anterior fuerit (Par. II, § 315, n. 12), seu absoluta, seu relativa. Itaque nullum matrimonium constare potest, ex ILLA cum castrato, vel frigido (5), vel morbo perpetuo, aut senio adeo confecto, ut omne ad opus coniugii vis in eo penitus exhausta sit (6); neque verius cum his qui utroque testiculo carent (spadonibus), quippe verum semen non habent (7); ex HAC cum eo, vel ea, a quo alter cohibetur maleficio (8), vel repugnante natura (9): ex ALTERUTRA vero constare non potest cum virgine quae adeo arcta est ut mulier fieri non possit (10). Huc pertinent quodammodo impuberes; hi quamdiu *aetate* impu-

(3) Cit. CC. 1, 6, *De Frigid.*

(4) D. Th., IV, Dist. 24, art. 2. Velut nimia caliditas.

(5) § 9, *De Adoptio.*, CC. 1, 2, 3, *De Frigid.* Scilicet naturali iure; ac, proinde, etsi alter eam non ignoraverit (Sanch., VII, 97, 2). Temporanea non obest (C. 6, *De Frigid.;* Sanch., VII, 92, 6).

(6) Laym., P. IV, Cap. XI, 7. – *Penitus;* alias nec in extrema senecta prohiberetur nuptiis (Sanch., VII, 92, n. 20, 24).

(7) Prol., § 29, n. 18. *Verius,* quippe Xixtus V, eos nedum inire matrimonia vetuit, sed inita diremit (V. Sanch., VII, 92, 17). Pontius (VII, 68, 1) docuit, haec matrimonia dirimi solo iure canonico, ac proinde matrimonium ab iis contrahi posse ad caste vivendum, ceu frater et soror. Doctrina difficilis; nec facile permittendum est, ut vir et mulier, toro separati vivant tamquam frater et soror (Feije, § 541).

(8) Ex C. 4, Cau. 33, 1; Sanch., VII, 94. Sed V. Feije, § 538.

(9) Ex C. 5, *De Frigid.;* Sanch., VII, 92, 13; D. Th.; S. Alph., VI, 1096. At nubere non prohibetur mulier quae, 1° *sterilis* effecta est per utriusque ovarii excisi defectum (S. U. I., 3 febr., 1887), quia sterilitas non idem est ac impotentia; vel 2° utero caret, dummodo concipere possit (V. Eschb., §§ 1, 8, V.). Utrum autem concipere possit nec ne, medicorum iudicio relinquimus. Sed in utroque casu nemo audeat matrimonium contrahendum permittere vel impedire, aut iam contractum nullum decernere inconsulta S. Sede. Et quoad primum S. U. I. die 16 ianuarii 1895 declaravit recurrendum esse in singulis casibus, cum illucusque responsum non fuerit, nisi in casibus particularibus.

(10) Ex C. 6, *Eodem;* Sanch., VII, 92; 11. Caeterum satis est si vir semen ad vaginae os ingressumque effundere possit: constat enim pluribus exemplis hoc ad generationem sufficere (Vallisnieri, *Istoria della generazione dell'uomo*, Par. I, Cap. VIII, n. 7; *Dizionario classico di medicina, interna ed esterna,* Venezia, 1834, To. 17, p. 89; *Dizionario di medicina, chirurgia, farm.*, Venezia, 1846, To. 3, p. 691; Ballerini ad Gury, II, 855).

(11) CC. 2, 10, *De Despons. impub.* Quamdiu *aetate,* etc. (V. Prol., § 29, n. 17).

beres sunt (11) nuptias valide inire prohibentur iure canonico (12), quia praesumuntur per aetatem coire non posse: ideoque valet matrimonium impuberis aetate si iam possit coire, et puberis (lex non distinguit), etsi nondum coire possit (13).

432. Deinde et is qui ius sui corporis alteri iam tradidit, et is qui promisit (matrimonio videlicet cum alio, aut sponsalibus initis) prohibentur cum alio matrimonium contrahere; ille enim, cum non amplius habeat potestatem sui corporis, nullatenus potest in alium transferre coeundi ius; is non potest citra iniuriam alterius. Ex quo patet alterum ex his duobus impedimentis (*ligamen*) dirimens esse, alterum (*sponsalia*) impediens tantum.

433. Item veneratione personarum, iure seu naturali seu canonico, connubium non est cum his qui aliqua cognatione seu naturali, seu spirituali, seu legali sese contingunt (14). Et primum naturali cognatione, seu consanguinitas ea sit, seu affinitas (Prol., §§ 60, etc.). Et *consanguinitas* eas dirimit in linea recta in infinitum (15), in collaterali usque ad quartum gradum (16). *Affinitas* ex copula licita usque ad quartum gradum (17), ex fornicaria usque ad secundum (18).

(12) Ben. XIV, C, *Magnae nobis,* 29 iun. 1748. Et ita vetus lis finita est (V. Feije § 531). Et merito, quia pudicitia non patitur eodem toro uti (Cf. Mansella, Pars I, Art. 1, n. 14).

(13) Ex cit. C. 2; Sanch., VII, 104, 15.

(14) § 6, *De Nuptiis;* D. Th., II, II, 154, 9. Dixi naturali aut canonico, nam recepta sententia est, heic cessare ius divinum; etenim mosaicum (*Levit.*, XVIII) abrogatum fuit; evangelicum nihil cavet (Sanch., VII, 52, 2, etc.).

(15) § 1, *De Nuptiis.* Et naturali iure saltem in primo gradu (Sanch., VII, 51, 7).

(16) C. 8, *De Consanguin.* Sed apud Indos americanos, ex M. P. Pauli III, 2° gradu finitur (Sanch., VIII, 24, 35; Pont., VIII, 17, 26). Eoque finiri apud infideles definiti iuris est (C. 8, *De Divort.*). Sed utrum in primo vetitum sit naturali iure (Sanch., VII, 52, 11), an canonico? (Pont., VII, 32, 3; Schmalz., IV, 14, 45). Hoc aut verius, aut saltem probabilius videtur ex *Genes.*, XX, 12. Illud certum perpetuumque est, Ecclesiam nunquam hucusque dispensasse, nec dispensare velle in hoc gradu. Porro gradus primus et secundus *propinquiores*, ceteri *remotiores* dici solent.

(17) C. 8, *De Consanguin.*

(18) Trid., XXIV, *R. M.*, 4. - *Licita - fornicaria:* Quid si ex matrimonio nullo? adhuc sub iudice (Giovine, To. I. § 306, 6), varia et implexa lis est: quidam adhuc 4^{m} contingere putant: quidam 2^{m} non excedere; alii, si matrim. b. f. initum fuit, illis; sin mala, his adhaerent (Cf. Feije, § 376; Allègre, Art. VI, n. 2): hoc mihi displicet (§ 429); itaque nihil prorsus audendum inconsulta S. Sede, sive agatur de matrimonio contrahendo, sive de eo dissolvendo. At proculdubio ea quae secundo gradu finitur, matrimonium ulterius nec dirimit, nec impedit (S. Pius V, C. *Ad Romanum Pontif.*, an. 1566). Cumque affinitas, sive ex copula licita oriatur, sive ex illicita, naturali iure consistat (Prol., § 62, n. 9), non bene Sanchez, Pont., aliique docent, Ecclesiam in 1° gradu lineae rectae ab ea quae oritur ex

Et quando gradus remotior ad se propinquiorem trahit (Prol., § 61, n. 6), si unus ex sponsis in 5° consanguinitatis, vel in 3° affinitatis, ex copula illicita, sit constitutus, cessat impedimentum (19). Cognatio spiritualis dirimit inter baptizantem et baptizatum, inter patrinum baptismi solemnis vel confirmationis, et baptizatum vel confirmatum nec non illorum parentes (20). Civilis inter adoptantem et adoptatum (21); inter adoptantem et coniugem adoptati, inter adoptatum et coniugem adoptantis (22): ac demum inter fratres adoptivos, ubi adoptio adhuc romano iure (non gallico, neque nostro) metitur (23).

434. Affinitati proxime accedit *publica honestas.* Oritur ex sponsalibus, nempe validis (24), et ex matrimonio rato (25) etiam invalido, dummodo non fuerit invalidum ex defectu consensus (26): at non ex matrimonio civili, quod vocant, in his locis ubi contrahendum est coram parocho et testibus (27). Contrahitur inter spon-

copula licita dispensare non posse (licet nunquam ab ea dispensaverit): et contraria sententia, quam ex I *Corinth.*, VI, 16, tenet D. Th. (IV, Dist. 41, q. 3) aliique plures, mihi verissima est.

Ceterum, quum hodie affinitas non pariat affinitatem (Prol. § 62, n. 15), certi iuris est, vitricum non prohiberi privigni sui viduam ducere (S. C. C., 8 martii 1721, ap. De Iust., *Annotat.*, Cas. 28): atque ideo, ex diverso, vitrici viduam privigno nubere posse (Contra L. 15, *De Rit. Nupt.;* V. Bened. XIV, *De Syn.*, IX, 13, 2).

(19) Cap. 9, *De Consanguin.;* S. Pius V, C. *Sanctissimus;* Sanch., VIII, 24, 25.

(20) Trid., XXIV, *R. M.*, 2.

(21) Ex LL. 2, 3, *De Adoption.*

(22) S.C.C., *In Hortana*, 26 sept. 1734. Et nominatim cautum erat in L. 14, *De Ritu Nupt.*

(23) C. un., *De Cogn. legali;* V. Bened. XIV, *De Synodo*, IX, 10, 5; V. Prol., § 65, n. 31; Corbier; Gury, II, 809. Contra putant Scavini, Giovine, Del Vecchio, De Angel. (*Prael. Can.*, IV, 12, 3), ex responso S. Poenit., 17 maii 1826 (V. Prol., § 65). Cl. A. Allègre rem indecisam relinquit (art. X, § 1). Quaestionem tantam dirimere solius S. Sedis est (A. Mansella, P. I, Cap. III, Art. 1, n. 24): ideo nihil sine ea moliendum.

(24) L. 12, *De Rit. Nupt.;* C. 1, *De Sponsalib.*, in 6°; Trid., XXIV, *R. M.*, 3; Feije, § 390. Licet occultis (S. Poenit., 10 sept. 1834. *Acta*, II, 381). Inita sub conditione suspensiva, ea pendente, impedimentum in suspenso est (C. un., *De Spons.*, in 6°); impleta, illico exoritur sine novo consensu (S. Alph., VI, 859), dum ne medio tempore alter eorum consensum revocarit, vel is casus inciderit, a quo matrimonium initium habere non potuisset (Ex cit. C. un., § ult.; V. Prol., § 41, n. 30, etc.), ut ecce si sponsus interea sponsae sororem cognoscat (V. Sanch., VII, 69, 2; V. Prol., § 41, n. 30, etc.; Par. II., § 309).

(25) Nam, eo consummato, in affinitatem transit, aut certe aliud impedimentum non parit (Ben. XIV, *De Syn.*, IX, 13. 3).

(26) C. un., *De Spons.*, in 6°: S. Pius V, M. P. *Ad Romanum Pontificem;* Pont., VII, 35.

(27) S. C. C., 13 mart. 1879. Et ita *declaravit ac statuit* (quorum alterum praeteritum, futurum alterum tempus respicere palam est) SS. D. N. Leo PP. XIII, die 17 mart.

sum, et consanguineos sponsi ex uno latere; ex altero vero inter sponsam et sponsi consanguineos (28), sive legitimos sive illegitimos (29), lineae tum rectae tum obliquae. Verum ea quae contrahitur ex sponsalibus, 1°; quae ex matrimonio, 4° utriusque lineae gradu finitur (30). Et prout affinitas, cum semel fuerit contracta, perpetua est, nec cessat resolutis utcumque sponsalibus, aut matrimonio; v. c., mutuo dissensu (31), vel morte (32). At vero ea quae oritur ex matrimonio invalido (non consummato) non solvit priora sponsalia (33). Et si quis, duo sponsalia valida, vel duo matrimonia invalida inierit, hunc contrahere duplex publicae honestatis impedimentum, quasi ex duplici causa, si quid opinor, palam est.

435. Demum ob religionis reverentiam vetitum est coire nuptias obstrictis voto castitatis, vel ordine. Sed *ordo* sacer tantum eas

1879, sive sponsi intendant *meram coeremoniam civilem* peragere, quod planum est; sive *sponsalia*, sive *matrimonium* (in quo cum primis omnis difficultas posita fuerat) *inire* (Decret., To. 138, p. 183).

Porro matrimonium civile, quod vocant, *clandestinum* matrimonium est, quippe initum omissa *forma* Tridentini: num igitur, *hoc* excepto, ex aliis clandestinis matrimoniis oriatur p. h. impedimentum, ceu existimavit Pont. (VII, 36, 5), an secus, uti ratus est Sanchez? (VII, 70, 13). Quaestio haec dudum (dum in S. C. C. agebatur de matrimonio civili) recruduit, nec mediocriter. Negat Sanchez, aliique. Sed qui contrariam sententiam tuentur (inter quos Fagnanus, et Ben. XIV), utique plures numero sunt; verum (absit verbo invidia), pro dimidia saltem eorum parte sufficit mihi unus Tho. Sanchez. Reliquos vero admodum verosimile est, iurasse in verba Gallemart (V. S. Alph., VI. 1064), et Fagnani in iurisprudentia S. C. C. (cuius secretarii munere diu functus erat) versatissimi; qui falso testati sunt (ille ad Trid., XXIV, De *R. M.*, 3, is semel et iterum in C. *Ad audientiam;* et C. *Sponsam, De Sponsalib.*), quaestionem hanc ab illa S. C. diremptam fuisse. Reor quaestionem huiusmodi a sola S. Sede definiri posse; atque ideo, ea inconsulta, nihil ab Ordinariis audendum esse, sive de matrimoniis ineundis, sive de dissolvendis apud ipsos agatur.

(28) De Iust., II, 8, 7. Non item cum affinibus (Sanch., VII, 68, 3).

(29) Ex C. 8, *De Spons. et Matr.;* Sanch., VII, 68, 4; De Iust., I, VIII, 4.

(30) C. un., *De Spons.*, in 6°; Trid., XXV, *R. M.*, 3. Sed ea, quae oritur ex matrimonio, secundum cum illegitimis gradum non excedit, si quid opinor, ne plus praestet quam affinitas, quae fortius vinculum est.

(31) Alex. VII, 6 iul. 1668; S. Alph., VI, 1063; A. Allègre, § XII, 1.

(32) Ex C. 8, *De Sponsal.;* Sanchez, VII, 68, 20.

(33) C. un., *De Sponsal.*, in 6°. Sponsalia inita, inquam, cum quovis consanguineo sponsi, seu sponsae (Sanch., VII, 68, 23). Hoc impedimentum nullum in iure naturali fundamentum habet, ideo nulla cognatio, nullum vinculum oritur ex sponsalibus et matrimonio rato, seu invalido (Sanch., VII, 65, 67), seu valido (Contra Sanch., *l. c.*, n. 6), in infidelitate contractis.

dirimit (34), et *votum* castitatis solemne (35). Votum simplex eas impedit solum, etsi perfectum, et perpetuum fuerit, et ab utroque emissum (36); excepto eo quod, post tyrocinium biennale, nuncupatur a novitiis Societatis Iesu (37). Et nedum votum castitatis impedit nuptias, sed et votum ingrediendae religionis, vel suscipiendi ordines sacros, vel non nubendi (38): et planum est. Qui autem obstricti ordine sacro, aut solemni castitatis voto matrimonium, vel tantum civile (39) contrahere, quique cum eis contrahere praesumunt, incurrunt excommunicationem Ordinariis reservatam (Prol., § 392, I). Qui vero simplici castitatis, etc. voto sunt obstricti, quique cum eis, id scientes, matrimonium contrahunt: peccant letaliter nedum cum contrahunt, sed quoties petunt (40).

ART. II. *De Causa matrimonii.*

436. Matrimonium ad mutuum vitae adiutorium ineundum fuit institutum (§ 422, n. 8); nihil igitur ei tam contrarium est, quam ex ipso nancisci periculum seu *religionis*, seu *capitis*. Ne quid igitur alterutri metuendum esset, utrique speciatim cautum est: *religioni*, catholicos a non catholicorum nuptiis arcendo (1); *capiti* autem

(34) CC. 1, 2, *Qui Cler. vel Vov.;* Trid., XXIV, Can. 9. Nisi receptus fuerit ex metu gravi (S. Alph., VI, 811). Et etiam apud graecos, quod olim *diu multumque agitatum fuit* (Ben. XIV, C. *Eo quamvis*, 4 maii 1745), dirimit (S. C. De Propag., iussu Pii IX, 24 mart, 1858; S. U. I., 22 decem. 1875; V. L. 45, C. *De Episc. et cleric.*).

(35) C. 10, *De Conv. coniug.* – *Solemne.* Non igitur dirimunt vota quae religiosarum congregationum viri, seu mulieres edunt (V. Prol., § 187, n. 38), quae Beguinae, Tertiariae, Mantellatae vovent in manibus Ordinarii, licet solemniter (Pont., IX, 8). Nec vota simplicia solemnibus praemittenda (Proleg., § 103, n. 7). *Castitatis* nempe perfectae, ideo non dirimunt vota *castitatis coniugalis* quorumdam ordinum equestrium (Schmalz., IV, 6, 45).

(36) Ex C. 6. *Qui Cler. vel Vov.;* Sanch., VII, XI, 10.

(37) Greg. XIII, C. *Ascendente Domino.* Et eo quod emittit mulier, viro de consensu ipsius sacros ordines suscipiente (C. 10, Dist. 28). Quaestionis est an dirimat etiam post mortem viri; affirmat Sanchez, negat Pontius (V. S. Alph., VI, 812): utraque sententia est probabilis; sed Pontii fortassis est verior.

(38) V. Reginald., 31, 185. Nec excusant ab obtinenda dispensatione carnis stimuli, etsi diuturni, vel acriores: scilicet, causa petendae dispensationis non est dispensatio (Sanchez, VII, XI, 9).

(39) S. U. I, 22 decem. 1880 ad 1^{m}.

(40) Lehmk., 719, III. Vel ei petunt qui illud suo iure exigere non potest (*Ib.*, n. 2): sed hoc cum grano salis accipiendum puto ad vitandum incontinentiae alterius periculum. Quod autem docet Gury eum et reddere et petere posse, quia impossibilis facta est voti obligatio, mihi difficile est.

(1) *Quomodo potest congruere caritas ubi discrepat fides* (S. Ambros., Lib. 2, Cap. 9, *De Abraham*).

cavendo ne quis, coniuge mortuo, nuptias cum socio sceleris coire valide posset. Hinc impedimenta *disparitatis cultus et criminis.*

437. Cultus seu religionis, disparitas est vel propria vel impropria. *Propria* dicitur cum alter tantum; *impropria* cum uterque est baptizatus, sed alter orthodoxus est, alter heterodoxus (2): sive haereticus sive schismaticus, ex secta (3). Utraque, propter perversionis periculum, obstat nuptiis iure canonico, sed propter educationem prolis illa dirimit matrimonium, haec impedit tantum (4). Et si quando S. Sedes ex gravi causa huiusmodi nuptias coiri permittit, ita id permittit, dummodo et nihil metuendum sit fidei coniugis catholici, et hac expressa conditione, si uterque *omnes* filios nascituros in catholica religione educaturos promiserit (5). Sed quia haec conditio impedimenti naturam non mutat, ea non servata, perinde est, hac si dispensatio data non esset; ideoque si post eam impetratam alterutra pars conditioni non acquiescat, et matrimonium nihilominus contraxerit, nullum, aut illicitum sed validum erit, prout dirimens disparitatis cultus, aut impediens mixtae religionis obstet impedimentum (6).

438. Duo sunt crimina quae dirimunt matrimonium; adulterium, et uxoricidium seu potius coniugicidium. Subest autem *heic* et impedimentum, et poena (7). *Impedimento* cavetur coniugi innocenti,

(2) *Illud proprie disparitatis cultus, hoc mixtae religionis nuncupatur* (V. Bened. XIV, Instr. 30 nov. 1749, ad S. C. de Prop. F.).

(3) Sive in ea educati fuerint; sive ei verius, a fide catholica deficientes nomen dederint. Ideoque huc non pertinent baptizati, qui nulli sectae dato nomine, a fide, vel universa, desciscunt (Ex S. U. I., 28 iulii 1866), nec hi qui sectis massonicis nomen dederunt (Ex S. U. I., *l. c.*, et 30 ianuar. 1861).

(4) Ben. XIV, C. *Singulari Nobis.* Dirimit quamvis baptizatus catechumenam ducat, vel non baptizatus apostatam (V. De Iustis, II, 15, 7). Iure *canonico*; contra Sanch., VII, 71, 5, qui iure divino naturali ex *Deut.* VII constare putat.

(5) Greg. XVI, *Ad Archiep. Friburgen.*, 23 maii 1846. Et quando hoc uterque promiserit, matrimonium inter infidelem et catholicum non resolvitur si infidelis post initas nuptias non servaverit.

(6) Gury, II, 828. Verum catholicus qui, vel non impetrata dispensatione, vel non servata hac dispensationis lege, matrimonium contrahit cum heterodoxo, arcetur sacramentis quoad promiserit confessario, educaturum se liberos in religione catholica, et *reparaturum scandalum aliis fidelibus* datum (Pius VII, *Epist. ad Cardin. De Frankenberg*, 23 iul. 1782). Nec aliud exigebat Instr. Ben. XIV, 4 nov. 1741 (V. *Collect.* n. 901), nec Pius VIII, *ad Episc. Coloniae*, 25 mart. 1830. Et ita censuit S. U. I. in fer. V. 24 aug. 1769. Nullibi autem Ecclesia vetat coniuges cohabitare, quod ex diverso, lex naturalis iubet (V. C. 1, *De Matrim. contra interdict. Eccl.*). Alias quidni et hi separandi essent qui matrim. contrahunt neglectis publicationibus?

(7) Lugo, *De Poenit.*, XVI, 336; Suar., *De Legib.* V, 19, 6. Et est omnium sententia (Pal., Tr. III, Disput. II. P. 2. n. 2).

ne spes futuri matrimonii det reis ansam captandi eius mortem: *poena* coercetur iniuria, quae tum ei, tum matrimonio irrogatur (8). Et, qua poena est, adulterium et uxoricidium accipere debemus non existimata, sed vera (Prol., § 296, n. 3), et consummata (*Ib.*, § 298, n. 26). Qua vero hac poena coercetur iniuria quae fit coniugi innocenti, opus est adulterio vel homicidio formali, et utrinque formali (9); nam eiusmodi poena est, quae aut utrumque tenet, aut neutrum (Prol., § 319, n. 6): qua demum est poena qua coercetur iniuria quae fit matrimonio, si hoc validum non fuerit, impedimentum cessat (10).

439. Et primo *adulterium*: verum ex solo adulterio non oritur impedimentum, nisi accesserit vel *matrimonium* inter adulteros *attentatum* (idest de facto initum, altero coniuge adhuc vivente), vel *promissio* de illo post obitum coniugis ineundo (11); nec sola promissio, si defuerit adulterium (12). Porro (et profluit ex dictis § 438), 1° adulterium accipere debemus perfectum (13); matrimonium vere et ex animo, non ficte, attentatum (14); aut promissio eiusmodi, quae alias per se vim sponsalium habere potuisset (15).

(8) Sanch., VII, 79, 31; Pont., VII, 45, 5; Engel, IV, 7, 6; Pal., *loc. cit.*

(9) Sanch., VII, 79, 31; Laym., Par. III, Cap. X, 2.

(10) Ex CC. 5, 6, *De eo qui dux.;* Sanch., VII, 78, 20; Pont., VII, 45, 3; Salm., 12, 49. Quamvis validum ab ipsis coniugibus (Pirhin., IV, 7, 2 in fi.), et ab omnibus haberetur (De Iust., II, 16, 54). At si fuerit validum, nihil refert, si forte non fuit consummatum (C. 2: *De eo qui dux.;* Salm., 4, 7, 36), aut coniuges diverterint (C. 4, *Eod.*; De Iust., n. 1).

(11) CC. 2, 5, 7, 8. *De eo qui dux. - Matrimonium*, etiam omissa forma Trident., attentatum (Sanch., VII, 79, 8; Schmalz., IV, VII, 15). *Post mortem*, nam si convenerit illud contrahere non expectata coniugis morte, periculum atque ideo (eo nondum contracto) impedimentum cessat (Sanch., n. 2; Pont., VII, 45, 2).

(12) C. ult., *Eod.* Sed si hoc non defuit, non interest utrum eodem tempore haec facta sint, an diverso; nec utrum prius, utrum postea fuerit admissum (Ex C. ult., *Eodem*; Engel, VI, VII, 7; Sanch., n. 3).

(13) Sanch., n. 2. Nempe commixtione seminum (S. Alph., III, 1036; Prol., § 62, n. 8).

(14) Ex CC. 1, 6, *De eo qui dux.;* quae *fidem* (idest veram promissionem) requirunt (Henriq., Lib. XII, Cap. XIV, 3, v. *Matrimon.*, n. 7; V. S. Alph., VI, 1039).

(15) Pikler, IV, VII, Decis. 130; Henriq., ap. Sanch., VII, 79, 19, qui contra putat. Quia non oritur periculum ex ea promissione, quae ad matrimonium vi sua perducere nequit. Ideo requiritur, 1° ut promissio non fuerit simulata (S. Alphons., *l. c.*); 2° ut fuerit acceptata (Sanch., n. 22; Pont., VII, 45, 2); acceptatio autem heic non praesumitur, quia et peccatum est, et obest nuptiis (Sanch., n. 25; V. S. Alph., 1038); et 3° probabiliter mutua (Bellarm.; Schmalz., IV, VII, 30; Laym., Par. IV, Cap. X, 4; ibique Silvest.; Gob.; Holzman, n. 562; Ugol.; Elbel, n. 165; Gloss., in C. 6, *De eo qui dux.*). Sententia communior (Sanch.; Pont.; S. Alph., VI, 104) contra putat, quia in cit.

Amplius, 2° quia opus est iniuria utrinque formali, si unus fuerit coniugatus, et *alter;* vel ambo, et *uterque* coniugium alterius ignoraverit, non obest neque promissio (16), dum ne ipsorum ignorantia fuerit crassa, aut supina (17); neque adulterium, etsi crassa et supina fuerit, quia adulterium sine dolo malo non fit; dummodo non fuerit affectata (18). Et, 3° quia requiritur utrumque simul (19), non obest adulterium sine promissione; nec promissio sine adulterio, vel ante adulterium mutuo consensu revocata (20). Demum *utrumque* accipere debemus formaliter (21): *simul* vero admissum constante eodem matrimonio (22): quae velim sedulo animadverti.

440. Dein *uxoricidium*, idest occisio coniugis, seu mulieris (23), seu viri (24), admissa utroque patrante (25). Sed neque heic solum

C. 6 dicitur *qui sibi fidem* DEDERIT; quae verba, *unius promissione verificantur* (Reiff., IV., 7, 17). Sed alii legunt *dederint,* uti Gonzal., et Glossa. Amplius, si fuerit sub conditione, quamdiu haec pendet, impedimentum non intelligitur, quia interim coniugi frustra *metuitur* (De Iust., II, XVI, 41; Schmalz., IV, VII, 27; ibique Laym., Pal., etc.; contra Sanch., n. 11).

(16) Ex CC. 1, 7, 8, 10, *De eo qui dux.;* Sanch., VII, 78, 12.

(17) Ex C. 2, *De Constit.,* in 6°.

(18) Ex L. 43, *Ad L. Iul. De adulter.;* Sanch., VII, 89, 38; De Iust., IV, 13, 87; S. Alph., VI, 1036.

(19) Ex C. ult., *De eo qui dux.;* Sanch., VII, 79, 6; Pont., VI, 45, 3; De Angel., *Praelect. Iur. Can.,* IV, VII, 2.

(20) Sanch., VII, 79, 7; Salm., 12, 70; S. Alph., VI, 1037. Etiam altero invito, si quid opinor; quia periculum in intentione est, non in vinculo iuris, quod in re turpi nullum est. *Ante adulterium;* nam si postea revocata fuit, impedimentum semel contractum non evanescit (Ex L. 62, *De Pact.;* S. Alph., *l. c.*). Nec obest promissio conditionata, conditione impleta post mortem coniugis (Pirhin., IV, 7, 2); nihilominus V, S. Alph., 1040.

(21) Et ex dictis planum est; ideoque non computatur, neque adulterium ignoranter admissum, licet postea promissio scienter sequuta fuerit (Barbo.; Engel, IV, VII, 8); nec admissum scienter post promissionem ignoranter factam, quamdiu promissor ratam eam non habuerit (Sot., et Ludov. Lopez, ap. Sanch., VII, 79, 34), quae mihi verior sententia est. Aliud existimant Sanchez (*l. c.*), Schmalz. (IV, 7, 13), aliique, putantes, prout matrimonium, ita et promissionem ignoranter initam tacite confirmari adulterio postea scienter admisso. Sed non est par ratio, et ceu turpis promissio non est facile praesumenda (Sanch., n. 14), ita nec turpis ratihabitio. Quin puto nec ratihabitionem, ex dictis, sufficere, si facta fuerit altero inscio. Aliud iuris est si matrimonium, seu potius *contubernium* ignorantes inierint, et postea scienter in eo perstiterint; etenim, non recedendo, et commiscendo, illud tacite ratum habent (Sanch., VII, 79, 32).

(22) Ex C. 18, *De eo qui dux.;* Sanch., VII, 70, 6; Pont., VII, 45, 3.

(23) C. 6, *De eo qui dux.*

(24) Ex C. 1, *De Conv. infid.* - *Communissima.* - Dummodo mors sequuta fuerit (Proleg., § 305, n. 23; S. Alph., VI, 1036). Et nec medici negligentia, vel imperitia (Pont., VII, 45, 11; Reiff., IV, VII, 22, 25; Schmalz., IV, 7, 54) sequuta sit.

(25) CC. 1, 3, 6, *De eo qui dux.;* Sanch., VII, 78, 9; Pont., VII, 45, 4. - *Patrante,* nempe, vel solo man -

uxoricidium sufficit, verum necesse est ut fuerit admissum cum *intentione* contrahendi matrimonium cum socio uxoricida (26). At vero haud necesse est, ut haec intentio concurrerit ex utraque parte; nihilominus, verius, necesse est ut appareat exterius, quia *in iure nihil est nisi quod apparet* (27); utque innotescat socio uxoricidae; nam quamdiu intentio unius alterum latet, nulla subest certa spes matrimonii ineundi, atque ideo aut nullum, aut non tam grave periculum imminet alteri coniugi (28).

441. At si utrumque intervenerit, nempe adulterium et uxoricidium, impedimentum contrahitur, quamvis adulterium sine promissione matrimonii (29), et uxoricidium altero inscio (30) fuerit admissum. Dummodo admissum sit cum intentione coeundi nuptias cum adultero vel adultera, et (probabiliter) homicida hanc intentionem ei antea manifestaverit (31); et utrumque constante eodem matrimonio fuerit admissum (32).

442. Quando autem hoc impedimentum est et poena simul et impedimentum, qua est poena, cum sit extraordinaria, probabilius videtur ignorantiam impedimenti ab impedimento excusare (33):

dato, aut consilio Ex C. (*De Conv. infid.;* Sanch., n. 5), non revocatis (Sanch., n. 7; De Iust., II, 16, 9; Prol., § 310). At non, ut puto, solum consentiente, quia iura machinationem requirunt; nec (quod nemo dubitat) eo ratum habente (Prol., § 304; Pont., *l. c.*, Sanch., VII. 78, 6).

(26) Sanch.; Pont., S. Alph., VI, 1033, 1036. Vel cum uno ex eis si fuerint plures. *Communissima:* ideo cessat impedimentum si vir, e. g., Seia cooperante, occiderit uxorem, ut Seia liberius frueretur, vel ut eius filiam duceret (Salmant., 9, 12, 54; S. Alph., 1036).

(27) Pont. VII, 45, 4; Salm., 9, 12, 55; Mazzo., *h. t.*, Cap. 5. Contra Sanch., VII, 78, 14, qui gratis affirmat eam praesumendam esse in foro exteriori. Putat autem S. Alph., (VI, 1034) sufficere, si *occasionem praecesserint sufficientia intentionis indicia; puta munera, familiaritates, epistolae amatoriae.* Ita porro, quia nihil interest quomodo quis voluntatem suam prodat: dummodo sciamus nefas esse quemquam onerare, nisi *ex probationibus, vel indiciis,* LUCE CLARIORIBUS (L. 25, C. *De Probation.*).

(28) S. Alphons., VI, 1034. Dixi *nam* etc.; et non, eo quod Ecclesia non iudicat de occultis, uti Nostri fere omnes docent (V. Baller., ad Gury, II, 821).

(29) C. 3, *De eo qui dux.*

(30) CC. 1, 6, *Eod.;* C. 5, Cau. 31, 1 (*Conc. Triburien.*); Pont., VII, 45, 5; S. Alph., VI, 1035.

(31) S. Alphons, VI, 1034, 1036, req. VI.

(32) Quamobrem si quis (vivente *prima* uxore) Seiae matrimonium promiserit; dein ei (vivente *altera*) commiscuerit; demum *tertiam,* ut Seiam duceret, ipsa tamen inscia, sustulerit, impedimentum non intelligitur (Sanch., *loc. cit.;* Salm., 9, 12, 60; De Iust., II, 16, 27).

(33) Navarr., *Manual.,* 22, 46; Salas.; Leander a *Murcia,* Disquis. in 1, 2 D. Th., lib. 2, D. 4; Paludanus, Fernand., Maior., apud Schmalz., IV, 7, 58; Pikl. IV, 7, Decis. 130, pr.,

quod alii negant (34), communius quidem, *sed principiis nec certis nec evidentibus* (35). Qua est impedimentum, si fidelis cum infideli hoc crimen admiserit, infidelis quoque eo tenebitur (36); dummodo *totum* ab utroque fuerit admissum (37). Seu autem impedimentum, seu poena sit, quia ex crimine oritur, non tenet eos qui in infidelitate hoc crimen admiserunt, si postea ad fidem conversi matrimonium inter se contrahere velint, quia omnia crimina baptismo delentur: *et nemo negat* (38).

ART. *De Consensu ad matrimonium contrahendum necessario.*

443. Denique opus est consensu, idest vera utriusque, super eadem re, voluntate, in eoque matrimonii *substantia* consistit (1). *Utriusque;* ceterum matrimonium perficitur unius pollicitatione, et alterius acceptatione, quin nulla repromissione opus sit: neque enim potest vir esse, nisi sit uxor; neque uxor, nisi sit vir (2). Et quia matrimonium perpetuum est, si uni eorum propositum sit, illud *ad tempus* contrahere, nihil erit actum (3) *Vera;* nam si alter simulate agat, vel ioco, matrimonium constare non poterit (Par. II,

et Quaest. 2; et latissime Krimer, ad Decret. IV, VII, 1011; et novissime Ballerini, ad Gury, II, 788 (V Prol., § 318, n. 84).

(34) Croix, VI, III, 642; Spor., *h. t.*, n. 41; Haunold., *De Legib.*, Tr. 1, n. 109; Schimier; Reiff., IV, 7, 26; Schmalz., *l. c.;* Gury, *l. c.;* De Angel., *Prael. Iur. Can.*, IV, 7, 5, utrumque probabile putat, sed hoc probabilius: scilicet, ait, *omnibus fatentibus, hoc impedimentum est inductum in poenam; atqui poenae ecclesiasticae incurruntur ab iis quoque qui eas ignorant!*

(35) Krimer, *l. c.*, n. 1024. Sane ex his alii negant ignorantiam heic excusare, quia hoc impedimentum poena quidem, sed *pura* est (Haunold., n. 110); alii, contra, quia est *medicinalis* (Spor., *h. t.*, n. 44); quod et Suar. tenet (*De Legib.*, V, 19, 10), qui alias docet, poenas medicinales in eo ab aliis distare, quod ignorantia poenae ab eis eximit (*De Censur.*, 49, 9)! Idem tenent alii; sed quia plus inhabilitatis habet, quam poenae (V. Dian. To. II, Tr. VI, Res. 170, 3). Quod quidem, si verum esset, spernendum non foret.

(36) C. 1, *De Convers. infidel.*

(37) Sanch., VII, 79, 43. Veluti si Caius et Seia adhuc infideles adulterio sese polluerint, et postea, altero vel utroque baptizato, mutuam sibi dederint de matrimonio, post coniugum mortem, ineundo fidem.

(38) Sanch., VII, 79, 42.

(1) C. 26, *De Sponsalib.* Quamobrem si ubi matrimonium valide contrahitur sine parocho et testibus, sponsi civile matrimonium contrahant, et alter ex eis intendat civilem dumtaxat ritum peragere (quod et praesumendum, quia matrimonium graviter illicitum foret), hoc ne intelligi quidem potest.

(2) Sanch., I, V, 6; Pont., II, 16, 7.

(3) Sanch., II, 29, 11. Scilicet, ex defectu legitimae voluntatis; ideoque etsi eam exterius non prodiderit (Sanch., *l. c.*).

§ 412). *Super eadem re ;* nempe super iure coeundi, quo, ultro citroque tradendo, matrimonium contrahitur: quocirca si desit haec mutua traditio, saltem implicita, matrimonium ne intelligi quidem posse verius est (4). Illud non interest, utrum consensus verbis, an signis, an litteris fuerit expressus (5) ; utrum inter praesentes, an inter absentes (6); eodem tempore, an diverso, dummodo quo tempore posterior consentit, alter suum consensum non retractaverit (7).

444. Verum non sufficit consensisse in matrimonium, ut valeat, si forte intervenerint error, aut metus, aut raptus. *Error* dirimit matrimonium si in persona fuerit erratum, quippe substantialis est (Par. II., § 303, n. 32); atque ideo, etsi fuerit resupinus (8), vel concomitans (9). Error accidentalis, idest qui in personam non cadit, non obest (secus ac alias), quia publice interest non dissolvi matrimonia; seu *iuris* error fuerit, veluti si putes matrimonium dissolvi posse (10) : seu *facti,* ut ecce si mulier virum potentem existimet,

(4) D. T., in IV, Dist. 28, q. un., art. 4; Sanch., V, 10, 2. Ut ecce si convenerit debitum non petere (D. Th., *l. c.*, ad 3), aut si mulier sub hac, vel tacita, conditione : *salva virginitate,* consentiat (S. C. C., 8 iul. 1724, ap. Ben. XIV, *De Syn.*, XIII, 22, 10; D. Th., *l. c.*, D. 30, q. 2, art. 1, Sol. 2 at 2; V. Sanch., DD. 10, 13). Quidam, et in primis ex hodiernis, contra putant. Aiunt, aliud est dominium, aliud usus sui corporis; matrimonium, retento dominio sui corporis, contrahi non potest; retento usu potest. – R. Nego prorsus ; quia per matrimonium, non *corpus* alterius acquiritur, quod esset dominium acquirere, sed *ius* eius *utendi.* Et licet dominium acquireretur, conditio esset contra naturam actus (V. Par. II., § 412), quia dominium, cum sit ius *utendi* re sua, ab usu *perpetuo* separari non potest (L. 62, *De Usufr.;* L. 8, *De Usu Legat.*). Et nec renunciatione *abdicari* potest; alias, qui ab invito debitum extorqueret, fornicaretur. Ceterum si uni ex sponsis (cum matrimonium contrahit) propositum sit debitum non reddere, haec intentio non adimplendi (Par. II., § 412, n. 41) matrimonio non obstat (Salm., *h. t.,* VII, 85, 91).

(5) Ex C. 1, *De Spons. duor.;* S. Alph., VI, 887. Utputa annuli traditione, vel acceptatione (Sanch., 1, 22; S. C. C. 22 nov. 1865), et (quoad mulierem) silentio (Pont., 11, 14, 3) ; verum hoc in aestimatione iudicis esse debet.

(6) C. ult., *De Proc.*, in 6° ; Sanch., II, 11. Sed specialissimo mandato opus est, certae personae dato, quae eo per alium defungi non potest (Cit. C. ult.; S. Alph., VI, 885).

(7) Sanch., II, 32, 3.

(8) Sanch., VII, 18 ; Pont., IV, 20; S. Alph., VI, 1010. In persona ; secus si in nomine (C. 26, *De Sponsalib.*).

(9) Sanch., VII, 18, 6; Salm., 9, 10, 6. Veluti si, dum falso putat se ducere Caiam, dicat intra se : *ducerem hanc etsi non esset Caia* (Sanchez., *l. c.;* Schmalz., IV, 1, 444; Prol., § 147, n. 23). Secus si diceret: volo hanc ducere, *licet forte non sit Caia* (Laym., P. IV, Cap. II, 1).

(10) Pius VI, *Ad Archiep. Pragens.,* 11. iul. 1789 ; Ben. XIV, *De Syn.*, XIII, 22, 8.

qui ad tempus impotens est (11). Nec tibi proderit, quod erraveris dolo alterius contrahentis (12), et dolus efficax fuerit (13). Duo tantum casus sunt, in quibus error accidentalis dirimit matrimonium; nempe, quum recidit in personam (14): aut in *conditionem* personae, idest si ignorans aut liber duxerit servam, aut servo libera nupserit (15). At vero si tibi in corde tuo propositum sit, *nolle* te Seio nubere, vel Caiam ducere *nisi* his aut illis qualitatibus praeditus, seu praedita sit, matrimonium (licet propositum huiusmodi alterum penitus lateat) consensu deficiente, ne intelligi quidem poterit (16).

445. *Metus* nunquam non dirimit matrimonium quando alios contractus vitiat (17). Nempe ut in aliis contractibus (V. Par. II,

(11) Ex C. 6, *De Frigid.;* Sanch., VII, 92, 4. Aut si, dum putas te, v. c., cum virgine et sana et nobili matrimonium contrahere, ducas scortum, leprosam, trivio natam (S. Alphons., 1011, 1012).

(12) Ex C. 18, *De Sponsalib.* Quae *verissima* sententia est (Sanch., VII, 18, 18). Scilicet error, quoad accidentia, naturali iure non obest; dolus autem solo iure civili actum vitiat (Par. II., § 305, § 413, n. 50).

(13) S. Alph., VI, 1012. Nam quod quis noluisset contrahere cum viro, aut foemina huiusmodi (puta leproso, meretrice) si scisset, hoc recidit in voluntatem interpretativam, quae, cum nihil sit, nihil praestat (Prol., § 136, n. 25).

(14) Suppl. D. Th., 51, 2 ad 5. Eiusmodi est qualitas, quae personam (ignotam volenti contrahere) determinat, et ab aliis secernit (Sanch., VII, 18, 38). Ut ecce, si putans ducere filiam Seii, vel primogenitam, Caii filiam vel secundogenitam ducat. Verum quaestio haec, uti maxima, ita et difficillima est (Sanch., VII, 18, 25), et DD., dum student eam extricare, intricant magis (Clericat., Dec. XIX, 27). Quam praetereo, quia magis ad forum externum (idest ad matrimonium dissolvendum) pertinet (V. S. Alph., VI, 1014).

(15) CC. 2, 3, 4, *De Coniug. servor.* Dixi: si *liber, ignorans;* nam si aut servus ignorans, aut liber sciens ducat servam, matrimonium valere, alterum verius est, alterum certum (S. Alph., VI, 1918). Impedimentum hoc in scholis *conditio* appellatur: verum non *conditio* (servitus) dirimit matrimonium, nam et servi coeunt nuptias, etiam dominis invitis (C. 1, *Eod.;* Sehmalz., IV, 9, 10), sed *error;* et verius solo iure canonico dirimit, quia error accidentalis est (Sanch., VII, 19, 16; Salmant., 10, 10, 25).

(16) Sanch., V, 19, 2, 3; S. Alph., VI. 986. Quid si non id intendas (quia hoc non cogitas) sed animo ita comparatus sis, ut nolis his qualitatibus deficientibus matrimonium contrahere; v. c., si nolis nullam, nisi virginem, ducere? Et si aliquando id tecum ipso constitueras *prior haec voluntas* praevalet (V. Prol., § 147, n. 27, etc.), atque ideo matrimonium non valet (Sanch., IX, 10, 11); sin minus, voluntas haec magis *interpretativa* est quae, ut dixi, nihil praestat (Sanch., VII, 17, 18. Contr. Pont.).

(17) Sanch., VI, 6, 2; Laym., P. II, C. V, n. 1; Lugo, *De Iustit.,* XXII, 177; Pirhin., IV, 1, 106. *Dirimit,* atque ideo ipso iure, quia semel initum rescindi non potest. Sed utrum naturali iure (Pont., IV, 14, 4), an canonico (Sanch., IV, 14, 2), nondum satis exploratum est.

§ 304), si 1° incussus fuerit ad matrimonium extorquendum (18); et 2° fuerit iniustus, quoad substantiam inquam (19); et 3° gravis, seu absolute, seu relative (20); licet tantum reverentialis (Prol., § 138, n. 16) fuerit (21). Nihilominus si quis, videns consummationem matrimonii vitari non posse, malit contrahere matrimonium, quam Deum offendere, matrimonium valere (22) mihi verior sententia est (23).

446. Denique matrimonium dirimit *raptus* (24). Raptus est: *ab-*

(18) CC. 15, 28, *De Sponsal.;* C. 2, *De eo qui dux.;* Croix, III, II, 639; VI, III, 632.

(19) C. 10, *Eod.;* Pont., IV, 19, 7; Lugo, *De Iustit.*, XXII, 175. Ut ecce si quis cogatur eam ducere, quam vi defloravit: quia *optio* eius est, utrum malit, ducere, an dotare (Sanch., IV, 13, 7; Pont., n. 15). Si iustus est metus, qui patitur, ipse sibi metum infert (L. 21, pr., *Quod met. cau.*); ut ecce si cogatur eam ducere, vel dotare (V. Salm., 9, 9, 50, etc.). Quod ex rei veritate aestimari oportet. Itaque si exactis et probatis falso appareat, Caiam a Sempronio superatam fuisse, vel contra non superatam Lucretiam a Seio; et uterque compulsus fuerit eas dotare, aut ducere, illius nuptiae irritae sunt, huius ratae (Pont., VI, 19, 11; Croix, VI, III, 664; S. Alph., VI, 1052). Quid igitur si metus fuerit iniustus quoad modum tantum? Quod fit cum quis, id quod iure exigere potest, non per iudicem repetit (L. 12, in fin.). Porro metus non fit, nisi minis adhibitis: itaque si is malum iustum timuit, v. c., se in carcerem detrudendum non servato iuris ordine, matrimonium valet (V. Lugo, a n. 157; quamvis contra sentire videatur Sanch., IV, 8, 9), quia magis legi fit iniuria; sin iniustum, puta si timuit occidi, quaestio salebrosa est: quidam ex Nostris valere negant, quippe, aiunt, metus iniuste incussus iniuriam continet, iniuria vero contractum irritat (Less., II, 17, 43; Croix, III, II, 634). Sed nonne is ipse sibi metum facit? Dotet, si malit, et metus cessabit. Quid igitur si iudex laicus, eum qui mulierem defloravit vi, aut spe (non promissione) matrimonii (V. S. Alphons., VI, 1649), detrudat in carcerem, non ante quam eam duxerit dimittendus, ut in foederatis Americae Septemtrionalis provinciis, an, si hoc metu inductus eam ducit, matrimonium irritum sit? Videtur enim metus iniustus, et quoad modum, quia laicus cogit; et quoad substantiam, quia, adempta *optione*, ducere cogit. Non puto: nam nec iniustitia quoad modum subest (si forte obesset), quia et Reipub. interest coerceri huiusmodi crimina (V. Pont., IV, 19 2; S. Alph., III, 641); nec quoad substantiam, quia optio ex consuetudine profluit (Barb., in C. *Si se duxerit, De Adulter.*, n. 7; Pirhin., V, 16, 41; Engel, V, 16, 10), cuius, ubi non obtinet, nulla vis est. Sane olim sponsalium proditores cogebantur, vel adhibita excommunicatione ad nuptias coeundas.

(20) CC. 18, 28, *De Sponsal.*

(21) Cf. Sanch., IV, Disp. VI.

(22) Sanch., n. 20; Schmalz., IV, 1, 396. Et metum passus revera consenserit (Sanch., IV, 12, 18; Pirhin., IV, 1, 100).

(23) Spor., n. 23. Alias huic necessario aut peccandum foret, aut matrimonio abstinendum, nec posset quod minus malum sibi videtur eligere.

(24) Trid., XXIV, *R. M.*, 6 Loquimur hoc loco de raptu, non qua crimen est ex iure seu civili (L. un., C. *De Rapt. Virg.*), seu canonico (CC. 6, 7, *De Raptor.*); sed qua est impedimentum matrimonii a Conc. Trid. introductum: ideoque verius ubi Tridenti-

ductio violenta mulieris, matrimonii cum ea contrahendi causa (25). Uti igitur sit raptus, necesse est 1° ut mulier abducta fuerit; 2° ut invita; 3° ut matrimonii cum raptore contrahendi causa. Raptus igitur ex 1° in viro non intelligitur (26): in muliere autem rapta non ispicitur, quaenam illa sit, virgo ne, an vidua, an scortum (27), an sponsa (28). Nec ex 2° nisi mulier abducta fuerit vi illata, aut metu incusso (29); itaque si ipsa abductioni consensit, raptus cessat; licet invitis his, sub quorum potestate est, fuerit abducta (30): et contra suberit raptus si, his consentientibus, abducta fuerit invita (31). Nec demum ex 3° si invitam quidem raptor abstulit, sed vel ut ipse ea frueretur, vel ut rapta nuberet alii (32). Abductam vero accipere debemus si transducta fuerit de loco in locum (33): non item, ut puto, si quo sponte accesserat detineatur invita, quia versamur in odiosis (34). Itaque raptus vi sua dirimit matrimonium inter raptorem et raptam, quamdiu haec in potestate raptoris manserit; etsi postea ultro ac libentissime matrimonium ineat (35).

num viget (Croix, VI, III, 633, ibique Diana, aliique; Pont., VII, Cap. ult., n. 6; V. De Iustis, II, 18, 95).

(25) Salm., 9, 13, 146.

(26) Sanch., VII, 13, 6; Pont., VII, 69, 6.

(27) Sanch., VII, 13, 14; De Iust., II, 18, 40.

(28) Sanch., n. 15; S. Alph., VI, 1108; Pirhin., V, 17, 28. Lex non distinguit. Alii putant, raptum in *sponsam* non cadere quia sponsa cogi potest ad nuptias coeundas: et probabile est, Salm., 9, 12, 153; nisi forte iustam recedendi a sponsalibus causam habeat (Engel, V, 16, 37; Schmalz., V. 17, 40; Konig., VI, 7, 31).

(29) C. 6, *De Rapt.;* Salm., 9,12, 146. Proinde si mulier dolo, aut blanditiis fuerit abducta, matrimonium non dirimitur (Sanch., VIII, 13, 12; De Luca, ad Trid., Disc. 28); nisi appareat manifeste, consensum in eo ineundo defuisse (S. C. C., 24 april. 1868, 25 iun. et 27 aug. 1864. *Acta,* 1, 23; De Angel., *Prael. Iur. Can.,* IV, 1, 20).

(30) Pont., VII, 69, 1; S. Alph., VI. 1107.

(31) Sanch., n. 13; De Iust., II, 18, 55.

(32) Sanch., nn. 4, 6; S. Alphons., 1107. Quocirca si Titius *suo marte* rapuit Caiam, ut Seio nuberet, neuter prohibebitur (licet in potestate ipsorum sit) eam ducere; non Seius, quia non rapuit; non Titius, quia non rapuit matrimonii cum ea contrahendi causa (Sanch., VII, 13, 6; Schmalz., V, 17, 20). Sin rapuit ex Seii *mandato*, raptor *is* intelligitur (ex L. 5, pr., *Ne quis eum qui in ius;* De Iust., II, 18, 45).

(33) Sanch., n. 7; De Iust., n. 6, Ut ecce de domo in domum (non de cubiculo in cubiculum); quamvis raptor ad locum destinatum eam perducere nequiverit (Sanch., n. 10; De Iust., n. 6, ibiq. Navarr., Bon., etc.).

(34) Aliud putant *Acta,* etc., I, 23, ex S. C. C., 25 iun. 1864; et Scav., § 807, d. 1: sed in ea specie dolus puellam deducentium non defuit.

(35) Trid., XXIV, C. 6; Pont., VII, 69, 6; De Iust., n. 95, Tametsi diu manserit, et susceperit liberos (S. C. C., 25 iun. 1864. *Acta,* I, 61). *Vi sua;* et non praesumptione aliqua iuris et de iure; alias, ea postea consentien-

447. Et haec sunt impedimenta quae matrimonium vel impediunt, vel dirimunt: nempe si ea certo subesse constet. Quid si dubia sint? dicam de solis dirimentibus. Et si *iuris* dubium vertat, quia legis dubiae nulla vis est, convenit matrimonium contrahi posse et licite, et valide (36). Sin *facti*, non convenit: sententia communior negat, quia, cum falsa nostra existimatio rei veritatem non mutet, neque contractum inire licet propter periculum fornicationum, etsi materialium tantum; neque sacramentum exponere periculo nullitatis (37)! Sententia minus communis affirmat, quia possidet ius matrimonium contrahere volentium; dummodo altera pars de huiusmodi dubio certior fiat (38). Dicam plane quod sentio. Quaestio haec in his tantum impedimentis refert, quae divini iuris sunt (in aliis enim Episcopus dispensare potest et debet, de quo serius); idest in impedimentis, 1° ligaminis, 2° cognationis in primo gradu (§ 362. nn. 14, 15), et 3° impotentiae. In *primo*, idest in dubio de *ligaminis* impedimento, prior sententia verissima est, quia prius matrimonium possidet; sive dubium sit utrum valide contractum fuerit, donec iure diremptum sit (39); sive utrum solutum fuerit morte alterius coniugis, quamdiu de hac non con-

te, in foro conscientiae matrimonium valeret (Prol., § 208, n. 64). *Etsi postea*, etc. (Contra L. 7, C. *De Raptor.*). Sed si loco tuto, extra potestatem raptoris, reddita fuerit, ei valide nubit (De Iust., II, 18, 84; Excit. C. 6). De poenis quas ipso facto incurrunt raptores, quique matrimoniorum libertatem impediunt quoquo modo (V. Prol., § 397, n. 2).

(36) Pont., VIII, XIII, 1; Bonac., *De Legib.*, Disp. I, Quae. II, P. I, n. 18; Croix, VI, III, 42, 527, 528; S. Alph., VI, 901, 1109. Et nedum *ubi sententiae utrinque probabiles intercedunt*, quod definiti iuris est (Prol., § 263, n. 5); sed etsi opinio quae stat pro impedimento sit probabilior, dummodo contraria sit vere probabilis (Sanch., VIII, 6, 18; Less.; De Iust., II, 40, 113; Sperell., Decis. 114, n. 57; Bonac.; Pal.; De Iust., I, VI, 18; Prol., § 263, n. 8). Porro dubium iuris est, quoties factum apparet ex quo impedimentum oriri potest (v. c., adoptio, munus patrini quo quis defunctus est nomine procuratorio, vel in baptismo privato), illud quidem apparet, sed utrum ex eo oriatur impedimentum, v. c., cognatio legalis, spiritualis, inter TT. non satis convenit.

(37) Croix, VI, III, 578. Quod alii solum in dubio positivo locum habere putant; alii etiam in mero negativo, queis accedit S. Alph. (VI, 902). – Porro dubium facti est, cum de eo facto ex quo certum est oriri impedimentum, non satis constat; ut cognatio, vel publica honestas.

(38) Bonac., Tambur., et alii, ap. Croix, VI, 1, 118. Et probabile est Gobat (Tr. VII, 118). Idem tenere videtur Carden. (*Cris. Theol.*, a n. 525), et Sanch. (VIII, 6, 18), qui id docet sine ulla, inter dubium facti et dubium iuris, distinctione.

(39) Bened. XIV, Const. *Dei Miseratione*.

stet saltem probabilissime (40). In *secundo*, nihil, inconsulta S. Sede, decernendum est (41). In *tertio*, secunda sententia mihi verior est (Prol., § 262, n. 36 in fine), quam et S. Alphonsus sequitur (42).

CAPUT II.

De his quae matrimonio accidentalia sunt.

448. Matrimonio accedere possunt conditiones, modus, causa. De conditionibus primum. Hae vel sunt 1° contra substantiam matrimonii; vel 2° solum impossibiles aut turpes; vel 3° possibiles et honestae. Prioris generis sunt quae bonis matrimonii, idest prolis, fidei, sacramenti adversantur (1). *Prolis*, seu generandae, seu conservandae (2); v. c. – *si prolis generationem evites* (3) – *si soboles futura enecetur* (4). *Fidei*, nempe coniugalis, non servandae; ut puta, *si pro quaestu adulterandam te tradas* (5). *Sacramenti;* cuiusmodi sunt omnes conditiones resolutivae (Prol., § 41, n. 29), ut ecce *donec aliam ditiorem invenero* (6): hae matrimonium *vitiant* (7). Contra impossibiles ac turpes *vitiantur*, idest pro non scriptis habentur (8) ni serio fuerint adiectae, quia eis deficien-

(40) C. 2, *De Secund. Nupt.;* C. 44, *De S. E.*

(41) S. Alph., VI, 902.

(42) S. Alph., n. 1102. Et publice perniciosum est in re dubia homines matrimonio prohibere.

(1) Sanch., V, 9, 2; Pont., III, 9, 5.

(2) Suppl. D. Th., 49, 2, ad 1; V. Bened. XIV, *De Synodo*, XIII, 22, 10.

(3) C. 7, *De Cond. apposit.* Vel: *si sumpseris venena sterilitatis* (Sanch., n. 6). Huc recidit conditio *non consummandi*, quod Pitton. (*Discept.*, To. III, Disc. 58) expresse a S. C. C. definitum refert.

(4) Sanch., V, 9, 12; Pont., cit. n. 5. Non item si convenerit orphanotrophiis exponere (Sanch., n. 13).

(5) C. 7, *De Cond. apposit.*

(6) Cit. C. 7; C. 6, Cau. 32, 2 (S. August.); vel, *donec in tua honestate permanseris* (Ben. XIV, *De Syn.*, 22, 5).

(7) C. ult., *De Condit. apposit.* Ceterum conditiones huiusmodi magis contra obligationes quae ex matrimonio nascuntur, quam contra substantiam matrimonii esse videntur, praeter ultimam. Ideo si citra pactum alter, vel uterque secum ipso statuat, v. c., prolis generationem evitare, moechari, divertere, perinde haberi debet ac is, qui non habet animum adimplendi quod promittit (Par. II., § 12); nisi forte non aliter contrahere velit, quam si dein sibi liberum sit moechari, divertere, etc. Et, ut generaliter dixerim, si conditio resolutiva nominatim fuerit apposita, matrimonium irritum est ipso iure: si reticita fuerit, validum habetur quamdiu non apparet manifeste tacite ab uno vel ab utroque appositam revera fuisse; et si falso putaverint matrimonium dissolvi posse, nihil oberit (V. Ben. XIV, *l. c.*, n. 8; et Prol., § 147, n. 26, etc.).

(8) CC. 1, 7, *De Cond. apposit.;* V. Par. II., § 307, n. 4.

tibus corruit consensus; hic autem nulla iuris potestate suppleri heic potest (9). Possibiles et honestae utiliter adiiciuntur (10). Quocirca si conditio est de praeterito vel de praesenti, matrimonium statim aut constat, aut nullius momenti est (11); sin est de futuro, ea pendente, matrimonium non intelligitur: impleta, ubi Trident. non viget, ipso iure statim valet, ceteris paribus (12), ideoque sine novo consensu (13). Verum quamdiu ignoratur utrum extet, vel

(9) Sanch., V, 3, 16; Pirh., IV, 5, 18; Pont., III, 4, 9; Reiff., IV, 5, 44; S. Alph., VI, 891. Itaque si Titius vere et ex animo contraxerit cum Seia sub hac conditione, *si uxori fratris tui dederis venena sterilitatis*, conditio matrimonium vitiat. Porro serio adiectas conditiones semper fuisse tenendum est, si contrahentes eas vel licitas vel possibiles existimaverint. Quamobrem si ita contraxerint, *si pater meus consenserit*, et iam diem suum pater obierit, siquidem id ignorabant, serio; sin sciebant, ioco id adiectum praesumitur. Quis enim feret, serio et ex animo egisse sponsum, qui, sciens conditionem prorsus impossibilem esse, nihilominus sponsam deduxit; aut sponsam quae deduci se passa est? (Ex L. 3, *De A. et O.*). Hinc patet quid dicendum sit de ea conditione: *contrabo tecum, si te virginem invenero*. Nam si intelligit, *rem habendo*, matrimonium vitiat; sin alias, honeste, hoc statim aut valet, aut non valet (Cf. Sanch., 307, IV, 16, 7).

(10) V. Par. II., § 316. Illae autem conditiones, quibus aliquid dandum post matrimonium (v. c., dotem), vel faciendum (v. c., sponsos hieme in urbe, aestate ruri mansuros) promittitur, magis pacti vim habent: neque enim putandum est, quasi conditiones resolutivas adiectas fuisse, cum sponsi non ignorarent, aut scire debuissent, hoc et a iure, et a bonis moribus alienum esse.

(11) Schmalz., IV. 5, 22. Etsi sponsi id ignorent (L. 37, *De Reb. cred.*).

(12) V. Par. II., § 309. – *Ceteris*, etc. Proinde si interim unus ex sponsis voluntatem suam revocaverit (Sanch., V, 8, 8), vel cum sponso affinitatem contraxerit, matrimonium perfici omnino non poterit. Sed primum Lugoni *difficillimum* est, exemplo voti (§ 201, pr.); quia *nemo potest mutare consilium suum in alterius* iniuriam. Sed mutavit, et mutatio res *facti* est: in voto eam supplet lex, in sponsalibus et matrimonio eam supplere, ut diximus, omnino non potest.

(13) Sanch., V, 8, 5; Laym., Par. II, VII, 2; V. Reiff., IV, 5, 16; Fagn., in C. *Super eo*, n. 4, *De Cond. app.* – Licet impletam fuisse lateat sponsos (V. Prol., § 41, n. 30), et testes, et parochum (Sanch., V, 8, 24; Navarr.; Schmalz., VI, 4, 44, ibiq. Fagn., qui in cit. C. *Super eo* id firmat duobus S. C. C. Decretis a S. Pio V et Clem. VIII approbatis). *Ubi* etc., nam ubi viget, etsi communior sententia teneat idem iuris esse, quidam contra putant, et consensum renovandum esse coram parocho et testibus (Suar.; Soto; Pont., III, 14, 15); et probabile est S. Alph. (VI, 895); nempe quia sacramentum est matrimonium (§ 250; n. 10). Haec ratio non urget, quia sacramentum est aliquid accessorium; ratio mihi est, quia in praesens matrimon. revera haud contrahitur (Proleg., § 41, n. 29; Par. II., § 307, n. 7); et ubi Trident. viget, coram parocho et testibus contrahendum est. Utcunque grave est has conditiones adiicere, nisi ex urgentissima causa; tum propter reverentiam sacramenti et sacrorum rituum; tum quia plerumque non levia pariunt incommoda (S. Alphons., VI, 892). Et parocho semper grave est eas admittere, si res moram patiatur, inconsulto Ordinario (Gob., Tr. IX, 138; Reiff., IV, 5, 22).

exititerit, nefas est consummare matrimonium, nisi sponsi a conditione recedant. Quod si interim commisceant, hodie non amplius praesumuntur a conditione recedere, et pure contrahere, etiam ubi Trident. non viget (14).

449. De modo (V. Par. II., § 310) expedita res est: huic enim voluntas non est alligata, in quo distat a conditione: ideo ex modo matrimonium non pendet neque *in fieri* (secus ac in conditione suspensiva), neque in *facto esse* (secus ac in conditione resolutiva). Quamobrem si eum, qui modum adiecit, postea aut sua opinio, aut fides alterius fefellerit, matrimonio non oberit; sive licitus fuerit, sive illicitus (15). Quid si repugnet bonis matrimonii; v. c., duco te *ut pro quaestu adulterandam te tradas?* Quidam putant matrimonium vitiari, quippe alter obligatur ad aliquid quod matrimonio repugnat (16): alii contra putant, quia modus *per se* in praesens nihil suspendit (Par. II, § 310, n. 29); et modus *huiusmodi* in futurum non obligat (17). Hoc mihi verius, et post initum matrimonium omnino tenendum (18).

450. Quoad diem, si matrimonium *in diem* (Par. II., § 320, n. 4) initum fuit, nihil erit actum, et planum est. Sin *ex die,* v. c., *duco te post ferias,* verba pugnantia sunt, ideoque, ex rigore verborum, neque matrimonium neque sponsalia intelliguntur (19): itaque si his verbis usus fueris sciens volens, reor nihil actum esse; sin ut vulgo usurpari solent, sponsalia sunt (20).

CAPUT III.

De matrimoniorum Solemniis.

451. Solemnia matrimoniorum, *propria significatione*, sunt, quae ad matrimonium, qua est contractus naturalis, valide; *lata*, quae ad illud, qua est sacramentum, sancte ineundum pertinent. In haec autem incumbere parochos, et Ordinarios cum primis oportet: verum quoad parochos, quaedam iurisdictionis, quaedam officii eis

(14) Decret. SS. D. N. Leonis XIII, 15 febr. 1892.

(15) Sanch., V, 19, 2; S. Alph., VI, 896. V. c., ut in furtis perpetrandis sibi operam praestet (Sot.; Pal.: Reiff.. VI, V, 61, 64; Schmalz., IV, V, 136, 143).

(16) Sanch., V, 19, 5; Salm., 9, 77; S. Alph., VI, 896.

(17) Pal., Ledesma. Pirhin., Reiff., et Schmalz., *ll. cc.*

(18) V. Schambo., IV, 5, 114; Schmalz., 116.

(19) Ex L. *Ubi duo*, 149, *De R. I.*

(20) Salm. (9, 7, 3), aliique putant heic matrimonium contrahi sub conditione suspensiva, quod et S. Alphons. (VI, 896) probare videtur. Sed hoc mihi quam difficillimum est: nulla heic subest *circumstantia* actui adiecta; unde igitur conditio? (Prol., § 41).

sunt (1). Iurisdictionis quae ad sacramentum, atque ideo ad forum internum pertinent; officii quae pertinent ad contractum, atque ideo ad forum externum. Hoc autem officium parochorum est: si noverint aliquod impedimentum subesse, siquidem certum, sponsos ad eum remittere qui dispensandi potestatem habet; sin dubium, id Ordinario renunciare. Ordinarii autem munus est de eo dispicere et decernere quod iustum putaverit. Quibus praemissis, de his quae ad contractum et de his quae ad sacramentum pertinent seorsum agendum est.

ART. I. *De Solemniis quae pertinent ad contractum matrimonii.*

452. Ante omnia admonendi sumus, ob *individuitatem* contractus, utrumque sponsum quasi unam personam reputari (2): ideoque si alter ex eis exemptus sit ab huiusmodi solemnitatibus, alteri exemptionem communicat (3): age modo; solemnia huiusmodi vel antecedunt matrimonium vel comitantur.

453. Quae antecedunt duo sunt: denunciationes, et documentum status, uti aiunt, liberi. Denunciationes (4). Hae ter fieri debent; nempe, I a proprio, vel a propriis contrahentium parochis (5); II in ecclesia inter Missarum solemnia; III. tribus diebus festis continuis (6); nisi Episcopus dispensaverit (7). Omnes

(1) V. Lugo, *De Sacram.*, Disput. VIII, Sect. XIII a n. 204.

(2) De Iust., II, 19, 51; Sanch., III, 19, 4; Schmalz., IV, 3, 164; Bened. XIV, *De Synodo*, VI, 6, 12. Sed haec cum mica salis accipienda sunt, non enim ad quaelibet solemnia pertinent (V. Prol., § 213), si quid opinor, sed ad ea dumtaxat quae *formam* attingunt.

(3) Ex C. 1, *De Sponsalib.*; Bened. XIV, *De Syn.*, VI, VI, 12.

(4) C. 3, *De Cland. Desponsat.*

(5) Trid. XXIV, *R. M.*, 1; Rit. Rom., § 8. Quid si sponsi vel unus eorum pluribus in locis versati fuerint? Tres heic sententiae circumferuntur; Sanci (III, 6, 6), qui illas fieri vult ubi sponsi diutius commorati fuerint; Ponti (V, 30, 5), qui ubi in praesens morantur; et Schmalz. (IV, 3, 17), ac Reiff. (IV, 2, 13), qui, si sponsi huc *iamdiu* devenerint, Sancio; sin *haud ita pridem*, Pontio assentiuntur. Recentiores existimant, si ubi nunc sunt a semestri devenerint, ibi, sin a mense, eo loci unde discesserunt faciendas esse. Sed in eo unde *a pluribus annis* discesserunt, ex stylo A. Datariae omittuntur.

(6) Trid., *l. c.*; S. C. C., 7 april. 1862. Licet forte immediatis, v. c., Dominica, Fer. 2ª et 3ª (Salm., 9, 8, 75). Discontinuis eas facere, dum ne multis intercalatis, leve est (S. Alphons., VI, 992). Eo spectant ut, si quod subest impedimentum, illud a scientibus revelari possit: ideo, ex iusta causa, aliter quoque fieri possunt ubi populus religionis causa frequens adest; v. c., horis vespertinis, ad ianuas ecclesiae, vel (occasione processionis) in foro, diebus feriatis (S. Alph., 991, 992). Porro si matrimonium non contrahitur in bimestri proximo, denuo faciendae sunt, nisi aliud Episcopo videatur (Rit. Rom. n. 18).

(7) Trid., *l. c.* Et si sponsi sint diversae dioecesis, poterit alterutrius

praetermittere, grave est parocho et sponsis, nisi ex urgentissima causa, et quae non sinit Ordinarium adire (8). Deinde sponsi docere debent se statu liberos esse; idest, nullo neque alio matrimonio, neque alio impedimento, *ex quo non possit contrahi matrimonium*, prohiberi (9). Hoc autem uterque docere debet iurato duorum testimonio (10), in ea *Curia Episcopali* ex cuius diocesi ipsis origo est: et in ea in qua (diversa forte) domicilio fovent (11); licet ab illo in hanc a decennio et amplius discesserint (12), nisi forte discesserint adhuc impuberes (13).

454. Itaque *parochi* cum primis officium est, *investigare utrum aliquod impedimentum obsistat* (14); illudque Episcopo renunciare, datis testibus, documentis, indiciis, non enim fas est ipsi de eo iudicare quia negocium est quod ad forum externum pertinet (15).

Ordinarius (§ 452) cum ambobus dispensare (Sanch., III, 7, 7; Bosius, VII, 39; Barbo., *De Off. Par.*, 32, 35; De Iust., II, 19, 151; V. S. Alphons., 1007), quod ego propter S. Doctoris auctoritatem improbare non ausim. Sed non expedit, propter impedimenta quae alienum dumtaxat tenere possunt, nisi ex gravi causa (V. Pont., V. 31, 9). Ceterum Ordinariis non permittitur dispensare pro lubitu, sed ab una ex iusta, a duobus ex gravi, ab omnibus ex urgentissima causa (S. Alph., *l. c.*, d. 2): ut ecce si matrimonium publice fieri sine infamia, aut differri sine graviori periculo non possit: puta in articulo mortis, vel si metuendum sit ne malitiose impediatur, vel ne sponsus (mox discessurus), mutata serius voluntate, deserat sponsam. Et si Ordinarius dispensari noluerit, impune in eo urgentissimo casu praetermittuntur (Pont., V., 32, 10; S. Alph., 1007).

(8) Ex C. 3, § ult., *De Cland. Desponsat.*; Sanch., III, 5, 6; Pont., V, 30, 3; Schmalz., IV, 3, 6; De Iust., II, 19, 144. Matrimonia celebrata, neglectis dispensationibus, *clandestina*, lata significatione, dici solent.

(9) S. U. I., 21 aug. 1670; Laym., IV, 11.

(10) Cit. S. U. I. Testes vero adhiberi possunt foeminae quoque; et cives exteris, extraneis consanguineos, et ex his proximiores (velut parentes contrahere volentium) praeferre expedit (S. U. I., 24 februar. 1847 ad 2 et 5).

(11) S. U. I., 21 aug. 1670, v. *Septimo*.

(12) S. U. I., 24 febr. 1847, ad 6. Et licet in ea, in qua nunc domicilium fovent, priores coniuges (si vidui sint) mortem obierint, et ipsi nunquam, ab eorum morte, inde discesserint (S. U. I., ap. Corr. et De Iust., *ll. cc.*).

(13) S. U. I., ap. Corr. et De Iust., *ll. cc.* Et si in trimestri proximo matrimonium non contrahatur, novo testimonio opus erit, nisi aliud Episcopo videatur (S. U. I., 1847, ad 4). Et si testes, vel unus testis desit, adeunda erit S. U. I., ut sponsis, seu sponso, iuramentum de statu libero deferri sinat.

Porro hodie non licet parochis interesse matrimoniis iniussu Ordinarii, si alter ex sponsis sit alienae diocesis, immo nec ea publicare (S. U. I., Instr. 1670). Ceterum haec omnia cessant urgente mortis periculo (S. U. I., ap. Corrad., et De Iust. II, 19, 24).

(14) C. 3, *De Cland. Desp.*

(15) C. ult., *Eod.* Et interim a denunciationibus abstinere (Pont., V, 36, 1).

Nec refert unde ipse (dum ne *ex confessione*) sciverit (16); nec utrum illud dirimens sit, an impediens (17), certum an dubium (18); dummodo illud, vel eius famam, acceperit a personis fide dignis (19). Quid si renuncietur sibi quando iam parata sunt omnia? Et si impedimentum sit occultum et urgentissima necessitas id postulat – nec Episcopus adiri, nec matrimonium differri possit sine gravi impedimenti suspicione – cum omnis potestas data sit in aedificationem, et non in destructionem, impedimentum cessat (20).

(16) V. Sanch., III, 16, 14. Quod si illud ex ipsius sponsi ignorantis confessione didicerit, et timeat admonitionem non profuturam, et matrimonium sine gravi scandalo impediri non possit, eum in sua bona fide relinquere satius est (Bonac.; Sanchez, II, 38, 6; De Iust., I, 6, 441).

(17) V. Sanch., III, 15, 5.

(18) Sanch., 8; Pont., 3; De Iust., 409.

(19) Sanch., III, 13, 7. Quid si impedimentum famosum sit et occultum, et S. Sedes iam ab eo dispensaverit in foro interno? Et profecto in hoc foro credendum erit sponsis, vel confessario, immo et cuicumque viro timorato, id asserenti (Filiucc.; De Iust., III, I, 38). Itaque si parochus resciverit illud citra omnem denunciationem, dissimulet et ad matrimonium procedat; sin ex denunciatione rescivit, res iam fori externi esse coepit, ideo tenetur rem ad Ordinarium deferre. Qui procedere debet perinde ac si nulla dispensatio intercesserit (Sanch., III, 15, 15).

(20) Ex C. 2, *De Desp. impub.;* Sanch., II, 40, 7. Ut ecce si matrimonium differre non possit sine scandalo vel infamia, vel quo alio gravissimo damno (S. Alphons., Lib. I, App. II, 57; VI, 613, 1122; V. Ben. XIV, *De Syn.*, IX, 2, 2). Nihilominus, post celebratum matrimonium petenda erit dispensatio ad cautelam (S. Alph., VI, 613 in fin.). Dixi parochi *cum primis;* scilicet quisquis novit aliquod *impedimentum* subesse tenetur sub gravi illud parocho denunciare: 1° sive dirimens illud sit, sive impediens, famosum quoque (Sanch., III, 13, 2; De Iust., 11, 19, 235), sive publicum, sive privatum; distinctio cerebrina a nonnullis nuper invecta ad obligationem denunciationis restringendam, ait Feije (II, 85; V. S. Alph., VI, 994, 995). Et, 2° quamvis dubium sit, vel resciverit ab aliis nempe fide dignis (S. Alph., 994): ideoque non tenetur si non meminit a quo resciverit (Pont., V, 34, 1; De Iust., II, 19, 212), vel resciverit a persona nihil certi sciente (Sanch., n. 7). Et, 3° licet probari non possit (S. Alphons., 995); immo etsi ipse illud acceperit sub secreto commisso (Sanchez, III, 13, 5; De Iust., 211; S. Alphons., 994; III, 971). Porro Nostri communiter docent, ante denunciationem sponsos prius admonendos esse ut a matrimonio desistant. Quod plerumque inconsultum puto: nam si frustra admoniti subinde matrimonio prohibentur, inimicitiae exardescent, quae hac in re periculosissimae esse solent. Unus casus est, in quo cessat denunciationis obligatio; nempe si scias sponsos obtinuisse dispensationem in foro conscientiae; nisi forte metuendum sit, ne impedimentum aliquando innotescat (Pont., n. 7; De Iust., 234). Alterum addit cl. Lehmk. (§ 677), si agatur de fide sponsalium fallenda; quod si alter sponsus sciat, mihi verissimum est; sin minus, vix est probabile; quia nemo regulariter tenetur, et plerumque periculosum est impedire alterius iniuriam.

455. Denique Ordinarii munus est iudicare, nempe ex actis et probatis (21), an revera impedimentum extet. Porro lex aleae plena est irritas coire nuptias: ideo ius canonicum recipit ad plenam probationem etiam unicum testem, aut famam. *Unicum testem* (22): nempe si sit fide dignus (23), nec vilis persona (24), quamvis alioquin non sit omni exceptione maior (25). Sed necesse est, ut deponat de impedimento (26), iuratus (27), et ex propria scientia: exceptis cognationum impedimentis; in his enim testem quoque de audito ius recipit (28). *Famam*, nempe eius loci (29); dummodo haec non infirmetur iuramento (non tamen sponte oblato) consanguineorum (30) vel contrahentium (31). Et si impedimentum famosum sit, potest Ordinarius ipse quoque sponsos clam interrogare, et hi ei respondere debent (32); nisi forte dispensationem in foro interno iam impetraverint (33). Hactenus de solemniis quae matrimonium praeire, transeamus ad ea quae illud comitari debent.

(21) Sanch., III, 1511; De Iust., II, 19, 226. Quid si impedimentum sit dubium? Et in dubio iuris, iam fere nemo dubitat nuptias licite coiri posse; sin facti, disputatur: S. Alphons. negantes sequitur (VI, 902, q. III); nempe quia matrimonium est sacramentum (§ 250, n. 10). Mihi displicet haec sententia quia libertas possidet; nisi dubitetur de morte prioris coniugis, quia possidet primum matrimonium (V. § 447).

(22) C. 12, *De Sponsalib.;* S. Alphons., VI, 998. Et consanguinei praeferuntur (Ex C. 22, *De Test.;* Glos. *ib.*, v. *Cum mater*).

(23) C. 27, *De Sponsal.;* De Iust., II, 19, 213. Etsi suam turpitudinem (V. Prol., § 49, n. 25) alleget (Ex C. 12, *De Sponsal.*); velut si soror sponsae cum sponso rem se habuisse affirmet.

(24) Sanch., I, 71, 12. Dummodo tale non sit impedimentum, quod nonnisi per huiusmodi personas probari possit (S. Alph., VI, 997, IV).

(25) Ex cit. C. 12; S. Alph., VI, 996.

(26) Sanch., I, 71, 9; S. Alph,, VI, 997.

(27) Sanch,, *l. c.;* De Iust., I, 6, 415.

(28) Sanch., *l. c.;* S. Alph., VI, 997, III. Dummodo iuret se id a maioribus audiisse, saltem duobus (De Iust., II, 19, 216).

(29) C. 2, *De Consang.* Et non rumor (Prol., § 242, n. 50) tantum (Sanchez, n. 18; De Iust., I, 6, 424).

(30) C. 27, *De Sponsal.*

(31) Sanch., I, 71, 17; S. Alph., VI, 999.

(32) Ex C. 10, *De Renunc.;* C. 55, Dist. 50; Pont., V, 33, 6.

(33) Sanch., III, 14, 4; Pont., *l. c.* Dummodo impedimentum non coeperit innotescere (Schmalz., IV, 3, 60), quia ex hoc incipit ad forum externum pertinere.

Quid si impedimentum soli parocho, vel soli Ordinario notum sit? Et *ille* tenetur proculdubio huic denunciare; *is* utrum debeat matrimonium permittere, quia iudex fori exterioris necesse habet iudicare ex actis et probatis (Sanch., III, 15, 11; Pont., V, 35, 5); an non possit, quia agitur de peccato vitando? (Salm., 9, 8, 104; Croix, VI, III, 483, ibique Conin., Aversa). Mihi, si impedimentum famosum sit, et dispensatio a S. Poenit. facile impetrari nequeat, prior: secus posterior sententia magis arridet. Aliud iuris est in matrimo-

456. Nusquam et nunquam, regulariter, fas est matrimonium contrahere sine sacerdote, et est grave (34). Ad haec (ex Cap. I, *De Ref. Matr.*, Sess. XXIV, Sacros. Conc. Trident.), contrahendum est coram parocho et testibus, alias irritum est ipso iure (35). Sed non viget ubique, et alicubi solos catholicos, non haereticos obligat (36); singula percurramus.

457. Ubi viget, *parochum* accipere debemus *proprium*, cui nempe quis in praesens subiectus est (Vide Prol., § 86, n. 33); idest, domicilii, vel quasi domicilii (37) seu sponsi, seu sponsae (38); et

niis *conscientiae*, quae vocant. Matrimonium conscientiae, sive occultum, dicitur quod clam contrahitur coram parocho (vel alio sacerdote ab Ordinario deputato) et duobus testibus familiaribus, secreti lege obstrictis. Cum initum fuerit, 1° adnotatur non in libro matrimoniorum, sed in alio clauso et obsignato penes curiam Episcopalem; 2° coniuges separati (nisi herus famulam ducat), et matrimonium occultum manere debet, quamdiu eis videbitur; 3° si ex eo matrimonio nascantur filii, recenseri debent tum in baptizatorum libro, reticitis parentum nominibus; tum in alio libro penes Episcopum (clauso pariter et obsignato), his expressis. Haec matrimonia pluribus, nec levioribus, scatent incommodis. Etenim verendum est, 1° ne matrimonium, quod latet, turpis consuetudo, vel contubernium appareat; 2° ne filii ex eo suscepti pro illegitimis habeantur neve parentes curam eorum et institutionem negligant; 3° demum, ne vir et uxor ad alia vota divertant. Quamobrem iniussu Episcopi coiri non possunt, et nonnisi ex gravissima causa; nec ab omnibus. Qui vero ea coeunt, admonendi sunt, 1° de liberis mature baptizandis, deque fide baptismi Episcopo intra mensem, ex quo hi editi fuerint, sub poena evulgationis, exhibenda; 2° de eis agnoscendis, pieque educandis; 3° de portione legitima post mortem eis relinquenda (Ben. XIV, C. *Satis vobis*). Et si eo loci, ubi contrahuntur, iura civilia adempta sint (ceu penes nos) huiusmodi matrimoniis, de hoc quoque contrahentes certiores facere oportet. Sed ubi viget civile contubernium periculosissima sunt, nec sine causa gravissima et prorsus extraordinaria, si quid opinor, permittenda.

(34) C. 3, § ult., *De Cland. Desponsat.*

(35) Sanch., III, 41, 3. Hoc eo spectat, ne coniuges, post initum remotis arbitris matrimonium, ad alia vota impune divertere possint. Ideo *ea sola matrimonia Trident. valere voluit, quae in iudicio probari possunt* (Barbo., *De offic. Episcop.*, II, 3, 148).

(36) Ubi autem vigeat, Cf. Perrone, *De Matrim. Christ.*, Lib. II, Sect. I, Cap. VI etc.; Feije, a § 325; Mansel., Par. I, Art. IV, § 10.

(37) Ben. XIV, C. *Paucis abhinc.* Non item originis (Sanch., III, 23, 7; Bened. XIV, Not. 33, 6; V. Prol., § 83, n. 10); nisi forte inibi quoque domicilium foveat.

(38) Bened. XIV, Not. 33, 5 ex pluribus S. C. C. Decretis; S. Alphons, VI, 1087. Et nedum domicilium, sed et quasi domicilium quaesitum intelligitur *ex eo primum die, quo duo haec simul concurrunt, animus* (habitandi per maiorem anni partem), *et actualis habitatio utriusque vel alterius sponsi* (Epistol. S. U. I., 7 iunii 1867). Dices: S. C. C. aliquando censuit validum esse matrimonium contractum *post mensem habitationis* (Fagn., in C. *Significavit*, n. 33, *De Parocho*). Ita sane;

quoad *vagos* (Vide Prol., § 85, n. 27), eius loci parochum in quo versantur (39). Porro hoc decretum et reale et personale est (40); reale, quia statuit FORMAM contractus, quae dat esse rei (V. Prol., § 204, n. 40); personale, quia sponsos ad contrahendum sine parocho et testibus inhabiles reddit (41), atque ideo eos sequitur ubique

verum numquam definiit contractum ante id tempus invalidum esse. Et Ben. XIV id cit. Const. expresse declaravit, *utrum requiratur praecedens habitatio, vel subsequens aliquod temporis spatium, nolumus quidquam novi decernere.* Nempe, quando voluntas manendi alicubi perpetuo, vel per maiorem anni partem, non satis manifeste apparet, praesumptionibus recurrendum est: una autem ex his est, unius mensis continua habitatio. Verum praesumptio cedit veritati; proinde eorum, qui animum non habent manendi alicubi, ne per maiorem quidem anni partem, nuptiae vel post mensem, irritae sunt: contra, eius qui habuit, ratae, vel ante mensem. Porro quis sit proprius parochus quoad advenas, relegatos, inclusos, milites, V. Prol., § 83. Quoad scholasticos, ephaebos, puellas in collegiis vel monasteriis, expositos, infirmos in brephotrophiis vel hospitalibus degentes, nempe eo mansuros saltem per maiorem anni partem, proprius (quasi domicilii) parochus non loci, idest collegii, monasterii, brephotrophii, hospitalis, praeses rector, confessarius, cappellanus, etc. intelligitur, sed parochus in cuius parochia positum est collegium (V. Reiff., IV, 3, 61), monasterium (Sac. C. C., apud Ben. XIV, Not. 33, 15), brephotrophium (V. Ben. XIV, n. 14), hospitale (S. C. C., 22 aprilis 1651; Ben. XIV, n. 43). Demum quoad famulos, parochus eius loci, in quo domicilium habent heri queis famulantur (Bened. XIV, n. 17); quamvis forte in ea civitate, vel oppido, ubi extant, v. c., hospitale, domus heri, ipsi domum ac domicilium habeant (V. Prol., § 84, n. 24). Scio Clericatum, Giribaldum, et Bened. XIV, Not. 33, 16 (V. Prol., 84, n. 23) contra sentire, matrimonium coram parocho domicilii dumtaxat contrahendum esse. Et iure prorsus egressis e monasterio: at nondum egressas, et famulos (V. Ben. XIV, Not. 88, 16) invalide contrahere coram parocho quasi domicilii, nullo iure cautum est, nec iuris regulis congruit. Et si id Romae speciali iure statutum est, ex hoc ipso, id non vetari communi iure canonico, e contrario sensu, satis apparet.

Si quis autem duobus in locis domicilium vel in uno domicilium, in alio quasi domicilium habeat, in potestate sua est, utro eorum malit matrimonium contrahere, eo quoque ubi in praesens non degit (Ex C. 2, *De Sepult.;* Sanch., III, 45, 5; Schmalz., IV, 3, 151; S. Alph., VI, 1086).

Ad ultimum admonendi sumus, domicilium et quasi domicilium heic aestimandum esse ex iure canonico (V. Prol., §§ 83, 84), et non ex iure quod viget in eo loco, in quo matrimonium contrahitur; v. c. in Anglia, ubi quasi domicilium moram quindecim dumtaxat dierum desiderat (Ex Audient. SS., 22, apr. 1858).

(39) Ben. XIV, Not. 33, 10. Licet alter tantum ex sponsis sit vagus (Sanch., III, 25, 14; S. Alph., 1089; V. § 452, n. 2).

(40) S. U. I., 29 febr. 1860.

(41) Trident., *l. c.*, Declaratio S. C. C., 5 sept. 1626, quam deinde probarunt Urbanus VIII in Brevi ad Archiepisc. Colonien. anno 1627, et Bened. XIV constitutione *Paucis abhinc hebdomadis.* Itaque si sponsus domicilium vel quasi domicilium habeat ubi viget decretum conciliare, contra sponsa ubi non viget, matrimonium initum sine parocho et te-

locorum (Prol., § 119, n. 9), licet hi, eo loci ubi contrahunt, non in fraudem versentur (42); nisi alter ex eis saltem quasi domicilium eo sibi comparaverit (43).

458. Non viget autem, verba sunt Pii VII, *ubi nunquam promulgatum fuit* (44), *vel numquam observatum tamquam eiusdem*

stibus in parochia sponsae ratum, in parochia sponsi irritum est (Croix, VI, II, 714). Porro *in statibus Americae confoederatis, se transferentes e loco ubi viget caput* TAMETSI *in alium locum, dummodo ibi continuo commorati fuerint per spatium saltem unius integri mensis, et status sui libertatem uti iuris est comprobaverint, censendos esse ibidem habere quasi domicilium in ordine ad matrimonium, quin inquisitio facienda sit de animo ibi permanendi per maiorem anni partem* decrevit SS. D. N. Leo PP. XIII ex consultu S. U. I., 6 maii 1886. *Integri* mensis: ideo hic non valet regula *novissima dies coepta pro completa est.*

(42) Nec obstant cit. Declaratio S. C. C., et breve *Paucis abhinc,* quae fraudem exigunt in his qui alio se transferunt; nam fraus intelligitur facto et reipsa, si nullo ibi constituto domicilio, vel quasi domicilio, sic matrimonium contrahunt (V. Bend. XIV, notif, 33, 8). Ex Decr. S. U. I., probante Sanctissimo, 22 april. 1858, in qua quaestio haec late discussa fuit. Quamobrem non valere matrimonium initum ab his, qui legem Trident. ignorabant, censuit S. C. C., 26 aug. 1873; vel qui eam scientes alio discesserant ut ab iniusta parentum vexatione sese redimerent (S. C. C., 3 aprilis 1841; 16 iun. 1866), vel ut matrimonium inirent coram parocho consanguineo (Ex S. U. I., probante SS., 17 maii 1804).

(43) Sanchez, III, XVIII, 26, 29; Pont., V, IX, 1, 4. Quibus autem opus sit ad quasi domicilium acquirendum (V. Prol., § 84). *Quapropter si legitime constet vel ambos, vel alterutrum ex sponsis animum habere permanendi per maiorem anni partem, ex eo primum die* quo eo devenerit *quasi domicilium acquisitum fuisse* tenendum est (S. U. I., 7 iunii 1867). Si de praedicto animo non constet, ad indicia recurrendum est; et si unus ex sponsis iam a mense ibi consederit, praesumendum est eo quasi domicilium constituisse, et matrimonium validum esse; alias iterum referendum erit (Bened. XIV, Litt. *Paucis abhinc hebdomadis,* 19 mart. 1758; et S. U. I., *l. c.*).

Porro olim, ubi Trident. non obtinebat, si sponsi post inita sponsalia commiscebant, copula pro matrimonio erat in foro externo; nempe praesumptione iuris (CC. 15, 26, *De Sponsal.*); immo et de iure (C. *Is qui fidem,* 3, *Eod.*). Haec hodie exsulant, quippe canones huiusmodi a SS. D. N. Leone XIII penitus abrogati sunt Decreto 15 februar. 1892.

(44) Pius VII, Litt. *Etsi Fraternitatis,* ad Archiepisc. Mogunt., editae idus maias 1847, apud Mansella, Append. VI. Ut apud orientales pene omnes S. U. I., 22 septembris 1866. Porro si, quo tempore publicatum fuit, haereticis, 1° vel sua iam parochia (suusque parochus) erat; vel, 2° nulla prorsus, sed postea excitata fuit; vel, 3° tantum excitari coeperat: in primo casu, matrimonium initum sine parocho et testibus ratum est; in secundo irritum; in tertio nec ratum nec irritum pronunciandum est (Romae vix est qui ratum putet, aut ne vix quidem), sed recurrendum in singulis casibus. Ita S. U. I., 2 iulii 1848, ad Episcopum Argentorati. Decisio celebris, et instar legis.

Concilii decretum (45); *vel longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiit* (46): *ubi autem non viget, matrimonia rata et firma consistunt* (47): matrimonia inquam celebrata, etiam remotis arbitris, uti ante concilium Tridentinum (48), ab his qui eis in locis domicilium, vel quasi domicilium fovent.

459. Viget pro catholicis, cessat pro haereticis in foederatis Belgii provinciis ex celebri Declaratione Bened. XIV (49): ideo *illorum* matrimonia INTER SE inita, omissa forma Tridentina, nihil aliud sunt quam *legales concubinatus* (50); *horum* valida. Nempe ratione *tum loci in quo habitant, tum societatis in qua vivunt* (51); et in omnibus iis locis in quibus eadem ratio viget, quod cum in facto versemur (52), solius S. Sedis iudicium est, sive, ut vulgo dicimus, in quibus facta fuit extensio declarationis Benedictinae, quae a sola S. Sede fieri potest (53). Nihilominus si, in locis ubi contrahunt,

(45) Ut apud orientales graeci ritus pene omnes (S. U. I., 4 decemb. 1862): nam penes latinos observantia pro publicatione est(Instructio S. Univer. Inquis, ad Custodem Terrae Sanctae). *Tamquam*, etc. proinde non obstat opinio quae apud illos iamdiu invaluit, matrimonia celebrata sine parocho et duobus testibus nullius momenti esse, quia falsa nostra existimatio rei veritatem non mutat: quo iure utimur.

(46) Ut in suburbiis Constantinopoli (S. U. I., 20 aug. 1769; 1 aug. 1771; 3 sept. 1728; V. Feije, § 332). Sed utrum in desuetudinem abierit, an minus, hoc iudicare solius S. Sedis est: scilicet res publici iuris est, et reip. tum christianae tum civilis interest maxime.

(47) Pius VII, Litt. *Etsi Fraternitatis.*

(48) CC. 15, 24, 30, *De Sponsalibus.*

(49) Ben. XIV, 4 novemb. 1741, *De Syn.*, Lib. VI, Cap. VI. Verum haec Declaratio ad Belgicas provincias tunc temporis Austriacae ditioni subiectas non pertinet (Roskovany, *De Matrim. mixtis,* To. I, pag. 59, edit. 1842).

(50) Leo XIII, Encyclica 21 aprilis 1878.

(51) Ben. XIV, *ll. cc.;* S. U. I, 22 sept. 1866. *Loci*, quia ibi decretum Trident. in desuetudinem abiit: *societatis,* idest, *confessionis,* uti nunc dicitur, religiosae; si nempe perfecta ea sit, suos pastores, quos vocant, habens, qui eis sacramenta ministrant, eos matrimonio coniungunt, mortuis funebria persolvunt: et a civili potestate saltem tolerata sit. Quamobrem haereticos accipere debemus ex *secta* (Ex Instr. S. U. I., 5 sept. 1865, ad Episcopos Portus Ludovici).

(52) Cf, Richter, *Canon. et Decr. Conc. Trid.*, ad Sess. 24, *De Ref. M.*, § 8 (Lipsiae 1853), et opus inscriptum *Canones et Decreta Conc. Trid. cum declarat.*, etc. (Neapoli 1859, pag. 305). Scilicet ex uno capite *valde dubium* erat, num in illis provinciis Decretum Conciliare unquam sufficienter promulgatum fuisset; ex altero vero matrimonia huiusmodi adeo valida existimabantur, ut nullum dubium super eis, redeuntibus ad fidem catholicam, motum unquam fuerit.

(53) Pius VII, *Ad Vicar. Dioeces. Trevir.*, 23 apr. 1817 (Roskov., To. II, p. 164). Et re quidem vera ad provincias Rhenanas Pius VIII (Brev. 25 mart. 1830); Pius autem

decretum conciliare iamdiu penitus obsoleverit, non sunt inquietandi (54).

460. Porro qui exemptus a Tridentino contrahit matrimonium cum eo qui Tridentino est obnoxius, in loco ubi hoc non viget, vel ubi obtinet declaratio Benedicti XIV, privilegium propter contractus individuitatem, alteri parti communicat (§ 452, n. 3), sive ipse catholicus sit sive schismaticus sive haereticus, et valide contrahunt sine parocho et testibus (55). Ad ultimum, etsi in legibus irritantibus nulli epicheiae sit locus (Prol., § 216); nihilominus valide sine parocho matrimonium contrahitur ab his, qui illum *vel omnino habere non possunt*, dummodo coram duobus testibus ineatur (56); vel *nonnisi difficillime et periculosissime* ad eum recurrere possunt (57).

461. Age nunc, videamus quemadmodum parochus et testes interesse debeant matrimoniis contrahendis. Principio igitur propter favorem matrimonii testes adhiberi possunt, dummodo sint natura idonei (V. Par. II., § 312, n. 1), etiam iure inhabiles, ut infames (58). Parochus quoque *adest* (non praeest) quasi testis *qualificatus* (*authorizabilis*); nec ulla seu ordinis seu iurisdictionis potestate utitur,

IX ad provinciam Friburgensem, extendi noluerunt (V. *Acta*, II, 628; VII, 62).

(54) S. C. C., 16 mart. 1870 (*Acta*, VII, 53); 10 aug. 1870, *Ad Episc. Rosnavien.* (Roskovany, To. I, p. 493). Et si fuerint in b. f. in ea relinquendi sunt (S. U. I., 14 ianuar. 1846). Ad quae autem loca extensa fuerit (V. Feije, a § 324; Mansella, Par. I, Art. 4, a n. 9).

(55) Ben. XIV, *ll. cc.*; S. U. I., Inst., fer. V, 2 iunii 1808. Porro extensio Benedictinae pluries pro haereticis Galliarum petita semper denegata fuit (Feije, § 324); nec unquam locum habuit in Hispania, Lusitania, Italia insulisque adiacentibus (Id., § 323).

(56) Pius VI, *Ad Ep. Lucion.*, 28 maii 1793.

(57) Pius VI, *Ad Episc. Geneven.*, 5 oct. 1793. Porro *ius aptari non debet his quae perraro eveniunt* (LL. 3, 4, 5, *De Legib.*), ideo necesse est ut 1° incommodum huiusmodi sit commune (Prol., § 180, n. 18; Gury, II, 840); ut 2° diuturnum, idest saltem per spatium unius mensis (S. U. I., ap. Ballerini ad Gury, *l. c.*, 840); utque 3° parochus *haberi* non possit, ut ecce apud eos qui degunt in locis infidelium (S. Alph., VI. 1079), vel haereticorum, ubi haereticus solus minister residet (Ben. XIV, *De Syn.*, XII, 5, 5). Non item, ex 1°, si casus singularis occurrat; v. c., si parochus, ne intersit matrimonio Titii et Seiae, cui obstant parentes, aut lex, illis invitis, lateat, vel in remotis agat, etsi diu: nec in articulo mortis (Sanch., III, 17, 4; Pont., V, 6, 3): nec, ex 3°, si nolit interesse matrimoniis ne in poenas legum civilium incurrat; v. c., si vidua nubere velit decimo mense a morte viri nondum elapso, aut vir nondum suae aetatis.

(58) V. Par. II., § 312, n. 1. Item impuberes, moniales (Sanch., III, 41, 5; De Iust., II, 19, 97), parentes (C. 2, *Qui matrim. accus.*).

sed quasi ecclesiae mandato velut ad instar iurisdictionis officio cohaerente (59). Hac re licite, etsi vix clericus (60); et valide, etsi vitandus (61) vel acatholicus (62), interest matrimoniis; et valide et licite etiam in alieno territorio, invito quoque eius loci parocho vel Ordinario (63). Et in potestate sua est alium delegare, quemcumque maluerit; dummodo sacerdotem deleget (64). Porro, *scire, non velle, testis debet* (65); ideo nihil interest, si testes et parochus adsint casu (66), vel ducti dolo, aut vi (67). Scire autem heic est,

(59) Sanch., III, 21, nn. 4, 7; Pont., 5, 17, 6.

(60) S. C. C., 12 mart 1693, ap. Piton., *h. t.*, n. 106. Etiam post annum, intra quem, presbyteratum suscipere debuisset (S. C. C., 12 martii 1583; S. Alph., VI, 1081).

(61) S. Alph., VI, 1082. Quamvis Episcopo id parocho, vel ad nutum amovibili (S. C. C., ap. Sanch., III, 21, 12), nominatim vetuerit (S. Alphons., 1083).

(62) Albitius, *De Inconst. in Fide*, Cap. 20, n. 2, contra Fagnan. Hac re, valida sunt matrimonia contracta sive ab acatholicis, sive a catholicis coram parocho schismatico, dummodo is vere parochus sit; (S. U. I., fer. V, 4 dec. 1760); ceu penes orientales hos, quos *Popones* vocant (Bened. XIV, *Instr. ad Vic. Apostol. Constantinopolit.* an. 1753; et Clemen. XIII, 27 nov. 1760). Et ubi b. f. contrahitur coram his, nec sine perturbationibus impediretur, dissimulandum erit (Ben. XIV, ad S. C. De Prop., 30 nov. 1754; De Iust., II, 19, 57).

(63) Sanchez., III, 19, 54; 34, 2, etc.; Laym., IV, 3. Sed non potest ea solemniter benedicere (S. Alphons., VI, 1087; V. Prol., § 73, n. 36). Et si alienus parochus vel *sacerdos*, seu saecularis seu regularis *ausus fuerit* sponsos coniungere, *aut* benedicere, ipso iure incurrit suspensionem ab officio, non a beneficio (Suarez, *De Censur.*, III, 31, 18; Filiucc., VII, 701); quoad ab Ordinario parochi proprii absolvatur (Prol., § 397, II, 6).

(64 Trident., XXIV, *R. M.*, I. Et sufficit generalis delegatio, ut puta, *ad exercenda munia parochialia*, vel *omnia quae pertinent ad curam animarum* (Sanch., III, 35, 6; Regin., 3, 180), vel *ad sacramenta administranda* (Pont., V, 29, 2; Reiff., IV, 3, 84). *Quemcumque*, etiam vitandum (Pont., V, 17, 4; De Iust., II, 19, 71), quippe is illius potestate utitur. *Dummodo*, etc. proinde si, v. c., diaconum deleget, matrimonium nullius momenti erit (Laym., P. II, Cap. IV); nisi forte is sacerdos habeatur errore communi (Sanch., III, 22, 61; De Iust., II, 19, 72; V. Prol., § 79, n. 74). Nec oberit si delegaverit coactus vi, aut dolo circumventus (S. Alphons., VI, 1088). At vero delegatus scire debet mandatam sibi iurisdictionem fuisse, alias nihil agit (De Angel., *Praelect. Iur. Can.*, IV, 3, 5), et planum est (Prol., § 74, n. 32). Quid si matrimonium celebraverit post mortem (vel revocationem) delegantis? Lugo (*Resp. Moral.*, Lib. I. Dub. 35), si haec ignoretur, valere putat, ecclesia iurisdictionem supplente. Ita porro, si delegatio pro omnibus casibus data sit (V. Prol., § 79, n. 72), sin pro singulis, V. Par. II., § 435, n. 32.

(65) L. 209, *De V. S.*

(66) L. 11, *De Testib.*; Sanch., III, 39, 11. Nisi forte aliud agens, casu audiat huiusmodi contractum geri (Bened. XIV, *De Synod.*, XIII, 23, 5).

(67) S. C. C., ap. Bened. XIV. *l. c.* 4; Sanch., III, 39, 10, v. *Tertio*.

animadvertere virum et mulierem matrimonium contrahere; sive ex signis, si forte surdi (68); sive ex loquela si caeci (69); sive per interpretem, si ignari sint idiomatis (70). Proinde valet matrimonium, etsi parochus fingat se non intelligere, dummodo revera *ex actibus antecedentibus et consequentibus perceperit consensum partium* (71); immo etsi nihil viderit, audierit nihil (praesens inquam), *quia videre, audire noluit, cum facile videre* et *audire potuisset* (72). Nec denique opus est, ut testes et parochi cognoscant contrahentes, nam satis est ut eos (quasi qui pertranseuntes viderint aliquem, v. c., furantem, vel occidentem) recognoscere possint (73). Sed necesse est ut adsint omnes una simul (74).

APPENDIX EX ALIENA MANU.

NOVISSIMUM DECRETUM CIRCA SPONSALIA ET MATRIMONIA.

Quarto nonas augusti 1907, S. C. C., iussu et auctoritate SS. Pii Papae X, haec constituit et decrevit vim legis habitura a die Paschatis Resurrectionis D. N. I. C. 1908; quibus tamen non ligantur infideles (sive hebraei, sive pagani, sive cathecumeni, Prol., § 111) et heterodoxi ex secta numquam ad ecclesiam catholicam conversi (§ 437), qui sponsalia vel matrimonium contrahunt inter se.

I. In catholica ecclesia omnes christifideles (etiam ex haeresi aut schismate conversi), licet postea ab eadem ecclesia defecerint, nequeunt inter se, vel (obtenta dispensatione super impedimento disparitatis cultus aut mixtae religionis) cum infidelibus aut hete-

(68) Sanch., III, 39, 2.

(69) Menoch., *De Probat.*, Concl. 207, 10; Croix, VI, III, 758, ibiq. Sanch., Pontius, Filiucc., Aversa. Nempe, si notas habeant voces contrahentium. Aliud putant Mascard. (*De Probat.*, Concl. 218, 7), Gratian. (*Discept. For.*, 849, 20), Barbosa (*De Offic. Episcopi*, 32, 87), De Iust. (II, 19, 105), scilicet ob deceptionis periculum.

(70) L. 1, § ult., *De V. O.;* Sanchez. III, 41, 2.

(71) S. C. C., 6 mart. 1741, ap. Cavalie., *Rit. Expens.*, Decret. XII, § 8. Ut ecce si vocem quidem sponsae, vel sponsi minime audierit, sed viderit sponsum manu sponsam tenentem (S. C. C., 12 ian. 1715. *Ib.*, § 7), vel ei tradentem annulum (Sacra Congreg. Conc., 28 nov. 1671. *Ibid.*, § 5).

(72) Bened. XIV, *De Syn.* XIII, 23, 10. Ut ecce, si clauserit oculos, digitis aures obstruxerit (Pont., V, 21, 12). Quae agendi ratio mehercule ridicula est; neque ad aliud valet, *nisi ut animos contrahentium aliquando scrupulis torqueat* (Croix, VI, III, 758).

(73) Sanch., III, 39, 11.

(74) L. 9, C. *De Testament.*

rodoxis sive *sponsalia* sive *matrimonia* valide inire (1), nisi contrahantur.

1° *Illa* per syngraphum subscribendum 1° ab utraque parte vel, si utraque aut ultrerutra scribere nesciat, de quo mentio in eadem syngrapha fieri oportebit, ab uno teste; 2° a loci Ordinario, vel a parocho, vel saltem ab aliis duobus testibus (2).

2° *Haec* coram Parocho, vel Ordinario, vel sacerdote ab alterutro specialiter delegato (3), et duobus testibus. *Coram parocho* vel *Ordinario,* non tantum proprio ratione domicilii vel quasi domicilii (§ 457): sed etiam illius loci, in quo matrimonium contrahitur (4).

II. Parochus vel Ordinarius a die dumtaxat adeptae possessionis beneficii vel initi officii, sive per se, sive per sacerdotem specialiter delegatum, semper valide adsistit matrimonio, subditorum et non subditorum, contrahentium coram duobus testibus et intra limites proprii territorii, dummodo non fuerit publico decreto nominatim excommunicatus, vel ab officio suspensus, vel vi aut gravi metu inductus ad exquirendum et recipiendum consensum. Sed ut etiam licite adsistere valeat, requiritur.

1° *Quoad omnes contrahentes*, ut sibi legitime constet de libero eorum statu, servatis de iure servandis.

2° *Quoad subditos,* ut constet insuper de eorum domicilio, vel de menstrua saltem commoratione alterutrius (5) in loco ubi matrimonium contrahitur.

(1) Dixi *obtenta dispensatione* etc.; nam secus invalida forent ex alio capite 1° sponsalia, utpute illicita, nisi post impletam conditionem forte adiectam: *si R. Pontifex dispensaverit* (§ 508); 2° matrimonia cum infidelibus propter dirimens disparitatis cultus impedimentum. Animadvertere heic licet dispensationem non solere concedi quando pars, quae a catholica Ecclesia defecerat, matrimonium contrahere malit cum parte infideli vel heterodoxa.

(2) Et sponsalia invalida *canonicos* non sortiuntur effectus (Cit. Decr. I).

(3) Nomine parochi veniunt et sacerdotes 1° quibus in definito territorio alicui paroeciae non subiecto commissa est animarum cura; 2° qui in aliqua statione Missionum, ubi territoria nondum perfecte divisa sunt, a Missionis Moderatore ad animarum curam deputantur (Cit. Decr. II).

(4) Quando autem Parochus, aut Ordinarius, aut delegatus ab alterutro haberi nequeat vel 1° statim *in imminenti mortis articulo,* vel 2° iam a mense *extra periculum mortis,* valide et licite matrimonium contrahitur, in priori casu coram quolibet sacerdote et duobus testibus, in posteriori coram tantum duobus testibus: sed illic sacerdos, hic testes tenentur in solidum cum contrahentibus curare ut coniugium in praescriptis libris adnotetur (Cit. Decr. VII, VIII et IX, § 3).

(5) Matrimonium, regulariter, celebrandum erit coram parocho vel Ordinario sponsae, nisi excuset aliqua iusta causa (Cit. Decr. V, 5).

3° *Quoad non subditos*, ut habeat licentiam parochi vel Ordinarii alterutrius contrahentium, nisi excuset gravis necessitas (6). Secus parochus adsistens sua non facit emolumenta stolae, sed ea remittere debet proprio contrahentium parocho.

III. Parochus adsistens tenetur:

1° Initum coniugium in matrimoniorum regestis statim describere, expressis nominibus coniugum et testium, nec non die et loco in quo contractum fuerit; et adnotare in libro baptizatorum;

2° De eo certiorem facere parochum in cuius paroecia sponsi baptizati fuerint, ut hic quoque illud referat in baptizatorum libro.

Quoties autem violaverit quae praescripta sunt, puniendus erit ab Ordinario pro modo et gravitate culpae.

ART. II. *De celebratione matrimonii, qua est sacramentum.*

462. Huius sacramenti ministri ipsimet contrahentes invicem sunt, ipsi et subiecti: ideo uterque cavere debet, ne indigne suscipiat, ne indigne ministret, ne conferat indigno. *Ne suscipiat*, prout quodvis aliud vivorum sacramentum, et planum est; ac proinde ut nec censura aliqua impediatur, nec peccato letali; atque ideo ut ea sciat *quae ad salutem necessaria sunt* (1), *et rudimenta fidei quum ea deinde filios suos docere debeat* (2); nam illa christianum culpabiliter, haec parentes futuros vel inculpabiliter ignorare letali non caret. *Ne ministret* indigne, idest indignus ipse; verum quia non ministrat *ex officio* (§ 254, n. 12), et minister est quasi *per consequens*, a letali excusatur (3). Demum ne ministret *indigno*: hoc in cooperationem recidit, quam sola caritas vetat: cumque caritas non obliget cum incommodo gravi, sine quo vix, aut ne vix quidem quis abstinet a nuptiis, vix hoc nomine reprehendendus erit, aut ne vix quidem (4).

463. Nunc videamus quid agere debeat parochus si sponsi sint

(6) Si agatur de vagis, extra casum necessitatis, non licet parocho loci eorum matrimonio adsistere, nisi impetrata Ordinarii vel sacerdotis ab eo delegati licentia (Cit. Decr. V. 4).

(1) Ex C. Ben. XIV. *Etsi minime*, § II.

(2) Rit. Rom., *h. t.*, pr.; Benedict. XIV, *De Syn.*, VIII, 14, 3.

(3) Cf. Lugo, *De Sacram.*, VIII, a n. 204.

(4) Cf. Lugo, *ibid.*, a n. 220; Prol., § 174, n. 91; S. Alph., VI, 55, 56; Croix, VI, 147.

indigni. Et si quidem indigni sunt ob censuram, non cogitur eos matrimonio prohibere, nisi fuerint vitandi. Sin quia sunt publici peccatores, nonnulli putant posse nihilominus matrimonio interesse, quia testis gerit officium (5); plures contra putant, *quia ex officio* tenetur eorum peccata impedire (6): sententia utraque gravis; atque ideo prior non facile damnanda letali (7): utcumque, cum hoc non sit malum natura (8), excusat parochum quodvis incommodum grave (Prol., § 177, n. 5), remoto scandalo. Quid si sponsi ignorent ea quae scire ipsos oportet? Et proculdubio non potest eos coniungere sive ignorent ea quae necessaria sunt ad salutem (9); sive ea quae filios nascituros docere debent (10); nempe, ut puto, non quia haec ignorare grave peccatum est, sed quia propter educationem liberorum est publice perniciosum. In his autem testes, quia quasi cooperatores materiales dumtaxat habentur, facilius excusantur (11).

464. Matrimonium contrahi potest quovis tempore, etiam feriato (12) vel interdicti (Prol., § 374, n. 40). Sed in ecclesia maxime celebrari decet (13). Sponsi autem *hortandi sunt*, ut benedictionem nuptialem recipiant (14); quae hodie quandocumque dari potest, etiam postquam diu in matrimonio vixerint (15). Datur solum in

(5) Lugo, *De Sacram.*, VIII, 216; Laym., *h. t.*, P. II, Cap. IV, 8; Croix, *l. c.*

(6) S. Alph., VI, 54. Ita porro, sed hoc perpetuum non est; et si prohibendo in deterius adigeret, nec debet, nec potest: nec demum alias tenetur, quam consulendo, hortando, exorando.

(7) S. Alphons., V, 52; V. Prol., § 289, n. 7. Et prima fortassis gravior: nam quod ait S. Alph. (*l. c.*) *ius* cogendi parochum, nec proinde ex adverso, huius *obligatio* assistendi eorum matrimonio, utrumque mihi quam difficile est; neque enim eo quod aliquid non licite fit, cessat illinc ius, atque ideo hinc obligatio.

(8) V. Lugo, *De Sacram.*, VIII, 227. Alias nec Ecclesia licite dispensaret quoad matrimonia mixta; nec eis licite assisterent parochi, vel ad mortem vitandam (S. Alph., VI, 52), vel in locis haereticorum, propter consuetudinem, sive alibi ad cavenda deteriora, v. c, *ne sponsi perseverent in peccatis* (S. Alph., *l. c.*). Quid quod Pius VI et Gregor. XVI, facultatem dederunt parochis, in Russia et Germania, assistendi, si cogerentur, matrimoniis mixtis, etiam sine dispensatione Apostolica, contrahendis? (V. Gury, II, 830).

(9) Ex Decret. Innoc. XI, et Clemen. XI, confirmatis a Bened. XIV; cit. C. *Etsi*, § 11.

(10) Ex Rit. Rom.; et Ben. XIV, *De Syn.*, *ll. cc.*

(11) V. S. Alph., VI, 54.

(12) Rit. Rom., *h. t.*, § 17, quod vide.

(13) Rit. Rom., n. 15; V. § 6, n. 35.

(14) V. Trid., XXIV, *R. M.*, 1. - *Hortandi*, neque enim cogi possunt (S. R. C., 1 sept. 1838; Martinucci, n. 1015). Et si eam omiserint, aut omni culpa vacant, aut certe gravi (S. Alph. VI, 984).

(15) S. U. I., 31 aug. 1881; *Acta*, XIV, 513. Et ante matrimonium commiscuerit (S. R. C., 2 oct. 1593; Cavalie., *Rit. Expens.*, Cap. XVI, et sponsa praegnans accedat (S. C.

Missa (16); et a solo Episcopo vel parocho proprio, et in proprio dumtaxat territorio (17) dari potest; nec tempore interdicti, vel feriato (18). Cum autem semel data fuerit (seu viro seu mulieri) iterum in secundis nuptiis dari non potest (19), nihilominus si mulier eam nunquam acceperit, dari poterit, ubi ea viget consuetudo, sive tunc primum (20), sive tunc iterum (21) nubat. Verum, ut confessionem matrimonio sponsi praemittant, etsi in letali versentur, cogi non possunt (22).

465. Sed haec de matrimoniis catholicorum inter se: in *mixtis*, idest, ex disparitate cultus impropria, sunt quaedam specialia. Etenim celebrari debent (etiamsi fiant ex dispensatione Apostolica) omissis publicationibus (23), nulla adhibita benedictione, ritu, aut veste sacra, extra ecclesiam et sacristiam (24): nihilominus si ex hoc graviora damna ac mala timeantur, fieri possunt in ecclesia iuxta Rituale dioecesanum, *exclusa tamen semper Missae celebratione* (25). Verum si pars haeretica promittere nolit educaturam se omnes liberos nascituros in religione catholica, parochus *abstinere debet a quocumque interventu* (26), nisi Ordinarius existimaverit magis expedire coram eo celebrari, quam coram ministro acatholico, ad quem alias facile sponsi confugerent (27). At si hi, ante vel post matrimonium coram eo celebratum, contrahant etiam in ecclesia

de Prop. Fide, iun. 1841; Scavi., III, § 920).

(16) S. R. C., 23 iun. 1853, 31 aug. 1867, ad 3, iussu Pii IX. In Missa, nempe, si fieri possit, *Votiva* pro sponso et sponsa; quae idcirco permittitur quavis die, exceptis duplic. 1 et 2 cl., et diebus Dominicis (sed in his facienda erit commemoratio pro sponso et sponsa; S. R. C. 20 dec. 1783; 7 ian. 1781), et vigiliis Pasch. et Pentecost. (S. R. C., 5 martii 1818).

(17) Trident., XXIV, *R. M.*, 1; Sanch., III, 19, 19; Schmalz., IV, 3, 158.

(18) Rit. Rom., § 17. Ne de Ordinarii quidem licentia: et est grave (Sanch., VII, 7, 3; Pont., VI, 8, 10).

(19) CC. 1, 3, *De Secun. Nupt.*

(20) Rit. Rom., § 14.

(21) Ex S. U. I., ap. Caval., *Rit. Expens.*, Cap. 15, § 2. Scilicet haec benedictio foeminam cum primis attingit, ad minas (de quibus *Genes.*, III, 16) avertendas.

(22) Gury, II, 774.

(23) Pius VI, *Epist. ad Card. De Frankenberg*, 23 iul. 1782. Nisi metuendum sit, ne alias sistant coram ministro haeretico (Greg. XVI, ad Episcopos Bavariae, 17 sept. 1834).

(24) Pius VI, *Ad Episcop. Mechlinien.*, 13 iul. 1783; Ex Decret. S. U. I., 25 nov. 1838. Verum, post literas Emi Card. Antonelli, 15 novemb. 1858, benedictio nuptialis, exclusa Missa, alicubi non denegatur (De Angel., *Prael. Iur. Can.*, I, IV, 22): et hodie ne Italis quidem.

(25) Instruct. 25 nov. 1858, iussu Pii IX. - *Missae*, cuiusvis inquam, et non tantum *pro sponso et sponsa.*

(26) S. U. I., 17 iun. 1829.

(27) Instruct. addita Liter. Gregor. XVI, 20 apr. 1841, *ad Primat. et Episcopos Hungariae.*

protestantium ritu protestantico, huic assistere grave est (28). Contra si consensum praestitum coram ministro haeretico, renovare velint coram ministro catholico, is *huic matrimonio non intersit, nisi servatis servandis, et pars catholica, facti poenitens, absolutionem a contractis forte censuris* prius obtinuerit (29).

466. Ad ultimum videamus utrum filiis nefas sit, *naturali* iure coire nuptias invitis, vel inconsultis *parentibus*. Principio, de fide est, coitas ratas esse; et qui vel id negant, vel affirmant, parentes illas ratas vel irritas facere posse, hos Trid. Synod. anathemate damnat (30). Certum quoque est, parentes non posse filios matrimonio prohibere (Prol., § 53, n. 39); nec, ut reor, cogere uti hanc vel illam ducant, huic vel illi nubant. Sed utrum filii ducere, nubere licite possint cuicumque maluerint, invitis parentibus? Et si hi sint inviti propter familiae dedecus, vel aliud grave damnum quod ex eo matrimonio oriturum sit, iam fere nemo dubitat, hoc esse grave (31): secus, quidam adhuc grave esse putant (32), alii (contra) ne leve quidem (33). Prior sententia nititur iure tum civili, tum canonico (34), et SS. PP. doctrina. Sed perperam; nam ius civile patris tantum familias (non matris) consensum exigebat, scilicet ne *suus* heres agnasceretur invito (35); ideoque nec patris, si liberi emancipati essent (36): ius canonicum iuri civili cohaerebat, et postea mutatum est (37): utrique PP. Ecclesiae: quamobrem contra-

(28) S. U. I., 21 apr. 1847; V. Gury, II, 829, 830, ibique Ballerini. Verum, licet sistere coram ministro protestanti, si is assistat, *non ut minister addictus sacris, sed ut minister politicus* (S. U. I., 29 nov. 1679; Ben. XIV, *De Syn.*, VI, VII, 2).

(29) S. U. I., 17 febr. 1864; S. Poenit., 22 mart. 1870. *De Matrim. mixtis;* V. Lugo, *De Fide*, XXII, 12; et Pont., Append. ad Lib. VII.

(30) Trid., XXIV, *R. M.*, 1, pr.

(31) V. S. Alph., VI, 851, 849, v. *Tertia.* - V. c., *si ex eis oritura sint gravia scandala aut dissensiones* (S. Alph., *ib.*).

(32) Moli.; Pont., II, 1, 26. Inter hos eminent Alex. Politi, *De Patria in testamentis cond. potest.* Florentiae 1712; et Fr. M. Muscettola Episc. Rossanensis, Dissert. *De Sponsal. et Matrim.*, 1723.

(33) D. Th., 2ª, 2ae, 104, 5; Scot.; Vasq.; Sanch., IV, 23, 10; Laym., P. 1, Cap. I, 14; Reiff., IV, I, 25; Schmalz., IV, 2, 79; S. Alph., *Confessore diretto*, Cap. XVIII, n. 3. Est tertia sententia, inter has media, existimantium hoc peccatum quidem esse, sed leve (V. S. Alph., VI, 849, v. *Tertia*).

(34) L. 7, *De Sponsal.;* Can. 3, Can. 30, 5.

(35) Ex L. 12, § *Medio temp., De Captiv. et postlim. rever.*

(36) L. 25, *De Ritu Nupt.* Atqui naturali iure (de quo solum hic) pietas et patri et *matri*, et a filiis sive in potestate sive *emancipatis*, aequa debetur.

(37) V. Ben. XIV, *De Syn.*, VI, 3, 2. Scilicet, in veteri disciplina, iure civili, ac proinde etiam canonico, patria potestas patuit latissime: etenim hoc iure patri integrum erat filios sacris ordinibus, vel in-

riam sententiam veriorem puto. At inconsultis parentibus coire nuptias, insignis contemptus est (38), dummodo certiores fieri possint (39), nec illas iniuste sint impedituri (40).

APPENDIX

DE IURIS CIVILIS SOLEMNIIS NON OMITTENDIS.

467. Cum in foro civili matrimonium non intelligatur, nisi ex iure cuiusque civili coitae sint nuptiae, his praetermissis, nec vir, nec uxor, nec dos, nec liberi legitimi (civili iure) intelliguntur (1). Inde damna gravissima: seu *spiritualia,* quia alteri ab altero discedere integrum est, et ad alia vota civilia transire; seu *temporalia;* quae contigere possunt tum uxori, quam vir alere cogi non potest, tum futuris liberis, maxime si parentes eos postea non *agnoverint* et morientes non scripserint heredes. Non sunt igitur civiles solemnitates praetermittendae (2); et qui ea omittunt gravi non vacant, si quid opinor.

468. Parochi igitur necesse habent de damnis huiusmodi sponsos certiores facere: idque exigit, quoad temporalia *caritas*, quoad spiritualia *pastoris officium:* amplius, curare debent, ut solemnia hu-

stituto cuivis regulari, perpetuo mancipare (CC. 2, 3, 4, 6, Can. 20, 1; V. Muratori, *Antiq. Ital. Medii Aevi,* Dissert. 65); et cui vellet matrimonio iungere (C. 1, *De Desp. impub.*). At, saec. XII, Coelest. III potestatem fecit filiisfamilias, pubertatem adeptis, e monasterio (C. 14, *De Regular.*); tum, saec. XIII, Bonif. VIII a sponsalibus a parentibus ipsorum initis (C. un., *De Desp. imp.* in 6°) recedendi.

(38) Sanch., IV, 23, 10; Laym., cit. n. 14.

(39) V. *Genes.*, XXIX, 21; *Tob.*, VII, 10.

(40) Schmalz., IV, 2, 77; Reiff., IV, 1, 24.

(1) § 12, *De Rit. Nupt.* Matrimoniis initis coram Ecclesia nedum iura civilia adempta sunt ex C. Gallico et Nostro, sed nec matrimonia intelliguntur. Hac re quos Ecclesia prohibet divertere, illos ius civile ad alia vota transire permittit: et, cum semel transierint, quos Ecclesia separari iubet, eos illud divertere vetat. Itaque hoc definitum esto, quod non matrimonium est civilis actus, sed *turpis et exitialis concubinatus* (Allocut. 27 sept. 1852; et *Syll.*, 73). Ex quo qui nascuntur liberi, illegitimi sunt (Ben. XIV, cit. § 3). Qui proinde, si alicubi vigeat consuetudo baptizandi legitimos ritu solemniori (v. c., pulsatis organis), non debent eo ritu baptizari; nec legitimis in libro baptizatorum accenseri debent (S. C. C., 31 iulii 1867; *Acta*, III, 244): nec mulier, quae eos enixa est, ius habet ad benedictionem post partum (S. C. C., 18 iunii 1859; *Acta*, I, 349). Quae nec dari licite potest, si quid opinor, quippe concubinatus quasi ratihabitio videretur.

(2) Conc. Rothomagen., an. 1850, prob. Pio IX.

iusmodi impleantur (3). Et si sponso, seu sponsae, vetitum sit iure civili coire, vel inter se coire nuptias, non licet eos matrimonio coniungere iniussu Episcopi, nec Episcopis id temere permittere licet (4). Eos autem qui iure civili non vetantur matrimonii foedere iungi, primum matrimonio iungant, ne si prius civilem magistratum adeant, videantur coram eo matrimonium contrahere (5). Et si id sine periculo et perturbationibus fieri non possit, satagere pro viribus debent, ne sponsi diu differant coniugale foedus inire; et interim ne sub eodem tecto in commune habitent; neve nimium inter se familiariter agant. Utcumque, semper admonere eos oportet, ut quando magistratui civili se sistunt, illud prae oculis habeant, nullum ab ipsis tunc matrimonium contrahi, sed actum se mere civilem obire, quo suum erga leges et instituta Principum obsequium ostendunt (6).

(3) S. Poenit., Litt. 15 ian. 1866, § 5. Sive catholici magistratus sint, sive acatholici, sive infideles; dummodo *horum* praesentia nullam alicuius falsi numinis, aut *aliud quodvis superstitionis genus* (Ben. XIV, C. *Inter omnigenas*, § 10; S. U. I., 13 aug. 1845), *istorum* haeresis vel schismatis factam recognitionem *inducat* (V. Prol., § 110): uno verbo dummodo agatur de solemnitate mere civili.

(4) S. Poenit., *l. c.*, § 6. Episcopi autem in casibus gravioribus Sacr. Poenit. consulere debent. Porro iure civili matrimonium contrahere non possunt, mulier nisi a 15°, vir nisi a 18° aetatis anno: immo nec post id aetatis, si eis administratione bonorum propter animi imbecillitatem sit interdictum, vel coeperit interdici (C. It., AA. 55, 61). Amplius; illi si 21, huic si 25 ann. nondum excesserint, opus est consensu parentum, vel saltem patris: hisque mortuis, vel impeditis, consensum edere, ad avum, si sponsi adhuc in minori aetate sint constituti; si avus desit ad aviam, sive paternam, sive maternam spectat: his quoque deficientibus, opus est *consulto familiae*, si legitimi sint; *tutelae*, sin illegitimi (AA. 64, 65, 66). Ad haec nuptiae vetitae sunt, 1° inter consanguineos et affines in linea recta in infinitum; 2° inter fratrem, et sororem, eorumque coniuges; inter avunculum, seu patruum, et neptem; 3° inter adoptantem, et adoptatum, vel alterutrius liberos; inter fratres sororesque adoptivos, cum coniuge adoptantis vel adoptati (AA. 59, 60); ac demum 4° cum eo qui vel tantum capi, et in carcerem includi, quasi complex uxoricidii, iussus fuerit (Art. 62). Sed gravibus de causis conceditur regia dispensatio pauperibus super aetate, et his, de quibus in superiori n. 2°, super consanguinitate et affinitate (C. It. 68). Eos qui de regia familia sunt, nisi sint fratres vel cognati et affines in linea recta, nec aetas impedit, nec cognatio vel affinitas; et regales principes regis tantum assensu indigent (art. 69).

(5) Ben. XIV, C. *Redditae sunt nobis*, § 11, 17 sept. 1746; Pius VII, Litt. *Perlatae ad Episc. Lucionen.*, 28 maii 1793 (*Bull. Rom.*, an. 1845, n. 941; S. Poenit., *l. c.*, § 7). Nisi forte metuendum sit, ne sponsi, post aliquod tempus, alter alterius pertaesus, divertant; et civilia cum aliis ineant contubernia (Ben. XIV, *l. c.*; et C. *Inter omnigenas*, § 10, 2 febr. 1784).

(6) Ben. XIV, *l. c.* Et hi quibus

SECTIO III.

De matrimonio iam contracto, seu de matrimonio valido, vel dubbio, vel nullo.

CAPUT I.

DE MATRIMONIO VALIDO.

469. Initum matrimonium aut *validum* est, aut *dubium*, aut *nullum*. Validum alterius corporis potestatem in alterum invicem transfert aequo iure. Quamobrem alter tenetur alteri debitum reddere *ex iustitia*, quamdiu alter petendi ius non amisit (1); et sub gravi tenentur (2), etiam tacite petenti (3); dummodo et is non immoderate petat, nec saepius iusto (4), et ipse possit reddere sine gravi suo damno (5). Et si alter amiserit ius petendi, alter, *ex caritate*, tenetur reddere quoties illius continentia periclitatur, immo petere debet (6). At nec debet nec potest, si nequeat reddere sine periculo ventris quem gerit mulier (7), vel sine peccato (8). Heic Nostri

propositum est matrimonium contrahere, ubi Trident. receptum est, letali non carent.

(1) I *Corinth.*, VII, 4; D. Th., in 4, Dist. 32. q. 1, art. 3.

(2) Sanch., IX, 2, 9. Ideoque grave est se impotem reddere vel ad tempus, - utputa immodicis vigiliis, ieiuniis sponte susceptis etc. - (V. Sanchez, IX, 3). Sed si semel tantum neget aut bis (S. Alph., VI, 940), si non statim reddat (Sanch., n. 11), si ex iusta causa non reddat (Bonac., Sanch.) v. c., ne plures nascantur filii quam ali possint (S. Alph., 941), remoto periculo incontinentiae, excusatur.

(3) S. Alph., VI, 928, 929.

(4) Sanch., IX, 2, 12; S. Alph., *l. c.* Quaesitum est, an teneatur reddere mentis impoti, v. c., amenti, vel ebrio: negant plures, perinde ac si dormiens peteret, et Sancio probabilissimum est citra periculum incontinentiae (Sanch., IX, 23, 10 etc.).

(5) D. Th., *l. c.*, art. 1; S. Alphons., VI, 909. Ideoque non tenetur ei reddere qui laborat lue venerea, phthisi, lepra; nec is tenetur qui febri laborat, nec statim a sectione venae, a balneo, a partu (S. Alph., VI, 910, 926, 950, 952). Ad haec, mulier non tenetur, si experta fuerit, se parere non posse sine probabili vitae periculo (S. Alphons., VI, 953); praeterquam (ut opinor) a die 14 post incoepta menstrua, ad sequentem usque menstruorum recursum; quippe hoc tempore, mulierem non concipere, hodie nedum probabilissimum est, sed prope certum. Sed, verius, potest et reddere, et petere, ad vitandum maximum periculum incontinentiae, sive coniugis, sive sui: nam ad peccatum vitandum licet ipsam quoque vitam in discrimen adducere (Sanch., VII, 102, 11).

(6) D. Th., *l. c.*, q. 1, a. 1, ad 4; S. Alph., VI, 928, 929.

(7) S. Alphons., VI, 924. Item si mulier amens sit, et metuendum sit, ne conceptum foetum enecet (Sanch., IX, 23, 8; Pont., X, 14, 10). Non item si proles nascitura sit imper-

quae coniugibus liceant, quae non liceant: his quam paucissimis me expediam. Omnia vel contra, vel iuxta, vel praeter finem matrimonii sunt. *Contra*, quae impediunt generationem prolis (9): et haec *semper* gravia sunt. *Iuxta*, opus coniugii, quaeque ad illud exercendum sunt necessaria; haec regulariter omni culpa vacant (10). *Praeter*, quae inter utraque tenent: haec nec licita sunt, quia a suo fine deflectunt; nec graviter illicita, alias societas matrimonialis praesentissimum aeternae damnationis periculum (11)

fecta vel mortua; quia melius est utcumque esse, quam omnino non esse (S. Alph., 924, 925, 926, 953).

(8) S. Alph., VI, 943, 925 in fi. Sed refert, utrum peccatum se teneat ex parte actus, an ex parte petentis, an ex rerum adiunctis. Si (ut a postremis ordiamur) *ex rerum adiunctis*, iis nempe in quibus coire non licet, e. g., palam, vel in loco sacro (§ 15, n. 23), grave est petenti assentiri; et planum est (Sanch., IX, 6, 16). Sin ex parte, *solius petentis*, ne leve quidem est; utputa obstricto castitatis voto (S. Alph., VI, 946), aut ordine sacro invita uxore suscepto. Sin denique ex parte *actus;* volenti *praeter naturam* coire (ita nempe ut generatio adhuc sequi possit), ut puta viro succubo morem gerere, leve est, et ex iusta causa (v. c., ad vitandam incontinentiam, dissidia), ne leve quidem (V. S. Alphons., VI, 946).

(9) D. Th., 2, 2, 154, 1; Pont., X, XI, 2. Id est pollutio, sodomia, condomismus et onanismus (Par. II., § 65). Nihilominus in onanismo, quia *tota* deordinatio est ex parte petentis (V. Sanch., IX, XVII, 3), si novus Onan accedat prolem forte numerosiorem devitans, et mulier eum deterrere nequeat, cum omne hoc negocium recidat in cooperationem materialem opere licito, quam sola caritas vetat, si incommodum grave non absit, et reddere (S. Poenit., 1 februarii 1823, 8 iun. 1842), et petere (S Alphons., 947) licitum est. At si coniuges haec faciant in bona fide, et periculosum sit eos edocere, non sunt admonendi.

(10) S. Alph., VI, 938, etc. Itaque ad quem finem coniugium inire, ad eum finem coniugii opus explere omnino licitum est; ut ecce concupiscentiae compescendae (S. Alph., 882, d. 1), valetudinis (*Ib.*, 883, d. 2, 927) et amoris fovendi (Ex S. Alphons., 934, v. *His*) gratia. Ac proinde (quatenus haec ad finem matrimonii valere possunt) colloquia inter se, aspectus, tactus, licita sunt (V. S. Alphons., 933, 934). Quid si non careant periculo pollutionis in alterutro? S. Alph. (334 in fi.) probabile putat, adhuc licita esse *reddenti;* Sanchez, Viv., Filiucc., Elb., Sporer, etiam *petenti:* nam si haec eis *per se* licita sunt; perinde est ac si pollutio sequatur per accidens. Nempe periculo consensus in delectationem eius remoto (Par. II., § 68); quod perdifficile est.

(11) S. Alphons., V, 25, VI, 933, 934. Et in primis opus coniugii ob solam voluptatem exercere (Innoc., XI, 9; S. Alphons., VI, 912), de *re* (seu praeterita, seu futura) delectari coniuge absente; quippe heic sola voluptas versatur, et delectationis atque actus eadem est ratio (D. Th., *De Malo*, 12, 2 ad 17). Ex quo licet intelligere, delectationem hanc gravem esse (prout actum) in sponsis, et viduis (S. Alphons., V. 24). Quaestionis est, an sit grave seipsum seorsim turpiter tangere (V. S. Alphons., VI, 936). Ceterum quae per se gravia non sunt, gravia facit periculum pollutionis (S. Alph., 934); non item solius spirituum commotionis (S. Alph., V, 25) periculum, nisi haec tanta sit, ut proximum pol-

contineret, ac proinde vix licita esset, aut ne vix quidem: ergo sunt levia: nempe, aut omnia, aut prope omnia (12).

470. Matrimonium semel valide initum non dirimitur etiamsi postea, etiam ante illud consummatum, is casus inciderit in quo iniri non potuisset (Par. II., § 315, n. 12); ut puta si vir impos aut mulier amens esse coeperit: ac proinde ei ultro citroque sua iura constat (13). Verum hoc non est perpetuum; et plurimum inter se distant matrimonia fidelium et infidelium (14). Illa, siquidem consummata, nullatenus dirimi possunt (15); rata dirimuntur, etiam altero invito, vel solemni professione religiosa (16), vel suprema R. Pontificis auctoritate (17). HAEC consummata, utroque coniuge adhuc infideli, indissolubilia sunt (18), sed perinde quasi matrimonia rata fidelium (19): quamobrem, utroque postea baptizato, dissolvi possunt

lutionis periculum inferat (S. Alph., VI, 937, v. *Ego*).

At enim, quia sancta sancte tractanda sunt, de his confessarius quaerat nihil (Vide Ballerini, ad Gury, II, 919). *Quoad debitum vero, ordinarie loquendo non decet interrogare nisi uxores, an illud reddiderint, modestiore modo quo possit. De aliis taceat, nisi interrogatus fuerit* (S. Alph., *Prax. Confess.*, § 4). Et si nuptura de his interroget, ut sciat quid sibi licitum futurum sit, respondeat, ut interim suo marito, tamquam capiti, in dubiis obtemperet; confessarium de his postea, si ei acciderint, consultura (Gob., *Theol. Emper.*, Tr. X, Cas. 17, nn. 648, 649).

(12) V. Gury, II, 913, 3, ibiq. Baller.

(13) C. 25, Cau. 32, 7. Et ideo his qui, post contractum matrimonium, spadones facti sunt, coire non est illicitum (Tolet., Lib. VII, 1, 6, 4; Sanch., VII, 192, 6; Laymann).

(14) Ex CC. 7, 8, *De Divortiis.* – *Fideles* accipimus baptizatos, etiam acatholicos; *infideles* qui nondum baptismum susceperunt, cathecumenos quoque.

(15) *Matth.*, XIX, 6; Trident., XXIV, *h. t.*, Can. VII. Idem iuris est si matrimonium a fideli cum infideli, ex dispensatione R. P., contractum fuerit (Clem. XIII, 2 aug. 1759; et S. U. I., 1 aug. 1753. Cf. Del Giovine, *De Disp. Matrim.*, II, § 272).

(16) CC. 2, 7, 14, *De Convers, Coniug.*; Trid., Can. VI. – *Invito* (Sanch., VII, DD. 105, 103; Laym., P. IV, XI, 6); dum ne vir in eo permanere debeat ad mulieris infamiam reparandam (S. Alph., VI, 870, 958). Itaque post initum matrimonium utrique coniugi datur bimestre ad deliberandum. Quo elapso (nisi utriusque consensu prorogetur) necesse est, aut coniugi adhaerere, aut illico religionem ingredi, tyrocinium inire, eoque exacto, solemnia vota protinus nuncupare; et his denique nuncupatis, matrimonium (nisi interim consummatum fuerit alterius vi, metu, aut fraude; V. Sanch., II, 32) ipso iure dissolvitur (Cf. Sanch., II, 18; Pont., IX, 5).

(17) Ben. XIV, C. *Dei miseratione.* SOLEMNI, ideoque non ea, qua vota simplicia, etiam in societate Iesu (Cf. Ballerini, ad Gury, II, 759), nuncupantur.

(18) Ex *Matth.*, XIX, 6; C. 8, *De Divort.*

(19) Ex C. 7, *De Divort*; V. § 296; n. 38; Navarr.; Sanch., II. 17; Laym., Par. II, Cap. III, 2; S. Alphons., VI, 897, *Prob.* 1. Haec ratio pluribus displicet, et in primis Pontio (VII, 48) et Ben. XIV (LL. CC. Lib. II, Quaest. 546, a n. 27;

auctoritate R. P. (20), quoad iterum, post susceptum baptisma sese cognoverint (21). Baptizato alterutro tantum, in potestate huius est aliud matrimonium inire, ex singulari divino privilegio, quod *Paulinum*, ab Apostolo qui illud promulgavit, appellant, de quo seorsum.

471. Ex his autem manifestum est, matrimonia valida neque fidelium neque infidelium divortium pati. Verum divortium Nostris, latissima significatione, triplex est, quoad vinculum, quoad habitationem, quoad torum. Quoad vinculum divortium intelligitur cum matrimonium ita dirimitur ut vir aliam ducere, mulier alii nubere possit. Quoad habitationem, coniux divertere potest altero nedum consentiente, quod planum est (22), sed et invito: et hoc ex triplici capite: 1° ob adulterium, nempe propter fidem violatam;

in *Florentina*, 17 ianuar. 1722; et *Synodo Dioeces.*, XIII, 21, 4) tuentes matrimonia quoque infidelium esse sacramenta lata significatione (V. § 427, n. 31).

(20) Gregor. XIII, Litt. *Populis* seu *Quoniam saepe*, 25 ianuar. 1585. Qui animadvertens haec *connubia vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut, necessitate suadente, dissolvi non possint,* barbaris ad fidem conversis qui ante susceptum baptisma matrimonium contraxerant, indulsit, ut, coniugis infidelis *consensu minime requisito, aut responso non expectato, matrimonium cum quovis fideli contrahere possent, et licite in eo remanere,* quamvis postea apparuerit priores coniuges *tempore secundi matrimonii conversos fuisse.*

(21) S. Alphons., VI, 956. Quod Pont. et Ben. XIV (*ll. cc.*) non mediocriter impugnant: aiunt enim, matrimonium consummatum ex sua divina institutione prorsus indissolubile esse (not. 18) uno dumtaxat casu excepto; nempe privilegii Paulini. Ratio brevis et urgens: sed Greg. XIII verba disertissima sunt. Quid quod ipsemet Bened. XIV in sua Const. *In suprema Catholicae Ecclesiae*, 16 ian. 1745, ad Apost. Nuntium Venetiis commorantem circa huiusmodi matrimonia eadem statuit quae Gregorius XIII, et iisdem fere verbis? Quid quod in celebri *Florentina*, 29 mart. 1727, cum quaedam Esther hebraea ad fidem se convertisset ex quo vir eius Abraham adhuc hebraeus aliam (Blancham) hebraeam duxit, utroque postea ad fidem converso et instantibus pro ratihabitione matrimonii, Esther in statu coelibi manente, ipsemet Benedictus XIV Sacr. Congregationi auctor fuit ut scriberetur Archiepiscopo florentino, an Esther esset *in statu virum ducendi, aut emittendi professionem religiosam?* Ergo matrimonium infidelium consummatum, etiam praeter privilegium Paulinum, dissolvi potest.

(22) C. 2, *De Conv. Coniug.* Sed si velit inire religionem, vel ordines sacros, alter necesse habet religionem intrare (CC. 4, 6, *Eod.*): nisi forte et senuerit, et nullam prorsus incontinentiae suspicionem praebeat (quod Episcopi iudicium esse verius est; De Iustis, I, 14, 70); huic enim sufficit (nisi alter ad Episcopatum promoveatur) edere perpetuum castitatis votum (CC. 1, 5. 6, *Eod.*; Sanch., VII, 39, 6). Hoc votum simplex quidem est; nihilominus, si *ordinatus* prior mortem obierit, voventem aliis nuptiis contrahendis INHABILEM facit (C. 10, Dist. 28; Sanch., VII, 40, 2); sin *professus,* non item (Sanch., VII, 32, 8; Schmalz., IV, 6, 67).

ideoque coniugi iniuriosum (23), et si innocens adultero non ignoverit (24), nec postea admiserit ipse (25); 2° ob haeresim (V. § 436); 3° ob quodvis periculum grave (26). Hoc divortium propria auctoritate, saltem in foro conscientiae, fieri posse propter adulterium, certum; propter haeresim, verius (27); propter saevitias, si vel sit in mora periculum, vel aditus ad iudicem difficilis (28), vel quodvis aliud grave periculum, si hoc proximum sit, palam est. Est autem hoc divortium vel perpetuum, vel temporaneum. Perpetuum est quod fit ob adulterium (29), quippe adulter in perpetuum iure suo excidit, vel officio iudicis (30): quod alias fit, est temporaneum. Divortio perpetuo facto, is qui divertit se a reo, non reum a se liberat; ideo ex *uno* capite integrum sibi est religionem, aut (verius) sacros ordines inire (31); vel coniugem quandocumque ad se revocare (32): ex *altero* non cogitur eum recipere, licet ipse postea

(23) *Matt.*, XIX, 6; CC. 4, 5, 8, *De Divort.* Proinde non oberit, 1° si illud admiserit inductus vi, aut dolo (L. 39, *Ad L. Iul. De Adult.*), secus si obtentu paupertatis (Ex L. 43; § *Non est, De Ritu Nupt.*), aut coniuge incontinentiae sibi occasionem praebente (Ex cit. C. 4; Sanch., 10, 4, 7): aut. 2° viro consentiente (Ex cit. C. 6, *De Eo qui cognov. consang.;* L. 49, *Sol. Matr.*), vel tacite, ut ecce si contaminatione non est indignatus (L. 2, § 1, *Eod.*): nec 3° (quia in odiosis versamur) si non fuerit perfectum et consummatum (Sanch., n. 13). Utrum et ob sodomiam, aut bestialitatem, V. S. Alphons., VI, 962.

(24) Ex cit. L. 2; Sanch., X, 5, 19; Reiff., IV, 19, 71.

(25) C. 6, *De Adult.* Nec inquiritur uter prior (CC. 4, 5, *De Divort.*), aut pluries (Sanch., X, 6, 8; S. Alph., VI, 966).

(26) C. 2, *Eod.* Seu animae, seu corporis. *Animae*, veluti si vir uxorem pertrahat ad furta, adulteria, etc. (Can. 28, 1, 5). *Corporis* (CC. 8, 13, *De Rest. Spol.*): seu vitae, utputa si alter alterius vitae struxerit insidias (C. 1, *De Divort.*); seu valetudinis, veluti si morbo contagioso laboret (Sanch., IX, 24, 17), nisi sanus talem duxerit sciens volens (Reiff., IV, 8, 8). Huc pertinent saevitiae, puta si vir uxorem graviter caedat; quod tamen varie ex personis aestimari debet (Sanch., VIII, 10, Pont., IX, 23, 5); si sanae alimenta negaverit, aut aegrotae medicamina (Gualco, Disp. IX, Cap. I, n. 3, etc.).

(27) CC. 4, 7, *De Divort.;* Reiff., IV, 19, 35; S. Alph., VI, 969. Dummodo certa haec sint (S. Alph., VI, 961, ex C. 12, *De Praesumpt.*). Ceterum nemo tenetur divortium facere: non ex iustitia, quod nemo dubitat; nec ex caritate, secus ac plurimi existimant, quia caritas ex uno capite non obligat cum incommodo gravi (quo divortia non carent), ex altero incontinentiae alterius consulit (V. Salm., 9, 16, 28; S. Alph., VI, 963, 964, 974).

(28) Sanch., 10, 18, 3.

(29) Ex *Matth.*, XIX, 9; Reiff., IV, 19, 30; D. Th., in 4, Dist. 35, Art. 6, ad 4.

(30) Ex C. ult., *De Divort.* Nisi aliud sententia in ipsa fuerit expressum.

(31) C. 21, Can. 27, 2; CC. 5, 6, *De Conv. Coniug.;* Reiff., III, 32, 33.

(32) Suppl. D. Th., 62, 6, ad 4. Seu propria auctoritate diverterit, seu (verius) officio iudicis (S. Alph., VI, 967). Ideo reus non potest ad

eadem (v. c., adulterium) admiserit (33), vel resipuerit (34). At si divortium est temporaneum, cogitur recipere reversum ad fidem (35); periculo, ob quod divertit, prorsus remoto (36).

472. Demum coniux prohibetur toro, seu potius interdicitur iure petendi: I si votum castitatis emiserit, sed de hoc serius; II si cum coniuge suo contraxerit affinitatem (37): nempe in poenam iniuriae, qua affecit coniugem (38); ideo excusant (cum poena sit prorsus extraordinaria), ut alias, metus gravis (39), et ignorantia seu facti, seu iuris, seu poenae (40). Non item si cognationem spiritualem (§ 286, n. 15), licet citra omnem necessitatem, contraxerit; quae communior, et verior sententia est; ideo petere licite potest (41). Verum licet in I casu sacrilegii, in II incestus teneatur, fornicationis in neutro tenetur, quia verum est, ipsum cum coniuge suo rem habere (42).

APPENDIX

DE PRIVILEGIO PAULINO QUOD VOCANT (1).

473. Privilegium Paulinum *fidei privilegium* appellatum est, quia ad infidelium conversionem faciliorem reddendam fuit introductum. Et eiusmodi est: coniuge infideli baptizato, matrimonium non illico,

religionem vel ordines transire, nisi alter permiserit, saltem tacite (V. Sanch., X, 10), aut elegerit statum irrevocabilem (S. Alph., 969).

(33) Sanch., 30; contra Pont., IX, 20. 6.

(34) Pont., IX, 19, 6; Reiff., IV, 19, 97. Ne ex caritate quidem, v. c., ob periculum incontinentiae, quia non caret incommodo gravi (S. Alphons., VI, 965).

(35) C. 6. *De Divort.*

(36) V. Salm., 9, 16, 40.

(37) Seu vir cognoverit consanguineam uxoris (CC. 1, etc., *De Eo qui cognov. consanguin.*); seu mulier viri, quod ex *constanti* DD. *interpretatione* receptum est (Schmalz., IV, 13, 25): nempe non ultra secundum gradum (Sanch., IX, 9, 14). Non item si affinem cognoverit (De Iust. II, VII, 85), quia *affinitas non parit affinitatem* (Prol., § 62, n. 15).

(38) C. 6, *Eod.* Qui tamen potenit debitum petere; etsi delicti particeps fuerit (Contra Sanch., XI, 27, 3), quia poenae non sunt producendae de casu ad casum.

(39) Salm., 9, 15, 28; S. Alph., VI, 1071.

(40) Ex cit. C. 1; De Iust., II, 7, 74. Utputa, si vir cognoverit uxoris suae consobrinam, ignorans vel eam consobrinam esse, vel se incestum admittere, vel ex incestu impedimentum oriri (S. Alph., VI, 1072, 1073, 1074). Ab hoc impedimento dispensat Ordinarius (S. Alphons., VI, 1076).

(41) Ex C. 3, *De Cognat. Spirit.;* Pont. X, 6, 4; Croix, VI, I, 358; S. Alph., VI, 150.

(42) S. Alphons., VI, 962, v. *Notandum.*

(1) V. I *Corinths.*, VII, data an. Christi 57; 14° ex quo Paulus illam ecclesiam fundaverat. En verba qui bus continetur: — vers. 12. *Dico*

sed, altero coniuge renuente ad fidem converti, baptizatus illico liber fit, et acquirit ius discedendi a coniuge infideli, et ad alias nuptias transeundi. *Renuente*, nam si et ipse converti velit, cessat privilegium (2), ceteris paribus (3), et planum est.

474. *Discedendi*, etiam coniuge invito (4). Nihilominus si is consentit habitare cum illo, nempe sine contumelia Creatoris (5), et quin eum pertrahat ad mortale peccatum (6), hortatur Apostolus (7), ne ab ipso discedat: scilicet ut illum Christo lucrifaciat; at-

ego non Dominus; si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. — 13. *Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* — 14. *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.* — 15. *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subiectus est frater in huiusmodi* (casu?); *in pace autem vocavit nos Deus.* — Caput perdifficile quod vix unus et alter ex PP. obiter attigit, uno excepto Augustino, qui illud late versat ex parte; ad cuius intellectum fatetur (*Retractationum*, Lib. I, C. 19, et Lib. X, C. 57) *se nondum pervenisse.* Nec minus impervium scholasticis visum fuit, adeo ut Cajet. mirari se dixerit, quo pacto ex his Pauli verbis ius novas coeundi nuptias derivari possit. Et Catharinus affirmat: *Se nullum auctorem invenisse in quo conquiescere possit.* Sed certos nos facit tum constans Ecclesiae interpretatio, tum decisio Innoc. III, an. 1212 in C. *Quanto*, I, *De Divort.* Dixi, solum Augustinum hoc caput late versasse, sed *ex parte:* scilicet duo suadet Apostolus; 1° si infidelis consentiat habitare cum fideli, is eum non dimittat; 2° sin discedit, discedat: primum late versat duobus libris contra Pollentium, alterum obiter et ipse perstringit in libro *De Fide et operibus*, C. 28.

(2) C. 8, *De Divortiis*, in fine. Ideo est quaedam tacita *sine qua non* huius privilegii conditio (Card. De Lauraea, Lib. III, *h. t.*, Disput. 16; Giovine, *De Dispens.* etc., To. I, Cons. 18, § 277, 3).

(3) *Ceteris paribus:* scilicet nobis de coniuge fideli sermo est, cui nulla specialis obstat ex suo delicto seu iniuria erga alterum obligatio.

(4) D. Th., in 4, Dist. 39, qu. 1, art. 4. Nempe quasi ab adultero (spirituali); et quia baptismus regeneratio est (D. Th., *l. c.*).

(5) C. *Si infidelis*, 2, caus. 28, § 2. Idest sine *blasphemia divini nominis* (C. VII, *De Divortiis*); *hoc est, non sine periculo subversionis coniugis fidelis vel non sine execratione SS. nominis Christi et christianae religionis despicentia* (Ben. XIV, *De Synodo*, VI, 4, 3). Si prohibet educari prolem in religione catholica (S. U. I., *Collect.*, 946), si non vult desinere a concubinatu; vel, si alias uxores duxit, eas dimittere nolit (S. U. I., *Instructio ad Vic. Siamen.*, anno 1859; 4 iulii 1866).

(6) C. 7, *De Divort.* Ipse; non si eius consanguinei et domestici (S. C. de Prop., 5 mart. 1816, ad 3; *Collect.*, 934).

(7) Cit. I *Corinth.*, VII, 14, 15. Hoc Apostoli consilium esse, docent *scholastici prope omnes;* in his D. Th. (*l. c.*, art. 3, ad 4) et D. Bonaventura. Pontius (VII, 48, 6) praeceptum putat: quaestio otiosa; nam vel ipse Pontius fatetur, praeceptum esse *legis non quidem divinae, sed tantum pro temporum opportunitate constitutae ab Apostolis* (V. Perez, 36, 6, 12).

que ideo ex lege caritatis, sive erga Deum sive erga proximum (8). Et quamdiu non discedit, iura et obligationes quae ex matrimonio inter ipsos consistunt integra permanent ultro citroque (9). Sed tamdiu cohabitare licet, quamdiu *probabilis spes est* conversionis infidelis (10). Et, quia caritas regulariter non obligat cum gravi incommodo, fas est discedere ex quavis causa gravi; et, quandocumque fas est (11). Et in potestate sua est *qualemcumque* maluerit vitae statum eligere (12).

475. Atque ideo et ad alias nuptias transire. Scilicet, ne invitus cogatur perpetuo coelibem vitam ducere; quod multos retraxisset a christiana religione amplectenda. Non semper tamen coniuge invito, verum si is discedat (13), aut nolit cohabitare sine contumelia Creatoris (14), nam si velit *converti*, aut *habitare* velit sine contumelia, etc., vetitum est *illic* iure divino (§ 475), *hic* iure cano-

(8) *Discessionem quam non prohibet Dominus praecepto legis, prohibet Apostolus consilio caritatis* (S. Aug., C. 9, caus. 28, § 2).

(9) Ideo uterque et petere potest et reddere necesse habet; et uxor in officio viri (Par. II., § 561, n. 4) esse debet. Quod ad iura et obligationes circa liberos, haec perpetua sunt, quippe naturalia (V. Prol., § 53).

(10) D. Th., cit. quae 1, art. 5, ad 4. Ulterius non licet propter perversionis periculum; et, quia infidelis christianam religionem contemnere videtur, ne huius contemptus quasi complex videatur (Sanch., VII, 73, 13).

(11) Licet post baptismum susceptum iterum sese cognoverint (S. U. I., 2 aug. 1759; 20 septem. 1848): vel initum in infidelitate matrimonium ratum habuerint (S. U. I., 20 sept. 1848, prob. Pio IX, ap. Del Giovine, § 272, 2, 3).

Porro de cohabitatione fidelis cum infideli nolente converti non una fuit ecclesiae disciplina. Primis ecclesiae saeculis, quando passim ad fidem convertebantur tum hebraei tum gentiles, coniux fidelis hortabatur ab infideli non discedere; serius, hebraeis huic religioni infensis, vetitum est cum his habitare (Conc. Tolet. IV, C. 10. Cau. 28, an. 1663), permissum cum gentilibus; postea, his quoque infensis, et cum his vetitum est: *nunc pari passu ambulant hebraei et gentiles* (D. Th., art. 3, ad 2; Sanch., VII, 73, 12). Hodie haec varie aestimantur ex personarum, rerum, locorum adiunctis (V. Ben. XIV, *De Synodo*, XIII, 21, I, in fin.).

(12) V. c., coelibem aut religiosum.

(13) S. C. de Prop., 30 ian. 1887; *Collect.*, n. 933. Ex quacumque causa, licet non ex odio fidei, discedat (S. C. de Propag., 30 ian. 1807; *Collect.*, n. 933): quam idcirco nec oportet inquirere (S. U. I., 8 iulii 1891). Non item si discesserat ante baptismum, licet aliam uxorem duxerit (S. C. de Prop., 5 mart. 1816; Giovine, § 275, n. 4); vel postea discedat ex causa gravi et velut iure suo (C. 8, *De Divortiis;* Pont., VIII, 48, 13); v. c.; ob adulterium post baptismum admissum (S. C. de Prop., 17 ian. 1797, apud Perrone, L. II, C. VII, art. 2; 30 ian. 1807; *Collect.*, 933).

(14) C. 7, *De Divortiis;* Sanch., VII, 74, 4.

nico (15) ad alias nuptias transire. Et si quid infidelis velit, non satis apparet, ei, qui a priori, quo tenetur, coniugio discedere vult, incumbit (quasi actor) onus probandi, conditionem, qua id ei permittitur, non deesse (16), idest coniugem infidelem neutrum velle, neque converti, neque cohabitare, etc.: atque ideo eum de sua voluntate interpellare opus est.

476. Est autem interpellatio – *Actus quo conversus petit a coniuge infideli, num velit et ipse converti, secumque habitare* (interpellatio *simplex*); *an saltem* (interpellatio *duplex*) *cohabitare sine*, etc. (17). Interpellato autem necesse est congruas, arbitrio boni viri (18), inducias ad deliberandum dare, quibus frustra elapsis, etsi absque illius culpa (19), fas est ad alia vota transire.

Facienda est autem haec interpellatio post baptismum (20); et ita est facienda, ut de ea quandocumque constare possit (21). *Con-*

(15) S. C. C., 23 ian. 1603, apud Bened. XIV, cit. C. 21, n. 1. Et ita consilium Apostoli (§ 474) in praeceptum versum est, quod velim ne excidat. Verum quia hoc decretum nulla clausula irritante munitum est, contractum forte matrimonium, irritum dici nequit (V. Prol., § 210, n. 4).

(16) Ben. XIV, *De Syn.*, VI, 4, 3.

(17) V. Sanch., VII, 74, 12. – *A coniuge*, ideoque ab eo solum quocum valide contraxit, et planum est (V. n. 25). *Secumque*, etc.: nec satis est interpellare tantum an velit converti (S. C. de Propag., 5 mart. 1816, apud Giovine, § 276, 2) quippe magis exhortatio ad amplectendam religionem videretur.

Card. De Lauraea (To. III, Disp. XVI) tenet fidelem non posse iure divino ad alias nuptias transire ex illis Pauli verbis – *si discedit, discedat.* Quamdiu igitur non discedit, fidelis ad alias nuptias transire non potest. Non nihil detorta (absit verbis invidia) videtur haec interpretatio. Sensus obvius et naturalis verborum Pauli hic est: coniux fidelis, si infidelis vult cohabitare, non dimittat illum; si cohabitare non vult, non oportet eum de hac re sollicitum esse, *unde enim scis, mulier, si virum salvum facies? aut unde scis, vir, si mulierem salvam facies!* (v. 16); alias adhuc *subiectus esset servituti* (eique gravissimae) *frater aut soror* (v. 15).

(18) Sanch., VII, 74, 18.

(19) Ex S. U. I., 22 nov. 1871; S. C. de Prop., 12 iunii 1850; *Collect.*, 937-948. Item si non venerit *intra iustum aliquod et rationabile temporis spatium* (S. U. I., 12 iunii 1850; *Collect.*, n. 948). *Absque*, etc. Scilicet unum heic inspiciendum est, utrum nempe conversus priori coniugio frui possit: et si non potest, privilegio Paulino ei succurrendum est, ne in perpetua viduitate manere cogatur. Nec inspicitur, qua de causa id accidat, casu ne, an fato infidelis, aut ipsius fidelis (dum ne accidat huius culpa), puta si ignoratur ubi interpellandus moretur, vel amentia laboret; si respondeat redire velle, sed prohiberi, v. c., detentum in vinculis, vel a creditoribus, vel captivum (V. S. C. de Prop., 12 iunii 1850, 22 nov. 1871), quid enim interest interpellantis utrum sibi in perpetuo coelibatu haerendum sit alterius malitia, an fato, an casu? (Ex LL. 60, 61, *De Aedilit. Edicto*).

(20) S. U. I., 13 aprilis 1849; *Collect.*, n. 958.

(21) Synod. Sutchuen., an. 1803, Cap. IX, § 8. Porro si matrimonium non contrahitur infra an. ab impe-

trovertitur utrum iudicialis esse debeat (22); utrum *per se* facienda sit nomine et auctoritate R. Pontificis (23). Cessat, 1° si de obstinatione infidelis certo moraliter constet (24); 2° si fieri nequeat absque gravi difficultate aut periculo gravi, v. c., fidelium, vel interpellantis, aut omnino fieri non possit (25): verum haec in aestimatione R. P. esse debent, qui in re tam gravi iudicium facti sibi reservat; quod cum prodit, improprie dispensare dicitur; 3° si R. Pontifex ab ea dispensaverit. Sed utrum et quatenus dispensare possit, pendet ex alia quaestione nondum resoluta, utrum interpellatio necessaria sit ex iure divino (26). Sententia longe communior affirmat. Et iure prorsus qua et quatenus necesse est explorare voluntatem infidelis, an velit converti (§ 473); at qua ab eo nolente converti petitur utrum velit *cohabitare saltem*, etc., cum haec interpellatio ex praecepto Ecclesiae (olim Pauli consilio) initium et statum capiat, vix intelligi potest, aut ne vix quidem, quo pacto ex iure divino sit repetenda (27). Itaque dicendum puto, esse ma-

trata dispensatione, haec (non interpellatio) pro nulla erit (S. C. de Propag., 26 inii 1820; *Collect.*, 936).

(22) Iudicialem esse debere tenet Bened. XIV (*De Synodo*, XIII, 21, nn. 4, 5), et est sententia communior (V. Del Giov., § 277, n. 3). Sed ex Iure canonico est.

(23) Sanch., VII, 74, 17.

(24) Sanch., n. 15. Communissima (Breno, Lib. III, n. 67). Vel *nullius utilitatis fore reputatur* (S. U. I., 8 iulii 1836; *Collect.*, n. 941). *Certo moraliter*, quia non sufficerent praesumptiones (S. C. C., 23 ianuarii 1603).

(25) S. C. de Prop., 17 augusti 1749, de mandato SS. Et si infidelis plures duxit nec recordetur quae fuerit prima (Paulus III, B. *Altitudo*, 1 iun. 1537); vel serio dubitat an matrimonia fuerint, vel contubernia (S. U. I., 8 iunii 1836, probante Greg. XVI; Perrone, cit. L. II, C. 7, art. 11), interpellatio cessat. *Eoque magis* cessat si matrimonium fuit nullum, etsi bona fide contractum (S. U. I., 4 iulii 1880, *Ad Vicar. Apost. Siamen.; Collect.*, n. 950). Et nullum esse tenendum est in illis regionibus *in quibus coniuges pro lubitu dimittuntur, vel pro lubitu discedunt* (S. U. I., 8 iunii 1836; V. *Collect.*, n. 941).

(26) Quaestio haec proposita in S. C. de Prop., 5 mart. 1816 (*Collect.*, 934), insoluta remansit et adhuc remanet.

(27) Sane interpellatio eo spectat ut infideli sartum tectum sit ius permanendi in suo coniugio: qua autem lege ei hoc *ius* competit, eadem prorsus oritur ex diverso interpellandi *obligatio:* atqui, etc. Quid quod ius divinum, quod universale et perpetuum est (Prol., § 197), heic variasset pro temporibus et personis? (§ 474, n. 11). Quid quod de interpellatione in veteri disciplina, immo usque ad Gregor. XIII nec vola nec vestigium? Quod necessarium esse, negarunt veteres (Panormit., Ricc., Palud., etc.; Sanch., *l. c.*, n. 14): recentiores non pauci, nec infimae notae putant omitti posse quando infidelis latitat, aut in longinquas regiones discessit: Benedict. autem XIV (*QQ. CC.*, quae. 541, § 37 in fine) probabile esse censuit omitti posse *concurrentibus legitimis circumstantiis, et signanter ob difficultatem reperiendi primum coniugem;* quod et ipsa S. C. C.

gis ad instar impedimenti canonici; sive impedientis, sive dirimentis: nam neque hoc satis exploratum est (28). Porro quoad novum matrimonium initum non fuerit, integrum est infideli illud impedire spondendo conversionem, vel cohabitationem sine, etc., et planum est ex dictis: sed novis valide initis nuptiis, non antea, primum matrimonium *ipso iure* dissolvitur (29); etiam (indirecte et per consequens, cum claudicare non possit) quoad coniugem infidelem (30).

477. Hoc privilegium solis baptizatis competit et cum solis baptizatis; non cathecumenis vel cum cathecumenis (31); utrum autem solis catholicis et cum solis catholicis, quaestio gravissima est, et adhuc sub iudice.

Haec ego quasi minus sapiens; omnia nedum S. U. I. responsis (a quibus certum est nec latum quidem unguem discedere), sed et sapientibus plane submitto.

CAPUT II.

DE MATRIMONIO DUBIO.

478. Hactenus de matrimonio valido: quid si dubitetur, utrum validum fuerit, an nullum? probabiliter, inquam, nam dubium leve contemnendum est (1). Principio, is qui dubitat necesse habet rem explorare diligenter; et interim petere nequit (2), sed reddere debet (3). Posthac vero, si certo non appareat matrimonium irritum

censuit in Florent. 29 mart. 1727. Quo pacto demum conciliari potest cum iure evangelico, quod nullam dispensationem recipit, haec tam facilis, tam obvia et pene quotidiana dispensatio?

(28) S. U. I., 28 maii 1856, hanc quaestionem examinandam proposuit, nec adhuc, quod sciam, id factum est. Sane, si interpellatio non rite ante baptismum, vel sine auctoritate apostolica facta fuit, Pius IX, f. r., benigne declarare dignatus est, coniuges. de quibus agitur, non esse inquietandos (S. U. I., 3 iun. 1874; vide *Collect.*, n. 958); si penitus fuit omissa, noluit quaestionem definire, sed potestatem fecit praefectis et vicariis apostolicis in locis missionum ab ea dispensandi (fer. V^{a}., 11 aug. 1859). Verum si est ad instar impedimenti, apage interpellationes (consulenda est cit. Decis. S. U. I., an. 1856). Et quando de illa heic sermo incidit, facultas quae a S. Sede missionariis concedi solet, strictae interpretationis est, nec ad alias personas (v. c., data pro neophitis ad cathecumenum), aut alia loca trahi potest (S. C. de Prop., 16 ian. 1683, ap Giovine, § 280, II; Ben. XIV. At Cap. 21, nn. 3, 5).

(29) Ben. XIV, *De Syn.*, VI, IV, 4. Quae hodie recepta et omnino tenenda sententia est. Ipso iure, et non officio iudicis, ceu existimat Card. De Lauraea (To. III, Disp. 16, 196).

(30) D. Th., *l. c.*, art. 5; Sanch., VII, 74, 1.

(31) S. U. I., apud Giovine, § 275, 3; S. C. de Prop., 16 ianuar. 1683, ap. eumdem, Consult. 18, § 280, 7.

(1) C. 44, § 1, *De S. E.*

(2) C. 2, *De Secund. Nupt.*

(3) C. 2, *De Secund. Nupt.*; C. 44, *De S. E.*; S. Alph., VI, 903.

fuisse, pro matrimonio (quod possidet) regulariter respondendum erit (4); ideoque tametsi pro valore matrimonii *nulla*, pro nullitate *probabilis* tantum (Prol., § 260) ratio subsit (5): et licet ipse in mala fide (Par. II., § 127, n. 21), idest dubius impedimenti, matrimonium contraxerit (6). *Regulariter*, nam in impedimento *ligaminis* (idest, si is dubitet de morte prioris coniugis), quia prius matrimonium possidet, quamdiu sibi non *constat* illud solutum fuisse, petere nequit, etsi contraxerit *bona fide* (7).

479. Atque haec generatim: aliquid speciale est in impedimento impotentiae: de hac tria constare debent: 1° impotentiam revera subesse, 2° matrimonio anteriorem fuisse, et 3° esse perpetuam (§ 431): quoad haec omnia non apparuerint certa et manifesta, matrimonium possidet. Itaque quamdiu dubitatur an subsit, conari in rem licet (8). Si certum sit impotentiam subesse, sed non constet utrum anterior matrimonio fuerit an posterior, siquidem est naturalis, anterior praesumitur, quia naturalia sunt perpetua; sin est accidentalis, posterior habetur, nisi mulier intra bimestrem a matrimonio reclamaverit (9). Demum si constat anteriorem fuisse, sed non apparet perpetuane sit, an temporanea, datur coniugibus experimentum triennale (quo hodie vix utimur), et si toto eo tempore convenire nequiverint, perpetua censetur (10): et ipsi separari de-

Scilicet, *ex iure*, quod alteri coniugi competit, poterit certam sibi conscientiam facere de *obligatione* reddendi.

(4) Ex S. U. I., 18 dec. 1872; Sanch., II, 41, 46; Lugo, *De Iustit.*, XVII, 88. Quamvis dubium non potuerit vinci (S. Alph., VI, 904). Porro matrimonio inito cum haeretico, vel infideli, si dubitatur num ille revera, hic validum baptismum susceperit, *heic* pro baptismo respondendum erit (S. U. I., *Instructio ad Vic. Apostolicum Oceaniae* an. 1843, et 18 dec. 1872); atque ideo *hic* ratum habebitur, *illic* irritum Ceterum apud barbaros, qui ex moribus regionis uxores pro lubitu dimittunt, vel cum ad alias regiones transeunt, utrum verum matrimonium contrahant, quaestio plerumque magis facti quam iuris est (S. U. I., *Instructio* 2 octob. 1860).

(5) S. Alph., VI, 905.

(6) S. Alph., VI, 906.

(7) S. Alph., *l. c.*; V. § 127, n. 35.

(8) Ex C. 1, *Eod.*; C. 5, *De Frigid.* Quamvis extra vas fundat (Ex C. 6, *De Frigid.*; Sanch., IX, 17, 20; S. Alph., 1103). Nempe, quamdiu spes probabilis est seminandi intra vas (Sanch., n. 24; Laym., XI, 4).

(9) Sanch., VII, 103, 4 etc., 110, 3 etc.; S. Alph., VI, 1104. In dubio, utrum sit naturalis, an accidentalis, propter favorem matrimonii (quod ad prolem cum primis procreandam contrahitur), aequius est naturalem praesumi (Ex S. Alph., *l. c.*).

(10) C. 9, *De Frigid.* Utrum vero triennium iniri debeat a die matrimonii, conataeque rei (Sanch., VI, 110, 4; Salm., 9, 12, 138; S. Alphon., VI, 1103); an a iudicis decreto? (Pont., VI, 66, 12; Heringq.; Mazzotta). Hoc non improbat Schmalz. (IV, 15, 85), sed primum est verius,

bent (seu absoluta seu relativa illa sit); nempe illico *a seipsis*, quoad torum (11); quoad habitationem, *officio iudicis* (12), nisi urgeat periculum incontinentiae (13). Verum ad alias nuptias transire neutri fas est, nisi post sententiam, eamque ex appellatione confirmatam, matrimonium dirimentem (14): immo impoti nec post sententiam id licet, nisi impotentia fuerit relativa (15).

CAPUT III.

DE MATRIMONIO NULLO, ET DE MATRIMONIIS REVALIDANDIS.

480. Denique videamus quid iuris sit, si apparuerit matrimonium nullum prorsus fuisse. Matrimonium nullum vulgo dicitur illud, quod cum aliquo impedimento dirimente (impedimenti vocabulo heic latissime accepto) initum fuit. Omitto ea impedimenta quae non dispensantur; sive quia dispensari non possunt, *impotentia, ligamen, consanguinitas* in primo gradu lineae tum rectae, tum forte etiam obliquae; sive quia dispensari non solent, *affinitas* ex copula licita in linea recta, *votum solemne*, *ordo sacer*, propria *cultus disparitas*, et *crimen* publicum. Ceterorum duo sunt genera, unum eorum, quae et dispensationem recipiunt et dispensari

quia experimenti, seu iussu seu iniussu iudicis facti, eadem prorsus et vis et ratio est: alias quidni possent et per tricennium conari? Ceterum si sponsi contraxerint matrimonium ante pubertatem plenam (Prol., § 29, n. 17), verius est triennium a plena dumtaxat (Sanch., VII, 110, 10) esse computandum. Et continuum triennium esse debet (Cit. C. ult., in fin.). Nempe moraliter; itaque si, e. c., vir per unum vel alterum mensem quolibet anno aegrotaverit, vel absens fuerit, non oberit; sin diu, supplendum erit (Sanch., VII, III, 6; Schmalz., IV, 15, 88; S. Alph., VI, 1103). Quae de impotentia diximus, aptanda et ei sunt qui, ob nimium calorem, *semper et omnino* praepropere seminat extra vas, post experimentum triennale (D. Th., in 4, Dist. 24, Art. 2 ad 2; V. Sanch., VII, 92, 7; Pont., VII, 60).

(11) C, 4, *De Frigid.;* Sanch., VII, 97, 2.

(12) Ex C. 3, *De Divort.;* Viestn., IV, 15, 47; Schmalz., IV, 15, 69. Nempe ad vitanda scandala (Sanch., n. 8): nisi malint cohabitare quasi *frater et soror,* remoto quovis incontinentiae periculo (C. 4, *De Frigid.*); quod perdifficile est (Sanch., VII. 97, 6).

(13) S. Alph., VI, 1101.

(14) Ben. XIV, C. *Dei Miseratione.*

(15) V. S. Alph., VI, 1098. Porro sententia, qua matrimonium diremptum fuit, numquam transit in rem iudicatam: ideo si postea apparuerit, impotentiam, vel nullam, vel non perpetuam fuisse, ad matrimonium diremptum redeundum est, quamvis uterque coniux ad alia vota transierint (Ben. XIV, *l. c.*). Ceterum si putati coniuges sint in bona fide, regulariter, in ea relinquendi sunt (Gury, II, 856, 3; Scav., 806, 4). Et si forte *ipsimet* confessarium de hac re interrogent, consulant, is nihil respondeat inconsulto Ordinario (Gouss., n. 791).

solent; *cognatio*, *publica honestas, crimen* occultum: alterum eorum quae dispensatione non egent; *raptus*, *clandestinitas*, *defectus* seu *vitium consensus*,

481. Sed ante omnia admonendi sumus *causas matrimoniales* hodie ad *Episcopi tantum* (1) et Vicarii Capitularis iurisdictionem (2) pertinere. Tractandae sunt iuris ordine, ut alias, et quae ad matrimonia dissolvenda pertinent, ad normam Const. Bened. XIV *Dei Miseratione* 3 nov. 1741 expediendae sunt. Huius autem duo sunt specialia et substantialia; ut omnibus actis intersit iuratus defensor vinculi; utque is a sententia, quae forte matrimonium diremit, ad iudicem superiorem appellet ex officio, nec acquiescat nisi post *duas conformes* pro nullitate sententias (3). Appellationes autem sunt omnes in devolutivo (4). Verum benedictina constitutio tunc proprie locum habet, cum impedimentum versatur, quod magis facti quam iuris quaestionem habet, idest quod examen desiderat et iudicis arbitrium (5): nam in his, quae sunt magis iuris quam facti, si impedimentum sit patens et evidens *ex certo et authentico documento*, *vel ex certis argumentis*, *vel ex testibus fide dignis, res summarie expedienda est*, *cum interventu tamen defensoris vinculi; nec opus est secunda sententia* (6). Immo nec huius interventu opus est, si matrimonium initum fuerit sine parocho et testibus ubi Tridentinum viget (7), quippe heic et forma seu figura matrimonii deest.

(1) Trid., XXIV, *R.*, 20; S. C. C., *Instr.* 22 aug 1840; Cf. Manzella, Cap. VI, Art. 1, n. 1. Et probabilius Vic. eius Gener., (Sanch., III, 29, 18; Manzella, n. 3; Prol., § 96, n. 45). Qui v. g. hanc potestatem adimunt, ea cum primis ratione nituntur, quod causae huiusmodi *dignitati* Episcopali cohaerent (Sbrozzi, *De Vicar. Episcopi*, L. II, C. 42, n. 26): ratio devia, nam ea quae pertinent ad hierarchiam iurisdictionis, ad ordinis iurisdictionem transfert.

(2) S. C. C., 30 maii 1602; Ferrar., v. *Vicar. Capitularis*, II, 20. Etiam delegatas Episcopo, sede plena, si eas expedire utile sit (Ricci, *Praxis*, etc.; Marchetti, *Prax. Vic. Capit.*, P. 2, Tit. 13. n. 15). Alii autem licet nemini, qualibet contraria consuetudine vel privilegiis sublatis (Ben. XIV, C. *Dei Miseratione*, § 4; S. C. C., *Instructio* 22 aug. 1840).

(3) Cit. Const., §§ 6, 8. Nisi a secunda quoque provocandum duxerit (*ib.*, § 11).

(4) Cit. Const., §§ 9, 11; immo ne transire quidem possunt.

(5) Ut vis, error, impotentia, frigiditas, raptus, crimen.

(6) S. U. I., 4 mart. 1885. Instructio S. U. I., 5 iunii 1889; ut puta, ordo sacer, solemnis professio, cognatio, propria cultus disparitas. Et si matrimonium initum fuerit sub expressa conditione resolutiva, nulla declaratione fori ecclesiastici opus est ut coniuges possint ab invicem separari (S. C. C., 1 aug. 1748, apud Ben. XIV, *De Syn.*; XIII, 22, 8).

(7) Ex S. U. I., 22 iunii 1864, 4 mart. 1885. Ad ultimum constitutio benedictina non pertinet ad causas matrimoniales ad probandum matrimonium *per obitum* dissolutum fuisse (S. C. C., 14 dec. 1889).

482. Principio igitur si, post matrimonium contractum, aliquod impedimentum subesse dicatur, nihil innovandum erit quoad *publicum et notorium, aut idoneis testibus comprobatum fuerit* (8); tametsi uterque coniux subesse illud adfirmet (9). Postquam autem de eo satis constiterit, refert utrum publicum sit, an occultum. Porro occultum in hac *tota materia* accipere debemus, ut alias (Prol., § 242, n. 49), etiam formaliter tantum (10). Itaque si publicum est, vir et mulier continuo separari debent. Si est occultum, relinquendi sunt in bona fide, quamdiu latet utrumque (11): at, si non latet, separandi sunt; sive neutrum lateat, quod palam est; sive alterutrum tantum, quod est verius prorsus, quia ei quem non latet nedum petere, sed et reddere nefas est (12); quamvis, cognita ab altero nullitate matrimonii, separatio et scandala immineant (13). Separandi sunt autem quoad habitationem et perpetuo, si impedimentum non recipit dispensationem (14): sin recipit, siquidem est publicum, adhuc quoad habitationem; sin est occultum, quoad torum (nempe si nullum immineat periculum incontinentiae), donec matrimonium redintegratum fuerit. Videamus igitur de matrimoniis redintegrandis, sive (uti aiunt) revalidandis.

483. Matrimonium revalidare, est illud ex integro, denuo, contrahere: quaecumque igitur eis ineundis, haec et revalidandis regulariter necessaria sunt; et in primis consensus et forma Tridentina, ubi haec viget. Quod ad CONSENSUM attinet, meminisse oportet, voluntatem semel habitam (Prol., § 133, n. 7) etc., et in contractibus consensum (15), tamdiu habitualiter permanere, quamdiu non fuerit revocatus. Hac re, si uterque contrahentium, vel alter ex eis tantum, consensum praestitit cui aliquid obstat, in priori casu, sublato impedimento; in posteriori, accedente alterius consensu, contractus, *per se*, ipso iure perficitur (Par. II., § 412, n. 48):

(8) C. 3, *De eo qui cognov. coniug.*

(9) C. 5, *Eodem.*

(10) S. Alph., VI, 1111.

(11) Ben. XIV, Not. 87, 24. Maxime si vel fornicationis (V. Sanch., II, Disp. 38), vel separationis (C. 6, *De Consang.*) periculum impendat. Et quaerenti forte num liceat sibi debitum reddere, num petere, confessarius respondeat, omnes coniuges et reddere debere, et petere posse. Et si ille aliquam dubitationis suae causam proponat, respondeat ex causa quae praposita fuerit (V. Par. II., § 83, n. 15).

(12) C. 12, § *Porro, De Rest. Spoliat.*; C. 9, *De Secun. nupt.*; C. 4, *De S. E.* Quidam contra putant, quippe, aiunt, alter habet petendi ius. Respondeo: D. habet opinione sua C.; reipsa, N.

(13) V. Sanch., Disp. II, 39. Sed V. § 342, n. 57.

(14) Ex C. 4, *De Frigid.*

(15) Sanch., II, 32, 3.

ideoque et matrimonium naturali iure, nisi aliud obstet (16). Duo heic quaeri solent: I Utrum is qui consensum supplet aut renovat, scire debeat, actum vel consensum a se praestitum (atque ideo et matrimonium) nullius momenti fuisse? Utique; alias, cum *nil rolitum quin praecognitum,* non videretur consentire (17). II Utrum altera quoque pars debeat consensum renovare? Et quando utriusque voluntates *continuo* ipso iure uniuntur, *per se*, verius, non debet (18): per se, ideoque nisi dispensatio sub hac conditione (uti nunc assolet) data fuerit. Quoad FORMAM, cum haec eo speciet, ut constet de celebratione matrimonii, ne coniuges ad alias nuptias divertere possint, si hoc iam celebratum fuerit coram parocho et testibus, et impedimentum sit occultum, Tridentinum huc non pertinere, atque ideo matrimonium sine his redintegrari posse, communissima sententia est (19): tametsi et coniuges et testes, quo tempore matrimonium contrahebatur, conscii fuerint impedimenti (20). Nihilominus si impedimentum est ex his quae dispensationem, et in foro probationem recipiunt, matrimonium omnino revalidandum est secreto coram parocho et testibus, ne forte, si casu impedimentum postea innotuerit, coniuges divertere possint.

484. Age nunc: impedimentum vel non eget dispensatione, vel eget. Si non eget, siquidem mulier rapta aut matrimonium clan-

(16) Sanch., II, 32, 9; S. Alph., VI, 1114. Sane iure communi, matrimonium senatoris cum libertina, iure canonico matrimonium liberi cum serva, irrita sunt; et nihilominus si ille post amissam dignitatem, is post cognitam mulieris conditionem, in matrimonio perstiterit, convalescit (L. 27, *De Senator.;* C. 2, *De Coniug. Serv.*). Et quae nupsit impubes, vel invita, si pubes facta remanserit (C. 4, *Qui matrim. acc. poss.*), aut sponte coierit (C. 21, *De Sponsal.*), uxor efficitur. Et post C. Bened. XIV, *Etsi matrimonialis,* 27 sept. 1775, amplius dubitandum non est.

(17) Cit. C. 2, *De Coniug. Serv.;* L. 117, *De R. I.;* Sanch., II, 34, 2. Et absurdissimum foret, contrahere matrimonium eum, qui ignorat se matrimonium contrahere. Nisi forte velit, quasi ex integro, praestare consensum independenter ab eo, quem olim praestitit (S. Alph., VI, 1117, v. *Tertium*).

(18) Ex Less., II, 17, 72, ibique Navarr. et Lopez. Et expresse Sanch. (II, 32, 9, ibiq. D. Th., D. Bonav., etc.), Salm. (9, 3, 118, 119), S. Alph. (VI, 1114). Et re quidem vera, in dispensationibus, quae ante Conc. Trid. concedebantur ab affinitate ex copula illicita, deerant ea verba *de novo praestito consensu,* quae serius, post longas disputationes, insertae sunt (Navarr., *Cons.*, Lib. IV, Cons. 14, *De Sponsal.*).

(19) Ex Orac. S. Pii V, ap. Navarr., *Manuale,* 22, 70; Ben. XIV, Not. 87, 62; S. Alph., VI, 1110. Et iure prorsus, cum nihil heic metuendum sit (Sanch., II, 37, 11). Dixi Tridentinum *huc non pertinere:* scilicet in Oraculo S. Pii V, Tridentini, non *derogatio,* uti censuit Ledesma, sed *declaratio* continetur (Sanch., n. 7).

(20) S. Alph., VI, 1112.

destinum (proprie inquam) fuit, redintegrari non poterit nisi servata forma Conc. Tridentini (21). Sin autem vitium fuit in consensu, simulatus suppleri poterit quandocumque; erroneus, vel coactus suppleri debet postquam error, aut metus cessaverit (22), ut alias (Par. II, § 412, n. 48), et dum adhuc suppleri, vel renovari potest; et si fuit vitiosus ex una parte tantum, poterit suppleri etiam altera inscia (23). Nihilominus si impedimentum profluit ex metu gravi, et publicum sit, consensus hodie nulla ratihabitione, vel cohabitatione redintegrari potest, sed matrimonium iterum coram parocho et testibus est contrahendum (24).

485. At si impedimentum eget dispensatione, hac impetrata, necesse est (propter conditionem quae in ea continetur) consensum renovari invicem (25). Et, si impedimentum est publicum, renovari debet coram parocho et testibus (26); sin occultum, absque his renovari poterit (27): immo debebit, si oritur ex copula illicita (28). At vero, cum is, qui consensum supplet renovat, scire debeat matrimonium invalidum fuisse (§ 483), quomodo expedienda res erit, si ex eius notitia immineat periculum separationis, vel (quando impedimentum oritur ex copula illicita) infamiae alterius, simultatum, inimicitiarum, etc.? Et videamus, utrum in literis dispensationis insit, an minus, ea conditio: *altera parte de nullitate prioris consensus certiorata.* Si non inest, non oportet eam certiorare, quod ex dictis prono alveo fluit. Si inest, dicat, e. g.,

(21) Trid. XXIV, *R. M.*, 1, v. *Qui aliter.*

(22) Sanch., IV, 18, 7; Pont., IV, 17, 3.

(23) S. Alph., VI, 1114. Utputa si intus in corde suo apposuerit conditionem vitiantem (V. §§ 433, n. 3, et 448). Quid si ex utraque defuit? Et proculdubio renovandus erit ultro citroque; sed utrum debeat renovari mutuo, ceu vult Sanchez, quia *perinde est ac si matrimonium non esset contractum* (Sanch., VII, 32, 11); an *seorsum* renovari possit, uti S. Antoninus, Ricard., Turrian. et Silvius (penes eumdem Sanch.)? Et quidni hoc verius? Nam postquam unus consensum supplevit aut renovavit, consensus alterius ei perinde accedere potest, quasi is ab initio consensisset.

(24) Ex Orac. Clem. VIII, ap. Pont., IV, 24, 4. Et ita S. C. C. perpetuo censuit (16 dec. 1634, 13 septem. 1629; *Acta*, I, App. II; 30 septem. 1719): licet metum passus per plures annos permanserit cum coniuge, et liberos procreaverint (S. C. C., 15 iunii 1878; *Acta*, XI, 346). Secus ubi Trident. non viget (C. 24, *De Sponsal.*; C. 2, *De Coniug. Servor.*).

(25) Sanch., II, 35, 2.

(26) Schmalz., VI, 16, 276. Et si unus renuat parocho, ne per procuratorem quidem sisti, adeunda erit S. Sedes.

(27) Ex Oraculo S. Pii V; Corrad., *De Dispens.*, VII, 7, 7; V. S. Alph., VI, 1110. *Nisi periculum sit ne publicum fiat* (Sanch., II, 37, 11).

(28) S. Alph., VI, 1111.

uxor viro: *quando nupsi non habui verum consensum ; renovemus illum* (29). At si metuendum sit, ne alter exinde aliquid suspicetur, vel inquirat, *consultius erit* iterum S. Sedem adire, ut conditionem remittat, et sanet matrimonium *in radice* (30).

486. Matrimonia non dirimi citra incommoda plerumque gravissima, neminem fugit: ideo si parochus, aut confessarius forte re-

(29) Sanch., II, 36, 7; S. Alph., VI, 1110. Et caret mendacio, quia consensus nullus, consensus non est. Aut melius forte cum Gury (II, 900). *Dixit mihi confessarius matrimonium nostrum nullum esse.*

Porro S. Poenit., quoties dispensatur ab affinitate ex copula illicita, nunquam non adiicit: *Altera parte de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut delictum nunquam detegatur.* Principio tenendum est, ex mente S. Poenitentiariae, his verbis, non *monitionem*, ceu ratus est Sanchez, sed *conditionem* (Ben. XIV, Not. 87, 68) contineri. Quae velut in duas partes diducitur; nam id exigit, 1° ut altera pars consensum renovet, utque idcirco, 2° de nullitate prioris consensus certior fiat. In duobus his conciliandis Nostri laborant; et vel ipse Ben. XIV torquetur (Not. 87, 80). Mitto opinionem eorum, qui negocium expediri putant, si pars non ignara impedimenti cum ignara affectu uxorio convenerit: nam neque eam certiorem facit (Ben. XIV, n. 78), neque consensum eius provocat. Itaque, 1° alii putant, partem consciam impedimenti sic posse alteram partem interrogare: *pro mea consolatione, vellem de novo contrahere, eia contrahamus* (Sanch., Salm., etc.). 2° Alii sic: *si te non duxissem, velles nubere mihi?* (Busemb.. Salm., etc.). Vel, *si matrimonium nostrum irritum esset, velles denuo illud inire?* (Sanch., Salm., Ronc.). 3° Alii demum sic: *Angor scrupulis, ne nostrum matrimonium irritum sit; renovemus consensum* (Salm.; S. Alphons., VI, 1117, v. *Tertius*): eaque respondente, *contrahamus, vellem, renovemus*, confectum esse negocium. Verum in priori casu deest *utraque* conditionis pars; nam neque alter certior fit, neque utiliter consensum renovat, quia errantis nulla voluntas est (S. Alph., *l. c.*, v. *Quartus;* L. 117, *De R. I.*): in secundo deest cum primis *voluntas,* quippe desiderium voluntas non est(Pont., IV,23, 7; S. Alph., *l. c.*, v. *Quartus*): in tertio demum dubium iniicitur, non *scientia* praebetur (Leo, *De Disp. Matrim.*, P. 2; Bened. XIV, n. 75). Ab omnibus igitur, quasi captatoriis, aut saltem ambiguis,est abstinendum. Dices: at conditio dispensationis impletur saltem probabiliter, atqui in casu gravis necessitatis licet conferre sacramentum cum opinione vel tantum probabili (V. S. Alph., 1116). Sed quorsum haec prorsus non intelligo; nam *de contractu* dispiciendum est primum: certum est autem, matrimonium nullius momenti fuisse,utrum redintegratum fuerit dubium est, et oppido dubium; licet ne ad eam accedere, quam tuam non esse graviter metuis? Hoc toto, ni fallor, versamur cardine rerum. Quod si interim vir, durus forte et suspiciosus, petat, et mulier subterfugere nequeat, renovet secum ipsa consensum, et reddat (Caietan., Sot., Enriq., Ledes., Corrad., etc., ap. Sanch., II, 35, 9). Sententiam hanc Sanch. non improbabilem, et Paris., De Iust. (I, VI, 402; ibiq. Verric. et Ricc.) probabilem putant: scilicet *in hoc casu censetur S. Sedes eam* (conditionem) *relaxare, cum sit moraliter impossibilis* (S. Alph., VI, 1117 in fin.).

(30) V. Bened. XIV, *De Syn.*, XIII, 2, 21.

sciverint aliquod matrimonium irritum esse, sedulo eis curandum est, ut quam citissime redintegretur; quod ab *illo* officium, ab *hoc* caritas exigit. Sed utrum vir et mulier cogi possint illud redintegrare? Et si hoc neutrius vel utriusque culpa factum fuit, caritas tantum heic intrat; verum quia caritas non obligat cum incommodo gravi, ex hoc capite aut vix tenentur, aut nullo modo. Sin factum est unius culpa, idest si is consensum simulavit, si alterum coegit, aut decepit, nemo dubitat eum teneri ex iustitia, si quod ex divortio damnum alteri parti contingeret alias reparari nequiret (31). Secus, quidam eum adhuc teneri putant, quia lex iniuriam passis, non facientibus, opitulatur (32); alii negant, quippe obligatio tota ex iniuria est, quae sarciri aliter potest (33). Sententia utraque gravis; ego matrimonio nondum consummato his, eo consummato illis assentior (34).

APPENDIX

DE DISPENSATIONIBUS.

Heic dispiciendum erit: 1° de causis dispensationum, et de proponendis in supplici petitionis libello; 2° a quo petenda sit dispensatio; 3° de impetratis a S. S. dispensationibus expediendis (*).

ART. I. *De Causis dispensationum, et de proponendis in supplici petitionis libello.*

487. Dispensationes sine gravi causa concedi non solent. Sunt autem causae vel ordinariae vel extraordinariae. Ordinarie (de quibus tantum) quae in iure nominatim recensentur (1): et vel

(31) Sanch., l, II, 5; IV, 15, 5; S. Alph., VI, 1113.

(32) Pont., II, 5, 5; Navarr., 22, 25; Silv., *h. t.*, VIII, q. 11, dist. 4; Salm., 9, 3, 114, 115; Ex L. 2, *Ad S. C. Vellei.*; C. 7, *De Permut.* Et favet C. 1, *De Eo qui dux. in matrim. quam poll.*

(33) Sanch., *ll. cc.*; S. Alph., VI, 1113. Verum S. Doctor de eo solum loquitur qui simulate consensit.

(34) V. Par. II., § 244. Nec forte dissentiunt contrariae sententiae patroni; docent enim eum, qui ficta promissione mulierem duxit, teneri eam ducere (Sanch., I, 10, 3; S. Alphons., III, 642).

(*) Super hac materia olim satis implexa, varia et difficilia plura, me Assessore S. O., ac deinceps vel definita, vel pro conditione temporum reformata consultissime fuerunt a SS. D. N. Leone PP. XIII, de consulto S. U. I. Inde multa ex superiori editione ex hac exciderunt.

(1) Ben. XIV, 26 sept. 1754, eas recensuit in *Respons. ad quaesita Archiepis. Turonen.* (V. *Acta*, II. App. II, 62).

honestae sunt, vel *famosae*. *Honestae* hae: 1° mulieris aetas; 2° dotis defectus; 2° locus; 4° inimicitiae, aut 5° lites. *Famosae*, praeter *crimina*, 1° copula; et 2° infamia mulieris.

488. Et, I *aetas* puellae: *quae nempe 24 et ultra suae aetatis annum agens, hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit* (2): annum vero impletum esse oportet (3). II *Dotis defectus:* si PUELLA dotem nullam habeat (4), aut non sufficientem, ut viro paris conditionis non cognato nubere possit in proprio loco, in quo commoratur (5). III *Locus*, scilicet, 1° *angustus* (*angustia loci*), idest si mulier *in loco originis vel domicilii, ratione oratricis tantum*, virum sibi non consanguineum vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat (6): 2° *iuxta mare*

(2) Ben. XIV, *l. c.*, n. 3; Sanch., IV, 26. Et large accipiendum est (V. Sanchez, VIII, 19, 14); habita quoque relatione ad mores et ingenium personarum (Reiff., IV, 20, Appen. n. 76). Nec inquiritur, cur non invenerit (Pyrr. Corrad., *Prax. dispens. Apost.*, Lib. VII, Cap. 2, n. 93, etc.; De Iust., III, 8, 27, etc.). Quid si invenerat, sed noluit nubere? De Iustis (n. 30) tenet dispensationem non esse obreptitiam; nec est improbabile, si, post mutatam non nubendi voluntatem, revera nullum parem invenerit. Haec causa non admittitur in 2° cum 3° gradu, *nisi aliquid aliud illi adiiciatur* (Corradus).

(2) Pont., VII, 20, 2; Reiff., IV, 20, App. n. 93. Praeterquam in gradibus remotioribus (De Iust., III, 8, 11; Giovine, To. 2, Cons. XI, § 112).

(4) Ben. XIV, *l. c.*, n. 5. – *Habeat,* in praesens inquam (S. C. de Propag., 9 maii 1877, n. 3): nec enim obest si habitura sit post mortem parentum, si hi nolint eam dotare, aut non possint, quin egeant deducto (Sanch., VIII, XIX, 22, 25; Pont., VIII, 21, 23): immo etsi non desint qui intendant eam dotare (velut fratres), si puella nullum ius habeat ad eos cogendos (Corr., VII, 2, 24; De Iust., III, 3, 44). Idem iuris est si puella dotem renunciavit; dum ne renunciaverit, ut dispensationem facilius impetraret (Sanch., n. 26; Pont., *l. c.*). Item si bona quidem habeat ad dotem sibi constituendam, sed litibus implexa: vel si dives, sed litigiosa, hereditas ei obvenerit, et nubere velit tali viro, soli aut prae ceteris hisce litibus expediendis idoneo (Sanch., VIII, 19, 20; De Iust., n. 25; Pont., cit. n. 23).

(5) S. C. de Propag., *l. c.* – PUELLA (Corr., VII, 2, 86). Nihilominus ex hoc capite conceditur et viduis dispensatio, si filiis gravatae sint, quos novus vir alere promittit.

(6) S. C. de Propag., *l. c.*, n. 2, – Vel *domicilii*, secus ac antea (V. Ben. XIV, *l. c.*, n. 4). Porro LOCUM accipere debemus urbem, oppidum; non parochiam, si plures parochiae in eo loco sint. Angusta vero dicuntur quae *aut* focos 300, *aut* inhabitantes 3000 haud exsuperant (S. Dat. *Encycl.* iussu Pii IX, 30 aug. 1847, ap. Giovine, I, § 212, 3). At vero neque suburbium neque oppida, pagi, etc. ideo angusta censentur, nisi illud ab urbe (Corr., VII, 5, 41), haec *distent ad invicem ultra milliare* (S. C. C., 16 dec. 1876; *Acta*, IX, 579). VIRUM autem paris conditionis, non quemlibet accipere debemus, sed aequalem aetate, genere, opibus, ingenio, acceptum mulieri, et parentibus (Aversa; De Iust., III, II, 30); integrae existimationis et morum (Sanch., IV, XXVI, 23, 24); in

(*locus ad litus maris*), nempe invasionibus piratorum vel infidelium expositus: aut, 3° haeresi infectus, idest si ubi sponsa aut sponsus degit, catholici cum haereticis permixti vivant (7). IV *Inimicitiae,* nempe graves, ortae inter viri et mulieris parentes, vel consanguineos, vel affines (8). V *Lites* super rebus magni momenti, ortae inter virum et mulierem vel eorum parentes, dirimendae (9): dummodo inimicitiae vel lites huiusmodi aliunde (quam ex causa matrimonii) ortae (10), nec in fraudem (ad obtinendam dispensationem) excitatae fuerint (11).

489. Causae *famosae*, quae dicuntur *ob scandala vitanda*, sunt: I copula secuta inter contrahere volentes (12); nec non cohabitatio sub eodem tecto, quae facili negocio prohiberi non potest (13): II infamia mulieris, quia vir et mulier ita invicem conversati sunt, ut suspicio orta fuerit, licet falsa, quod se carnaliter cognoverint (14). Porro causa dispensationis heic non est copula, seu vera seu existimata (quia crimina dispensationem non merentur), sed ne mulier graviter diffamata et innupta remaneat (15), et gravia scandala exinde probabiliter sequutura (16). III Periculum concubinatus, vel eius cessatio. IV Periculum matrimonii mixti, vel celebrandi coram ministello acatholico, vel matrimonii, ut aiunt, civilis (17)!

quo et valetudo inspicienda est, et num ex alio matrimonio habeat filios (De Iust., *l. c.*). Ideo, etsi in eo loco reperiantur duo vel tres paris conditionibus cui nubere possit, vere adhuc dicitur non reperiri virum huiusmodi quocum possit matrimonium contrahere (In S. C. C., 16 decem. 1876, v. *Praeterea; Acta;* IX, 574). Verum haec causa non sufficit in gradibus propinquioribus: nisi mulier cogeretur dotem augere, aut nisi ex nobilibus, vel honestis familiis existat (V. Giovine, n. 2).

(7) Cf. De Iust., III, Cap. IX, X.

(8) Bened. XIV, *l. c.*, n. 6; De Iust., III, 5. Sive, *ob bonum pacis,* vel conciliandae, si inimicitiae iam exarserint; vel confirmandae, si pax recens inter eos inita sit (Ben. XIV, n. 7; De Iust., n. 6).

(9) Ben. XIV, n. 8. - *Super rebus* etc.; quod vir bonus varie ex personis aestimabit (Cf. De Iust., III, 4, 15).

(10) Ben. XIV, *l. c.*, 6, 7, 8.

(11) De Iust., III, 4, 18.

(12) Ben. XIV, *l. c.* n. 1.

(13) S. C. De Propag. *l. c.* n. 7.

(14) Ben. XIV, n. 2 - *Suspicio,* nempe *gravis* (V. Corr., n. 9).

(15) Ex C. 5, *De Eo qui dux.;* Sanch., VIII, 19, 9. Quamobrem si oratores dispensationem petant propter *falsam* copulam, et *verum* periculum infamiae vel scandalum, petitio obreptitia, verius, non est (Sanchez, VIII, 21, 45).

(16) De Iust., III, XVII, 2, etc.; v. c., ne iterum fornicentur, ne inimicitiae exardescant (*Ib.*, nn. 15, 16, 17). Verum ex his causis speciali commendatione Ordinarii opus est (Greg. XVI, Encycl. 22 nov. 1836).

(17) S. C. de Propag., nn. 11, 12, 13. Praeter has aliae causae recensentur: *praerogativa dignitatis regiae, conservatio illustris familiae, conservatio bonorum in eadem familia, excellentia meritorum*

490. In supplici vero petitionis libello haec proponere oportet: 1° oratorum nomina, cognomina (18), et dioecesis vel dioecesum, unde ipis origo est (19). 2° Species impedimenti, seu impedimentorum, infima (20). 3° Causae dispensandi; in quibus recensendis sedulo cavendum est, ne causa motiva sit falsa, alias dispensatio nullius momenti erit, quippe obreptitia (21). Ac demum, 4° quaecumque exponenda sunt *ex iure*, vel ex *stylo curiae*, ne petitio subreptione laboret (22). Ex hoc capite, 1° si quis duplici impe-

erga Ecclesiam, etc. (V. Giovine, To. I, Cons. XI, § 212, Cau. 6). Quin est causa, quae a Curialibus *causa sine causa* dici solet; nempe largior eleemosyna. Haec valet quando aut nulla, aut non sufficiens causa subest; aut sponsi verentur, ne forte sufficiens sit. In Rescripto Apostolico exprimitur illis verbis: *Ex certis et rationabilibus causis,* quae idcirco inquisitioni et aestimationi Ordinarii subtrahuntur, quamvis in Rescripto dicatur, ut Delegatus *de narratis diligenter se informet* (Corrad.; Rebuff.; Sanch., VIII, 35, 24, De Iust.; III, XIII, 6).

(18) V. Schmalz., IV, 16, 170. Prout sunt in libro baptizatorum (V. Corr., VII, 5, 23): sed si cui plura imposita fuerint, illud sufficit, quo vulgo appellari consuevit (Giovine, II, § 1, n. 1). Et si erratum in aliquo eorum fuerit, ante matrimonium impetrandae sunt litterae *Perinde valere.*

(19) V. Sanch., VIII, 21, 39. Vel *dioecesum* (Corrad., VII, 5, 25). Et praeterea, si dispensatio petitur ob angustiam loci, seu locorum, vel ob locum ad litus maris, horum quoque locorum nomina sunt exprimenda (De Iust., III, 2, 102). Quid si alter ex oratoribus, vel uterque sit haereticus, et reticitum sit? Del Giovine (I, 184, 2, etc.) putat dispensationem subreptitiam, atque ideo irritam fore, ex C. Ben. XIV, *Magnae nobis.* Sed ex ea Const. aliud prorsus evincitur: nam Executor si id resciverit, iubetur executionem *suspendere,* et rem S. Sedi renunciare (ergo inest et dispensandi potestas); et si secus fecerit, reprehenditur quod *dispensationem ipsam indebitum* EFFECTUM *habere permiserit.*

(20) De Iust., I, IV, 115. *Impedimentorum,* nempe si plura sint. *Species;* ideoque non unum pro alio, quamvis maius pro minore expositum fuerit, v. c., consanguinitas pro affinitate (Corr., VII, 5, 71; De Iust., n. 140), quia a disparatis non fit illatio. *Infima:* ideo, v. c., in voto castitatis exprimendum est, utrum sit perpetuae castitatis, vel religionis, vel non nubendi (De Iust., n. 183, etc.).

(21) Sanch., VII, 21, 11; Leo, *Prax. Poenit. Apostol.,* P. 1, *De Transgr, Vot.,* v. *Causae impulsivae - Motiva;* non enim audiendi sunt qui putant, obreptitiam petitionem esse, si causa impulsiva sit falsa, etsi motiva sit vera (V. De Iust., I, IV, 38).

(22) De Iust., I, IV, 15, 18. - *De iure.* Quod incidit in duobus casibus: 1° quando ius nominatim exigit ut ea proponantur; 2° quando vetat *in eo casu* dispensationem concedere (Cf. Sanch., VIII, XXI, 13). *Stylo Curiae; inconcusso* (De Iust., n. 18): immo, *scripto, notorio et speciali decisione ac declaratione* Pontificis confirmato (De Iust., n. 345, ibique Coevall., Ferret., Gratian., Boer.). Qua in re dolendum profecto est, non paucos haud infrequenter Curiae stylum obtrudere aut nullum, aut satis incertum. Scilicet hi nullitates matrimoniorum, quasi delicias, aucupari videntur! Ceterum *heic* ante matrimonium sententiis tutioribus adhaerendum est.

dimento detineatur, necesse habet proponere utrumque in eodem petitionis libello, si haec impedimenta vel se contingunt, vel unum augetur ex altero (23). 2° Si aliam dispensationem alias impetraverat eaque usus est, debet de hac re mentionem facere quum agitur vel de eodem *voto* castitatis (24), quia posterior dispensatio est velut extensio prioris (Prol., § 237, n. 10); vel de eodem *crimine* quia crimina remissionem, nisi semel admissa, non habent (25). Demum, 3° si vir *rapuit* mulierem, hoc quoque significandum erit (26); quamvis postea raptum purgaverit (27). Atque haec generatim; nunc singula ingrediamur.

491. Et a postremis, quippe facilioribus, ordientes; in impedimento *criminis* doceri oportet, utrum hoc fuerit adulterium, an homicidium, an utrumque simul (28); et si homicidium, num uno solum, an utroque patrante fuerit admissum (29). Et si alias *idem* (repetitum) crimen alteruter admiserit, et super eo dispensationem obtinuerit, et matrimonium contraxerit, hoc quoque doceri oportebit (30).

492. In *publica honestate*, si haec sit in primo gradu, doceri oportet utrum oriatur ex matrimonio (§ 434), an ex sponsalibus (31).

(23) Prol., § 237. Ut puta consanguinitas, et affinitas: votum castitatis, et ingrediendae religionis votum. Quamobrem, si duo, impetrata dispensatione, v. c., a tertio *simplici* consanguinitatis vel affinitatis gradu, coierint nuptias, et postea apparuerit *duplici* alterutrius, vel *utraque* esse coniunctos, ab omnibus EX INTEGRO petenda erit dispensatio uno eodemque libello. Et si unum sit publicum, alterum occultum, quod non potest revelari sine infamia vel quo alio dammo gravi, *illius* dispensatio a S. Dataria, *utriusque* a Sacra Poenitentiaria impetrari debebit (Leo, *Prax. etc.*, Par. II; Sanch., VIII, 23, 7). Nec refert utra prius adeatur (Guttier., Cap. 124, n. 23; Pont.; Bonac.; De Iust., I, 4, 106; Schmalz., *l. c.* Contra Giovine, II, § 5, 11): sed huius sententia ceteroquin consultissima est: et Sanch. (*l. c.*) exemplis probat.

(24) Suar., *De Legib.*, VI, 23, 16.

(25) Ex L. 3, C. *De Episc. Audien.;* Pont., VIII, 17, 8 – *Eodem.;* secus sin aliud; utputa, si prius fuerit adulterium, alterum uxoricidium (Sanch., VIII, 22, 20; De Iust., I, 105).

(26) Reg. 49 Canc. Apost.

(27) Cf. de Iust., II, XVIII.

(28) De Iust., I, 4, 188; Giovine, II, § 11, 1. Est enim duplex vinculum, ut duplex consanguinitas, duplex affinitas.

(29) Gualco, *De Matr.*, Diss. 7, Cap. 5. Sed non, ut puto, sub nullitatis poena.

(30) Sanch., VIII, 12, 20. Nihilominus Del Giovine (II, § 11, 3) existimat, id exprimendum esse, etsi prius matrimonium *non fuerit contractum;* et ante initum matrimonium ita omnino tenendum puto. Ceterum ab uxoricidio in foro exteriori numquam, in interiori raro admodum dispensatur: in adulterio vero cum matrimonio de facto inito, vivente adhuc alterius coniuge, dispensari non solet, nisi re prius in S. U. I. discussa, et praevia oratorum abiuratione *de vehementi* coram Ordinario propter suspicionem haeresis.

(31) Sanch., VIII, 24, 16; De Iust., I, 4, 152.

Sive autem ex illo, sive ex his oriatur, *linea* exprimenda est; et, si oritur ex matrimonio, *gradus* (32). Ceterum in gradu inaequali sufficit exprimere remotiorem (33). In *cognatione legali* necesse est exprimere lineam et gradum, et praeterea nihil aliud. In *spirituali*, utrum sit paternitas (seu maternitas), an fraternitas (34); et (quod tutius est), utrum profluat ex baptismo, an ex confirmatione (35).

493. In cognatione naturali tria sunt explicanda, utra ea sit, linea, gradus. – I Utra ea sit, consanguinitas, an affinitas: et si affinitas non excedit secundum gradum, num ex copula licita sit, an ex illicita (36). II *Linea*; nihilominus, ea reticita, petitio haud subreptitia erit; sed in consanguinitate intelligitur linea obliqua (37), in affinitate aut dispensatio non conceditur, aut conceditur in linea *transversali* (38). III *Gradus;* et si remotior pro viciniore expositus fuerit, dispensatio irrita est; sin vicinior pro remotiore, rata (39). Et si gradus sint inaequales, uterque exprimendus erit, tum in consanguinitate, quod nemo dubitat; tum in affinitate, quod est verius (40). Reticito propinquiore, si hic est primus, dispensatio non valet; sin ulterior, valet, sed in foro externo necesse est (et est grave) impetrare super eo literas declaratorias (41),

(32) V. *Acta*, II, App. XI, 382. Idest, utrum sponsalia inita fuerint cum matre desponsatae, an cum sorore; etenim cum illa initis, difficilius conceditur dispensatio.

(33) Ex C. ult., *De Consang.;* Pont., VIII, 17, 26. Amplius; si de sponsalibus agitur, penes Datariam addendum est, *soluta ea fuisse*, alias dispensatio non datur. Penes S. Poenitent. id reticeri potest, quia dispensatio conceditur (nisi agatur de matrimonio revalidando) sub conditione, *dummodo priora sponsalia mutuo consensu fuerint resoluta* (*Acta*, II, App. VIII, 257).

(34) Sanch., VIII, 24, 15; Pont., VIII, 17, 28; De Iust., n. 167. Quia in paternitate S. Sedes dispensare non solet (Sanch., VII, 24, 15). Amplius; si fuerit *multiplex*, hoc quoque exprimendum erit. Sed V. Prol., § 66.

(35) Corrad., VIII, 8, 15; et Giov., III, Cons. 27, § 10, n. 1, ex stylo Curiae; quod negant Sanch., VIII, 24, 15, et Reiff., IV, 21, App. n. 201.

(36) Sanch.; De Iust.; Reiff., *loc. cit.*, n. 196.

(37) Giovine, II, § 7, 2. Et si ea simplex est, addi solet, *ex eodem* (*vel communi*) stipite oratores descendere.

(38) *Acta*, II, App. V, 127.

(39) Sanch., VIII, 24, 17; Pont., VIII, 17, 26; Schmalz., IV, 16, 157. Et hoc etiam in cognitionibus ceteris, et in p. h. locum habet (Sanch., n. 2).

(40) Ex M. P. S. Pii V, *Sanctissimus*, 26 aug. 1566, et C. Ben. XIV, *Etsi matrimonialis*, 27 septembris 1755. Et si in gradu propinquiori sit mulier, id quoque exprimendum esse, ne petitio subreptione laboret, docent Sanch. (VIII, 24, 12), De Iust. (I, IV, 121). Verum si reticitum fuerit, et S. Sedes nihilominus dispensaverit, copulatos inquietari non oportet, si quid opinor.

(41) S. Pius V. et Bened. XIV, *ll. cc.*

nempe ad vitanda scandala, ideoque si impedimentum est publicum (42).

494. Post initum matrimonium dispensatio conceditur ad evitanda scandala ex divortio probabiliter exoritura (43); at non ei qui illud *in gradu prohibito* scienter, vel neglectis publicationibus contrahere; eoque minus ei, qui illud consummare praesumpserit (44). Quare, ne subreptitia sit dispensatio, haec exponere oportet: 1° utrum illud contraxerint scienter, et utrum dein consummaverint (45); 2° si ignoranter, utrum neglexerint denunciationes, et utrum, post cognitam nullitatem, iterum commiscuerint (46); 3° utrum haec fecerint *spe* dispensationis facilius obtinendae (47).

ART. II. *A quo petenda sit dispensatio.*

495. Impedimenta matrimonium dirimentia a solo R. P. dispensari posse exploratissimi iuris est. Dispensat autem cum primis (1) vel per S. Datariam, vel per S. Poenitentiariam. *Illa* dispensat quoad forum cum primis externum, atque ideo a publicis omnibus pror-

(42) Sanch., n. 28; S. Alph., VI, 1036. Ad haec si cognatio sit *mixta* vel *multiplex* (Prol., §§ 63, 65, 66), hoc quoque docendum erit, alias dispensatio erit nulla. Porro quae ante id temporis de copula non qualibet sed incestuosa, vel de malitiosa intentione dispensationem per eam facilius obtinendam a Ben. XIV, C. *Pastor bonus,* cauta fuisse dicebantur, hodie exulant prorsus; et dispensatio valet etiamsi copula incestuosa vel consilium et intentio per eam dispensationem facilius impetrandi reticita fuerint (SS. D. N. Leo PP. XIII, per Lit. S, O. 25 iunii 1885). Ceterum si ex precibus S. S. oblatis appareat incestum non defuisse, danda erit absolutio a censuris, impositis poenitentiis salutaribus (S. U. I., 25 aug. 1888).

(43) S. C. de Propag., 9 maii 1877, n. 10.

(44) Trident., XXIV, *R. M.*, 5. Quamvis proles extet (Paul. IV, C. *Ab ea ipsa die*).

(45) Corrad., VIII, III, 45; De Iust., I, IV, 229. Verum si falso quidem, sed bona fide, asseruerint, se illud consummasse, non oberit (Sanchez, VIII, 21, 45; De Iust., VII, I, 55; Giovine, II, 89, 11). Immo etsi mala fide, ut opinor, quia heic non propter infamiam, sed ad vitandum divortium conceditur dispensatio.

(46) Ex L. 4, C. *De Incest. Nupt.;* Clem., unic., *De Consang.;* Corrad., VIII, 4, 17; De Iust., III, 16, 60.

(47) Navar. Tolet., VII, 18, n. ult.; Corr., VIII, 3, 45; Sanch., VIII, 25, 22. Ceterum heic quoque, ut alias (Prol., § 319, n. 6) bona unius fides, verius, alteri prodest (Sanch., VIII, XV, 30, 31; S. Alph., VI, 1123). Hoc autem Nostri obtinere docent etiam quoad hos, qui matrimonium, post obtentam a R. P., sed ante expeditam a delegato dispensationem (Sanch., VIII, 25, 21: De Iust., I, IV, 235), vel cum *quovis alio* impedimento dirimente (Sanch., III, 42, 7; Schmalz., IV, 3, 85) contraxerint.

(1) *Cum primis;* nam dispensat etiam per S. C. de Propag. Fide et Negociorum Ecclesiasticorum Extraordinariorum.

sus (2). Haec, I, NATIVO IURE SUO, 1° dispensat in matrimoniis (scilicet in *contractis* vel *contrahendis*) in impedimento criminis, et affinitatis ex copula illicita, dummodo et illud et haec sint occulta (3); et in impedimento publicae honestatis ex sponsalibus occultis, idest non publice initis (4): in *contractis* vero in gradibus 3° et 4° seu consanguinitatis, seu affinitatis ex copula licita, occultis inquam; immo in 2° et 2° si hoc impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, et oratores publice contraxerint, et convixerint, et uti coniuges legitimi reputati fuerint (5). 2° Revalidat dispensationes Datariae in matrimoniis iam contractis, quodcumque regulariter sit earum subreptionis vel obreptionis vitium; praeter quam si falso copulam obtruserint (6); in utrisque demum si subreptitiae illae fuerint ob reticitum famosum aliquod impedimentum, in casibus videlicet occultis (7). II, EX MANDATO R. P., Datariae loco, dispensat, etiam quoad forum externum, ab impedimento consanguinitatis et affinitatis, in gradibus remotioribus (3° et 3°, etc.), ex quavis causa; in propinquioribus (2° et 2°; 2° et 3°), ex causa famosa sed utrobique pauperes tantum (8).

496. Porro S. Dataria dispensat vel *in forma communi*, vel *in forma pauperum* (9); S. Poenitentiaria semper in forma communi, sed modo deposita modica taxa pro iuribus Datariae, modo gratis omnino (10). Uti igitur adiri possit S. Poenitentiaria, necesse est,

(2) Inn. XII, C. *Rom. Pontif.*, 3 april. 1692; Ben. XIV, *Pastor bonus*, 13 april. 1744. At vero *publica* hic accipere debemus quae talia esse solent natura sua; ut consanguinitas, affinitas ex matrimonio, cognatio spiritualis, etc., quamvis in praesens occulta (Ex Innoc. XII, *l. c.*, et Ben. XIV, §§ 39, 40).

(3) Ben. XIV, Cit. C., § 39.

(4) Innoc. XII, Orac. viv. voc., ap. Ben. XIV, Not. 87, 7. Scilicet S. Dataria tenet, ex sponsalibus occultis nullum impedimentum oriri.

(5) Ben. XIV, cit. Constit., § 40.

(6) Ben. XIV, cit. Const., § 42.

(7) Bened. XIV, *l. c.*, V. § 349, n. 23. v. *Et si.*

(8) V. *Acta*, VII, 423.

(9) Cf. De Iust., I, VII, 1, etc. In S. Dat. duplex taxa constituta est; una officialibus cedit, altera Datariae: illa est instar *mercedis*, et definita est; haec instar *poenae* vel *eleemosynae*, quae plerumque varie ex impedimentis, vel ex oratoribus definitur (ideo *componenda* dici solet). Quando igitur S. D. cum his, qui nec *iura officialium, nec compositionem* solvere possunt (Corrad., V, 5, 1), gratis dispensat (Reiff., IV, 21, App. 367), dispensatio *in forma pauperum* dici solet. Quae olim ex solis causis famosis, hodie etiam ex aliis conceditur. *Et quamvis tum illae* (ex causis famosis) *tum istae* (ex aliis) *pauperibus concedantur, illae tantum proprie dicuntur in forma pauperum* (*Acta*, I, App. XVI, p. 446). Quod velim animadverti, quia in illis strictius agitur.

(10) V. *Acta*, I, App. XIII. At cum *gratis* dispensat, dispensatio recidit in formam pauperum, etsi eo nomine appellari non soleat (*Acta*, I, App. XVI, 447).

ut uterque sponsus (11) sit *pauper;* uti autem dispensatio obtineri possit, sive a S. P. gratis omnino, sive a Dataria in forma pauperum, utrumque *miserabilem* esse oportet. *Pauperem* vero heic accipere debemus eum, cui *in praesens* tot *reditus*, deductis oneribus *quibuscumque*, non supersunt, quibus decenter pro sua conditione ali possit (12): *miserabilem* vero, qui *ex sua industria et labore tantum* vivit (13). Haec autem testimonio Ordinarii constare debent (14); in cuius aestimatione (cum ea varie ex personis, et, si quid opinor, ex locis, metiri debeat) esse oportet, quis pauper sit, quis miserabilis (15).

497. Age nunc; quisquis talis non est, et nihilominus dispensationem expiscatur vel a S. D. in forma pauperum, vel a S. P. soluta modica taxa, aut gratis omnino, instar furis est: sed utrum dispensatio valeat? Et quae a S. Dataria prodit, valet profecto; quia cum paupertas non sit dispensationis causa, petitio nec obreptitia nec subreptitia dici potest. De ea quae prodit a S. P. (in foro externo) quidam adhuc valere affirmant, quia in Datariae vicem dispensat, alii negant, quia excedit fines mandati, quod ei pro pauperibus tantum datum est. Quaestio gravis, quam S. C. C. nuper, tertio propositam, noluit definire (16).

498. Sed et Episcopi interdum dispensant vel ex delegatione, vel ex praesumpta intentione Romani Pontificis, vel ex natura ipsius impedimenti. *Ex delegatione* R. P. si haec potestas eis decreta sit nominatim (17). *Ex praesumpta R. P. voluntate* dispensant in im-

(11) Corrad., VIII, 5, 3; Reiff., IV, 21; App., n. 384; De Iust., I, VII, 2.

(12) De Iust., I, VI, 69; Reiff., IV, 21; App., n. 372; Giovine, II, § 18, 2. Immo *qui,* ULTRA *sustentationem statui sui convenientem, non habent ex quo compositionem, sive iura officialium romanae Curiae solvant* (Schmalz., IV, 16, 232). Verum nunquam is, qui parentes divites habet, pauper intelligitur; nisi vel ipse paterna domo sine alimentis fuerit eiectus (De Iust., 106), vel illi ex lege cogi non possint (ceu penes nos) ad praestandam filiis legitimam dotem (Reiff., 381).

(13) Cit. AA. Vel reditus adeo modicos habeat, ut ex eis vix duos (Schmalz., n. 285), tresve anni menses (De Iust., I, VII, 17; Reiff., n. 387) vivere possit.

(14) Instr. Urbani VIII, 6 oct. 1671; Reiff., IV, 21; App., 398, 402. – *Ordinarii,* non originis (quod ex literis testimonialibus apparere debet), verum domicilii (Corr., n. 24; Giovine, II, § 202), saltem, ait De Iust., I, VII, 123, et ex eo Reiff. 399 (sed gratis), ab anno eo loco quaesiti.

(15) Gonz., *in Reg. VIII Canc.,* Glos. IV, n. 43; De Iust., I, VII, 70, 80; ibique Barbosa et Parisius; Reiff., IV, 21, 372; Surdus, apud Schmalz., 232; Giovine, II, § 18, 2; Mascard., Concl. 1061.

(16) S. C. C., 28 iunii 1873, V. *Acta,* VII, 291, 430.

(17) Quae in mandatum recidit; ideoque si delegatus excesserit *fines* mandati, nihil agit (Par. II, § 434, n. 22); ut ecce si iussus cum pau-

pedimentis occultis (18), quoties id exigit urgentissima causa (19). Quae in matrimoniis contractis haec est, si vel separatio fieri sine gravibus damnis, vel dispensatio differri sine periculo incontinentiae non possit (20); sed necesse est, ut matrimonium *non scienter*, idest inscio saltem impedimenti uno ex sponsis (21), nec *spretis* publicationibus (22), initum fuerit. In contrahendis vero haec, si celebratio differri nequit sine periculo infamiae (23), vel sine damno oppido gravi (24). Demum ex *natura* ipsius impedimenti, quoties

peribus dispensare, cum his qui pauperes non sunt dispensaverit (S. C. C., 26 april. 1873, ad 3; *Acta*, VII, 297).

(18) S. C. C., Pont., VIII, 13, 4. Si non facile innotescere possint (Sanch., n. 11; De Iust., n. 154; Schmalx., IV, 16, 81): scilicet haec potestas regulariter data intelligitur ad scandala praecavenda, quae secus magis provocarentur.

(19) Ex C. 2, *De Despon. impub.*; Vasq., Disp. 178, cap. 2; Salas, *De Legib.*, Disp., 20, Sect. 3. Atque ideo si, neque ipse R. P. neque Eius delegatus, nec per epistolam adiri possit, et sit in mora periculum. Nec inspicitur utrum impedimentum sit multiplex, aut mixtum (Sanch., II, 40, 6; De Iust., II, II, 185). Nec quodnam sit ex his quae a R. P. dispensari solent. Hoc palam docent Corrad. (VIII, 4, 40), De Iust. (II, 2, 182), Engel (IV, 16, § 3, 11): alii auctores sine distinctione loquuntur; ceu Sanch. (II, 40), Pont. (VII, 13), Laym. (*De Matrim.*, Par. IV, Cap. X, 10), Salm. (9, 9, 14). Nihilominus Del Giovine (I, § 335, 4), ex Reiff. (IV, 21; App., 65, 509), pro certo habet, non posse Episcopos ab his dispensare in quibus S. Poenit. dispensare non solet. Verum Reiff., eo numero 65, monet, *licet sint aliqua impedimenta super quibus potest et non solet Papa dispensare pro foro externo, vix est aliquod in quo potest et non soleat dispensare in foro interno per S. Poenitentiariam:* et, num. 509, excipit dumtaxat primum et secundum gradus consanguinitatis inaequales. Nec inspicitur utrum matrimonium iam fuerit contractum, quod omnibus constat (S. C. C., 19 apr. 1692, apud Giovine, I, § 334, 6), et a Xysto V decisum fuisse tradit Corrad. (VIII, 4, 41; V. S. Alph., VI, 611, 1123); an sit contrahendum, quod iam fere nemo dubitat (Sanch., II, 40, 3; Pont, VIII, 13, 2; Corrad., n. 40; Schmalz., IV, 14, 79; S. Alph., VI, 613, 1122), et vel ipse Ben. XIV (*De Syn.*, IX, 2, 2) subinvitus admittit.

(20) S. Alph., VI, 611.

(21) Ex Trid., XXIV, *R. M.*, 5. *Communissima.* S. Alph., IV, 1124. Non *scienter:* ideoque (Prol., § 133; n. 44) excusat ignorantia vel crassa; dum ne, aiunt, fuerit affectata (Sanchez, II, 40, 4; Salm., 9, 14, 10). *Uno* (S. C. C., penes Giovine, I, § 334, 6; Sanch., *l. c.*; Pont., VIII, 13, 4; Salm., 9, 14, 8; S. Alph., *l. c.*; Prol., § 319, n. 5).

(22) Ex Trid., *l. c.*; Schmalz., IV, 16, 81.

(23) Ben. XIV, *De Syn.*, IX, 2, 2. - V. c., si impedimentum sit affinitas ex copula illicita, aut crimen. Quod autem quidam putant, periculum removeri posse, si sponsus aut sponsa edat et obtrudat castitatis votum, neque perpetuum est (quid enim si parochus id non ex sponsis resciverit?) neque tutum satis (S. Alphons., VI, 613).

(24) S. Alph., VI, 1123. Vel si alias, detecto impedimento, sponsus recederet a matrimonio, et exinde odia, rixae, homicidia (puta quia sponsam defloravit) metuenda sint.

hoc dubium est, non iure inquam (tunc enim cessat, quia *lex dubia non obligat*), sed facto (25). Dispensatio semel data aufert impedimentum; ideoque si hoc postea certum apparuerit, non oportet novam dispensationem impetrare (26).

Denique hodie dispensant in articulo mortis in civili contubernio, vel concubinatu viventes, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super quibuslibet vel publicis impedimentis, excepto sacerdotio et affinitate lineae rectae ex copula licita (27) provenienti. Sed non possunt facultatem hanc subdelegare *habitualiter* praeterquam *parochis*, vel, ut opinor, eorum vicem gerentibus, et pro casibus in quibus *periculum est in mora* (28).

Art. III. *De Dispensationibus a S. Sede impetratis, expediendis.*

499. Dispensationes a S. Sede concedi solent in *forma commissoria*. In foro externo hodie committendae sunt omnes vel *orato-*

(25) S. Alph., I, 190, v. *Item potest;* VI, 902, v. *Ceterum*. Haec potestas competit etiam Vic. Capit. (De Iust., II, II, 165); non item Vic. Gen. (Sanch., II, 40, 12, Pont., VIII, 13, 5); nisi forte, ut upinor, Episcopus absit, et facile adiri non possit: ea nempe ratione, qua dispensat Episcopus quum R. P. facile adiri non potest (V. S. Alph., VI, 613).

(26) Prol., § 231, n. 9; Fagn., in C. *Nimis*, n. 41, *De S. E.* in 6°, aliud putat, exemplo excommunicationis, a qua quis absolvitur in articulo mortis (Prol., §§ 343, 348). Sed numquid coniuges in impedimentum, et nullitatem matrimonii reincidere possunt? Illud potius quaeri potest, si impedimentum postea innotuerit, utrum opus sit nova dispensatione R. P. Recepta sententia est, dispensationes huiusmodi dari (perinde quasi a S. Poenit.) quoad forum damtaxat internum: quo admisso consequens est dicere, opus esse, atque ideo coniuges interim esse (ab Episcopo, non a Parocho) separandos. Et ita De Iust. (II, II, 151, 153), sed non bene, ex Corrad. (VII, 6, 35). At, utrum hoc admittendum sit, dubitat Pont. (VII, 13, 5). Et recte: 1° quia haec doctrina, cuius auctor fuisse videtur Henriquez, deducta est ex Trid., XXIV, *R.*, 6, quod (Prol., § 316) heinc longissime distat. 2° Quia non bene Episcopi heic dispensare dicuntur quasi S. P. loco, quippe haec regulariter dispensat ad *infamiam* tantum, illi et ad *damna* vitanda: alias nefas eis esset dispensare in his, quae non sunt occulta natura sua (§ 495, n. 2). Demum, 3° quia nulla subest ratio, cur data ex tacita delegatione R. P. eiusque loco, dispensatio rata esse non debeat quoad forum externum in his impedimentis quae ad forum externum pertinent. Sane quae damna studemus avertere dum impedimentum latet, ea et longe deteriora, redintegramus cum innotescit. Haec timidus ego; num bene sapientes animadvertant.

(27) Leo XIII, per litteras S. O., 20 februar. 1888.

(28) S. U. I., 1 mart. 1869. Nec refert utrum aegrotet qui forte solus tenetur impedimento (v. c., diaconus) an alter (S. U. I., 1 iul. 1891). Verum si aegrotus convaluerit, et dispensatio data fuerit a solemni votorum professione vel ab ordine sacro, Ordinarii de hac re certiorem faciant Supremam S. O. C. et scandalum removere satagant (cit. Decret. 1888).

rum Ordinario, vel *Ordinario* loci (1); et ab eo exequendae sunt, qui literas testimoniales dedit vel preces transmisit ad S. Apostolicam, sive sit Ordinarius originis, sive domicilii, etiamsi sponsi, quo tempore exequutioni danda erit dispensatio, relicto illius dioecesis domicilio, in aliam dioecesim discesserint non amplius reversuri (2). Is autem nequit valide eam ante expedire quam Literae Apostolicae ad ipsum pervenerint (3). Cum autem illas acceperit, quae eis continentur, sedulo animadvertere debet; et maxime, I ne in dispensatione petenda, vel concedenda error obrepserit in nomine aut cognomine oratorum; nam, nisi *verisimilis* error sit, idest qui nullam prorsus incertitudinem parere possit, rescriptum expediri non poterit (4); eoque minus si erratum sit in nomine dioecesis (5) aut loci, quando etiam locus exprimendus fuerat (6). II Ne petitio fuerit obreptitia vel subreptitia. Demum, III clausulas dispensationi insertas probe intelligere oportet, de quibus heic paucis.

(1) Cit. Litt. 20 feb. 1888. Et ita demum veteres Nostrorum anfractus et ambages exoleverunt. Appellatione autem Ordinarii veniunt etiam Administratores seu Vicarii Apostolici, Praelati et Praefecti habentes iurisdictionem cum territorio separato; eorumque officiales seu vicarii in spiritualibus generales. Itaque hodie haec iurisdictio competit officio seu dignitati; ac proinde dispensationes remissae ad Episcopum aut Vic. Generalem exsequi possunt, etiam re non integra, a Vicario capitulari; et contra (cit. Decret.).

(2) Cit. Litt. 20 febr. Sed in potestate eius est delegare ad dispensationis exequutionem Ordinarium loci in cuius dioecesi sponsi actu degunt vel alium (Cit. Litt. 20 febr.).

(3) Prol., § 241, n. 35. Quod velim animadverti.

(4) Reiff., IV, 21; App., 210; Schmalz., IV, 16, 155. Quid si de persona constet? Sanch. (VIII, 21, 37), De Iust. (IV, 4, 54), ibique Rota Rom., Escob., Laym., Bonac., etc., ex L. 29, § *Siquidem, De Legat.,* 1, putant errorem nihil obesse. *Sed quidquid sit de iure, aliter est de stylo,* ait Corrad. (VIII, 5, 3). Et indubitanter tenendum esse putat Giovine (III, § 2, 4), post C. Pii VII *Expositum nobis,* 18 iunii 1816, qua potestatem fecit Nuntio in Regno Hispaniarum sanandi et revalidandi dispensationem... *ob errata dispensatorum nomina.* At neminem praeterit dispensationes ius non mutare, quippe quae passim et ad cautelam dantur; ideoque nec potestas dispensandi ius mutat. Et sane *Acta* (V, 27) subdubitant, utrum rescripta huiusmodi revera nullius momenti sint, an secus. *Nisi,* etc., ut ecce si dictum fuerit *Antoninus* pro *Antonio;* vel si is qui duo nomina habet, v. c., *Ioannes Antonius,* alterutro nuncupatus fuerit (Corrad., n. 8; Reiff., 212). At si, oratoribus prius recte nominatis, error in repetitione eorum obrepserit, nihil obest (Corrad., n. 9). Nec obest si, pro cognomine, nomen patris fuerit adscriptum; v. c., *pro parte Francisci filii Ioannis* (vel Francisci Ioannis) *et Maria filiae Beatricis* etc., dum ne dispensatio expedita fuerit in forma pauperum (Corr., nn. 18, 21; Schmalz., IV, 16, 179; Giovine, II, § 2, 6).

(5) Corrad., VII, 5, 29; Reiff., IV, 21, 213; Sanch., VIII, 21, 39; et De Iust., I, IV, 66; III, II, 101.

(6) Corrad., n. 30; De Iust., I, IV, 59; Reiff., n. 214.

500. Sed ante omnia admonendi sumus, ex clausulis huiusmodi quasdam veras *conditiones* esse, quasdam *monitiones*, seu praecepta: illis non servatis, dispensatio invalida est, non servatis his, est illicita (V. Prol., § 76). In dubio conditionem continent expressae ablativis absolutis, ut vocant (7). Et quoties dispensatio dari iubetur postquam aliquid factum fuerit, hoc, quod antea faciendum est, pro conditione esse intelligitur (8). Quae autem per modum conditionis praestari iubentur, ea, 1° omnino ab ipsomet *delegato*, ideoque, 2° *post* acceptas literas dispensationis (Prol., § 241, n. 35), non prius imponenda sunt; et 3° *post* ea demum praestita (non antea) dispensatio est concedenda; et si quid ex his secus factum fuerit, pro nullo et infecto erit (9). *Omissis his*, de quibus probabiliter ultro citroque disputatur, utrum validitati dispensationis obsint an minus matrimonio nondum contracto, necesse est impetrare literas in forma *perinde valere;* eo contracto, coniuges non sunt inquietandi.

501. Porro ex vetustis clausulis quaedam, sublatis his quae obstabant propter incest., exciderunt, aliae mutatae vel sublatae fuerunt a SS. D. N. Leone XIII, die 28 aug. 1885. Ex his quae supersunt communes fere hae sunt: I - *Si vera sint exposita -:* haec ad ea solum pertinet, quae dispensationem obreptitiam faciunt (10). II - *Dummodo mulier propter hoc rapta non fuerit -;* idest, dum ne sponsus sponsam rapuerit matrimonii cum ea contrahendi causa (§ 446); quamvis iam illam suis restituerit (11). III - *Dummodo copula non intercesserit -;* quod proinde Delegatus inquirere necesse habet; et si intercesserit, non poterit dispensationem expedire (12). At si haec clausula desit (et hodie vix apponitur) non potest de ea sponsos interrogare (13). IV - *Ut oratores, servata forma Conc. Tridentini, et peracta una ex tribus*

(7) Cf. De Iust., I, VII, 197; Reiff., IV, 21, 457; Corrad., VIII, 10, 31. - *Communis* (V. Prol. § 76, n. 54).

(8) V. De Iust., I, VII, 130.

(9) S. Poenit., 1 mart. 1866, 9 decemb. 1871, 11 nov. 1873.

(10) De Iust., I. VI, 255 etc.; sublata clausula - *si preces veritate niti repereris* - hisque similibus (V. Prol., § 241).

(11) De Iust., II, 18, 37. Nam si adhuc in potestate raptoris manet, nuptiae consistere non possunt ex alio capite.

(12) De Iust., I, IV, 259, 263. Nempe si publica ea sit: quid si occulta, an possit expedire dispensationem quoad forum externum? Affirmant Pont. (VIII, 17, 33), Salm. (9, 14, 41) etc., quia clausulae sequuntur naturam dispensationis. Negant de Iust. (n. 261) et Giovine (II, § 58, 6).

(13) De Iust., I, IV, 265, ibique Ledes.; et P. Leo, in *Prax. S. Poen.*, P. 2; et contrariam consuetudinem exterminandam esse putat cum Salzedo.

publicationibus, contrahere possint, et valeant –; haec nihil mutat (14).

502. Ad haec S. Poenitentiaria interdum separationem iniungit his verbis: – *remoto, quatenus adsit, scandalo, praesertim per separationem, tempore tibi (dispensatori) beneviso, si fieri potest etc.* –. Porro quia his verbis latum dispensatoris arbitrium continetur, et quia reparatio scandali iuris naturalis est, puto his verbis magis monitionem quam conditionem inesse (V. Prol., § 76). A S. Dataria hodie omitti solet, nisi adiecta fuerit de expresso mandato R. P.; et cum fuerit adiecta, si sponsi durante separationis tempore rem habuerint, dispensari amplius (ut olim) non possunt, sed revalidatione literarum apostolicarum opus erit (15).

503. Porro Delegatus praeparatoria dispensationis per alium expedire potest, dispensationem dare ipsemet debet (Prol., § 241, n. 41). Et expedit omnino eam dare expressis verbis (16), in scriptis (17), et auctoritate Apostolica (18). Et dari potest etsi interim R. P. mor-

(14) V. De Iust., I, VI, 440. Ideo si matrimonium celebratum fuerit; dispensatis (aut omissis) publicationibus (Sanch., VIII, 35. 19); vel ubi Decretum Conciliare non viget, sine parocho et testibus (S. C. C., 17 iunii 1617; Corr., VII. 7, 17; De Iust., *l. c.*), valet (Prol., § 76).

(15) Cf. Giovine, II, § 70. - Durante etc., quia non obest, si rem habuerint ante iniunctam separationem, vel post dispensationem ab Ordinario expeditam; *illinc* enim nullum praeceptum violatur, tametsi separati manebant iussu Ordinarii (S. Poenit., 2 nov. 1868, 11 nov. 1873); *hinc* sublatum impedimentum non reviviscit (S. Poenit., 21 sept. 1752; S. Alph., VI. 1141). Nihilominus si iterum commiscuerint post elapsum separationis tempus ante dispensationem ab Ordinario expeditam, quando dispensatio datur *in forma pauperum*, perinde erit, ac si intra separationis tempus commiscuissent (Corr., *l. c.* n. 36, ex Curiae stylo, et cit. Orac. Pauli V; De Iust., I, VIII, 231). Ad ultimum caveat Delegatus, ne *quidvis* muneris, vel sponte oblatum, nisi forte oblatum post dispensationem (Sanch., VIII, 35, 14; De Iust., I, VI, 245; Reiff., V. 21, 316, etc.), accipiat. Alias ipse excommunicationem incurrit; sed clausula ut dispensatio ipso iure irrita sit, hodie, abrogata est.

(16) Ex Reg. 51, Canc. Apost., Dicendo, idest, *dispensamus*. Quod si oratoribus renunciaverit tantum, *posse ipsos matrimonium contrahere*, vel rescripserit, ut *matrimonium ineant* vel *contrahatur* (Giovine, I, § 89, 2, 8), retur nihil actum esse, ex cit. Reg. 51.Quod non puto; primo quia haec reg. ad signaturas Romanae Curiae dumtaxat pertinet; deinde quia nihil interest quomodo quis voluntatem suam prodat (Ex L. 51, *De Legib.;* V. Pont., VIII, 15, 5).

(17) Reiff., IV, 21, 520. Sed utrum data (nempe pro foro externo) oretenus valeat? Negat Reiff. (n. 521) ex Reg. Canc., 27, 52, ex Corr. (I, VI, I) et De Iust. (1, 3, 31, etc.). Affirmat Pont, (VIII, 15, 2). Et verius forte: Regulae autem Canc., Corrad. et De Iust. loquuntur de *Literis Apostolicis*.

(18) Ex ipsis Lit. Apost.; quibus haec clausula: *auctoritate nostra dispenses,* continetur. Alias, omissa, dis-

tem obierit, quippe gratia facta est (19). Et cum semel data fuerit (Prol., § 235, n. 43), si sponsi mutato consilio, aliud matrimonium inierint, vidui facti, adhuc poterunt absque nova dispensatione coire nuptias (20).

504. Matrimonia in radice, sanari dicuntur, quae coita fuerunt cum impedimento canonico dirimente (21), altero ex sponsis vel utroque sanationis ignaro. Quo scilicet ipsorum voluntates uniri iure prohibitae sunt; quoque proinde quasi obice sublato, uniuntur et matrimonii contractus efficitur (22). Sanatio in radice, nisi aliqua species veri matrimonii intercesserit, ne intelligi quidem potest (23).

pensationem irritam esse tenet Giovine (I, 1, § 89, etc.). ex Constitutionibus *Ad tuas manus* (Ben. XIV, 8 aug. 1748). et *Peculiaribus adductus* (Pii IX, 26 iun, 1856), quibus id cautum est nominatim. Sed oppido fallitur; quin ex his duobus Constitutionibus,quae specialia sunt, contra argumentari licet: illis enim exceptio continetur quae firmat regulam in contrarium pro casibus non exceptis. Et re quidem vera Ben. XIV cit. C. *Ad tuas manus,* irritam pronunciat quamdam dispensationem a Delegato impertitam, eo quod ita *facultatum formula aperte* statutum fuerat. Notum est lippis atque tonsoribus, in iure canonico rata esse quae non ex iure fiunt, nisi rescriptum, quo fieri iubentur, munitum sit *decreto irritanti.* Scitum quoque est decretum huiusmodi esse aliquid odiosum, contra facultates dispensandi favorabiles esse: atqui *odia restringi, favores convenit ampliari;* heic, contra, odia ampliantur, favores restringuntur. Verum quid plura? Quae docet Giovine (*l. c.*), aut communi iure, aut speciali cauta sunt; si *communi,* ergo neque absolutiones a censuris, neque dispensationes in votis R. P. reservatis, valent, si datae fuerint (uti semper) non facta mentione Apostolicae facultatis: sin *speciali,* quo sodes?

(19) Sanch., VIII, 28, 27; De Iust., I, VI, 505; Prol., § 222, n. 6.

(20) Pont. VIII, 18, 20; De Iust., I, VI, 336; S. Alph., I, 197, in fin. Quin Sanch. (VIII, 32, 6) et Giovine (I, 98, 3) existimant, posse Delegatum tunc eam expedire, si forte nondum expedierat (nec bene id negat De Iust., n. 340); nempe si vetus dispensandi causa permaneat.

(21) *Canonico* inquam, quia contracta cum impedimento iuris naturalis vel divini sanari non possunt (S. U. I., 2 mar. 1906).

(22) *Efficitur,* nempe voluntate *actuali* eius qui non ignorat sanationem et *habituali* alterius; *habituali* utriusque si uterque eam ignoret. Res plerisque nostris impervia; mihi *illic* plana (Prol., § 133. n. 11), hic revera nunc ardua (*Ib.*, § 135, n. 16).

(23) V. Ben. XIV, *De Syn.* XIII, 21, 7. Quid enim sanabitur? Illud hodie amplius non quaeritur utrum bona fide initum fuerit an mala: nec ob quod canonicum impedimentum irritum fuerit; ac proinde matrimonium quoque civile, quod vocant, in radice sanari posse indubium est, et confirmari potest ex S. U. I., 6 apr., 1892. Licet enim nullum sit, matrimonii tamen habet figuram; et est contractus, qui iuxta naturae leges esset verum matrimonium. Et si ex eo non oritur p. h. impedimentum (S. C. C., 13 mar. 1879), ceu declaravit et statuit SS. D. N. Leo XIII (17 mar. 1879), sublatum intelligitur, quia foedum est in eo personarum reverentiam agnoscere prout in sponsalibus et in ceteris matrimoniis (§ 434, n. 27).

Sed ut ei sit locus necesse est ut nec vitium (error, metus) fuerit in consensu, nec in conditione aliqua apposita (§ 448): utque neutra pars consensum retractaverit (24): in summa, ut alias in praesens valide coiri possit. Valet autem EX NUNC, quia *ad praeterita non est potentia* (Sed V. Prol., § 56).

SECTIO IV.

De Sponsalibus.

CAPUT I.

ART. I. DE SPONSALIBUS INEUNDIS, EORUMQUE EFFECTIBUS.

505. Sponsalia sunt « *mutua promissio futurarum nuptiarum* » (1). Videamus quaenam sint sponsaliorum substantialia, quaenam accidentalia, quaenam solemnia, et quinam sponsalia contrahere possint. Principio igitur substantialia sunt res, et consensus; causam praetereo quippe expedita est. *Res* est matrimonium contrahendum et quia. Res licita esse debet (Par., II., § 300, n. 8); ideoque sponsalia nullius momenti sunt, si vel matrimonium tum valide (2)

(24) Ben. XIV, C. *Etsi.* Contra putant Carrier. P. Gallo et Perrone (*De Matrim. Christ.*, L. 2, n. 173), ex facto Pii VII; de quo non constat authentice (V. *Acta*, I, 188).

(1) (L. 1, *h. t.* (*De Sponsalibus*). Porro, 1° sponsalia ad matrimonium tendunt, ideo a matrimonio ad sponsalia argumentari quidem licet (L. 15, *h. t.*): sed non semper, ceu putant Sanch., Laym., etc., quia et distant multis, et matrimonium regitur *speciali iure*, quod extensivam interpretationem non patitur. 2° Sedulo discernenda sunt *sponsalia* a simplici nuptiarum *promissione*, quippe ex illis, non ex hac, oritur p. h. impedimentum. 3° Cum aliquid incideriit quod vitiat sponsalia (v. c. metus, error), plurimum interest, utrum haec nulla sint ipso iure, an rescindenda: *illa* enim pro infectis sunt, *haec* p. h. pariunt. 4° Si sponsalia valent ex ratihabitione, vel ob conditionem suspensivam impletam, cum et ratihabitio et conditio retrotrahantur sola fictione iuris, rata fiunt non ex tunc, sed ex nunc (Pars. II., § 315 in fine, 418): ideoque ex nunc pariunt p. h. impedim. 4° Demum, quoties non satis apparet voluntas contrahentium, si alias promptiores esse debemus ad solvendum, quam ad ligandum (L. 96, *De A. et O.*); heic maxime; quia coacta matrimonia *difficiles solent exitus habere* (C. 17, *h. t.*; S. Alph., VI, 840); adeo *ut in quocumque, etiam minimo, dubietatis anfractu pro omnimoda exclusione sponsalium iudex pronunciare debeat* (Rot. Rom., 8 febr. 1705, cor. Borullo, § 2); quamquam haec S. Rotae verba accipienda sint cum grano salis.

(2) Idest si matrimonio obstet aliquod impedimentum (Sporer, 199), puta si sponsi voto castitatis sint obstricti (Salm., 9, 2, 30): si conve-

tum licite (3) contrahi non possit; vel sola promissio sit illicita; ut ecce si fuerit prodiga, idest si alter alteri praestet multum genere, aut opibus (4), si uterque, vel alter, coniugem habens, promiserit aliquam ducere, vel alicui nubere post huius mortem (5).

506. *Consensus:* ideo nihil actum intelligitur, si alter ex eis ficte consenserit (6). Amplius necesse est, 1° ut promissio intercedat; 2° ut inter se; 3° ut sit mutua. NIHIL igitur ERIT ACTUM, ex 1° si partes desiderium tantum, vel tantum propositum contrahendi significaverint (7); vel si, ubi Trident. viget, contraxerint (quod vix accidit) *per verba de praesenti*; nam neque matrimonium intelligitur, quia deest forma Tridentini; neque sponsalia, quia deest promissio (8). Nec sponsalia erunt, ex 2° si promissio *aliis* sit facta, vel *ab aliis* (9),

nerint matrimonium contrahere, in eo loco, ubi Trident. receptum non est, sine parocho et testibus in fraudem legis, vel ubi receptum est coram magistratu civili; aut invitis rationabiliter, vel inconsultis parentibus, etc.

(3) Nempe absque familiae dedecore, aut damno gravi (S. Alph, VI, 851). Aliud iuris est, si contrahi non possit absque scandalo, ut puta sine consanguineorum odiis, rixis, quia heic caritas agitur, quae non obligat cum incommodo gravi (S. Alphons., *l. c.* v. *Ad id autem*).

(4) S. Alph., *l. c.* v. *Cum autem.* Ut puta si vir nobilis sit, mulier rustici, vel artificis filia (S. Alphon., III. 643). Verum, quia prodigalitas leve peccatum est, *quaevis mediocris iuxta causa eam excusat* quae *rarissime deerit* (S. Alph., VI, 851, v. *Iuxta*). Sponsalia haec Nostris omnibus illicita sunt, sed non omnibus irrita: quod est incivile, et absonum prorsus (V. Par. II., § 300, n. 9).

(5) Ex C. 26, *h. t.*; Sanch., VII, 79, 40; Laym., Par. IV, Cap. X, 7; V. Par. II., § 300, n. 11,

(6) Sanch., VII 68, 13. - *Communissima* (Sporer, n. 154).

(7) V, Par. II., § 411, n. 30. - *Desiderium;* ut ecce si puellae quis dixerit: *tu eris mea,* vel, *nullus alius te uxorem habebit.* - *Propositum* utputa si ei dicat: *ducam te;* immo etsi dixerit: *volo te uxorem ducere,* quippe verbum *volo* aequivocum est (Cf. Sanch., Lib. I, Cap, 18, 13; Salm., 9, 1, 43; Schmalz., IV, 1, a n. 51), vel: *nullam duçam praeter te* (S. C. C., 28 septembris 1709, apud De Iust, Append., Cas. 13).

(8) S. Alph., VI, 481. *Communissima.* Nisi forte per imperitiam verbis praesentis temporis usi fuerint (Navarr.; Laym., P. II, Cap. IV, 15). Et ita S. C. C. perpetuo censuit (Benedict. XIV, Not. 46, 24). Et iure prorsus (§ 216, nota 20). Quid si, ubi Trident. viget, ea inierint per verba quidem de futuro coram parocho et testibus, sed animo matrimonium contrahendi? Et neque matrimonium intelligitur, quia desunt verba: neque sponsalia, quia deest intentio (Prol., § 146, n. 17; V. Sporer, n. 38).

(9) V. Par. II. § 410. Ut ecce patri, tutori, vel a patre aut tutore (Ex L. 6, *h. t.*). Vel si quis dicat Seiae: - *Voveo me te ducturum* -; nam Deo, non Seiae promittit. Nihilominus si parentes contraxerint sponsalia pro filiis praesentibus, et non contradicentibus, rata sunt (C. un., § 2, *De Despons. imp.* in 6°). *Parentes,* seu pater, seu mater (S. Alph., VI, 638); non item alii, v. c., patrui, fratres etc. (Sanch., I, 23, 7). Pro filiis *praesentibus*; secus igitur si fuerint absentes, licet certiores

vel alternative uni ex pluribus (10). Nec demum, ex 3° quia contractus commutativus agitur, si, uno promittente, alter nolit repromittere, vel taceat (11); immo, verius, etsi acceptet, sed non repromittat (Par. II., § 411, n. 32). Illud non interest, quomodo haec voluntas fuerit expressa, verbis ne, an signis (12), an per epistolas inter absentes (13).

507. Consensui obstant metus et error. Metus, ut in matrimonio (14). Error, secus ac in matrimonio, etsi fuerit accidentalis, dummodo dederit causam contractui (15): et licet dolus abfuerit; quod hic (V. Par. II., § 413, n. 50) singulariter receptum fuit, quia matrimonia mutua benevolentia auspicari et iniri necesse est (16).

facti non contradixerint. Rata sunt, inquam, praesumptione iuris, ideoque in foro conscientiae, si filii revera consenserint (Ex L. 13, *h. t.*), licet consensum exterius non expresserint (S. Alph., VI, 838), quippe expressus intelligitur silentio ipso (Prol., § 136, n. 20). At si interius uterque, vel unus eorum, contradixerit, quia *praesumtio cedit veritati*, sponsalia ne intelligi quidem possunt. Nihilominus valent sponsalia ab aliis inita, si ratihabitio intercesserit (Ex cit. § 2; V. Par. II, § 419).

(10) Ex C. un., *h. t.* in 6° - V. c., si duabus sororibus dicit: *Spondeo me ducturum unam ex vobis.* (Sanch., I, 26, 1).

(11) Ex L. 1, *h. t.;* Engel, IV, I, § II, n. 8; Barbo.; Covarr.; Schmalz., IV, I, 158; V. S. Alph., VI, 836; V. cl. Gasbarri, § 3.

(12) C. 32, *h. t.;* Sanch., I, 22, 6. Quid si vir annulum mulieri tradiderit, an hoc sit sufficiens sponsaliorum indicium? Vulgo negatur, nisi praecesserit tractatus de matrimonio, aut mos regionis id ferat, aut eam cognoverit.

(13) L. 4, *h. t.;* Prol., § 136.

(14) V. § 336. Nempe gravis, seu absolute seu relative (Prol., § 138, n. 14). Et ita TT., quos recenset S. Alph. (VII, 844, q. II), conciliantur (V. Navarr., 17, 15; Less., II, 17, 46).

(15) Ex L. 5, § *His, illud,* C. *h. t.;* S. Alph., VI, 835; Sanch., I, 64, 6. Seu circa fortunas, seu circa corporis, aut animae qualitates inciderit. Ut ecce si sponsus falso putabatur dives, benemoratus (Sanch., I, 63, 2; Pont., XII, 18, 1); vel si cum ipse esset nobilis aut dives, falso putavit mulierem nobilem vel divitem esse (V. S. Alph., VI, 851). Quid si virginem credidit, et ipsa fornicata fuerit, aut sit vidua? Utique in illa, quia vilior facta est, error vitiat consensum (Sanch., n. 3; Pont., n. 2), tametsi vi fuerit oppressa. In hac non vitiare tenet Schmalz. (IV, 1, 178), quia nulla turpitudo viduae cohaeret, nisi se virginem dixerit; Sanch., contra (*l. c.*), vitiare putat. Sane heic non sola turpitudo vitiat consensum; mihi igitur in viduo prior, in iuvene posterior sententia magis placet. At si vir aliam cognoverit, sponsalia non dirimuntur; nisi ex ea filios habeat (S. Alph., VI, 861), vel ea quasi concubina usus fuerit, vel pene scortus homo sit (Laym.; Conin.; Schimi.; Schmalz., IV, 1, 176). Ceterum si sponsi, post haec cognita, commiscuerint, videntur cedere iuri suo (Sanch., I, 66, 2; Pont., IV).

(16) Sanchez, I, 62, 3; 63, 2; S. Alph., VI, 835. Nec est alienum a iure; quidquid enim in sponsis displicet, quasi *vitium* aliquod ipsorum est (V. Par. II., § 450). Num igitur pars, quae occulto vitio laborat, quod sufficit ad rescindenda sponsalia, debeat alteram de eo certiorem facere,

Sponsalia metu inita, verius, irrita sunt ipso iure, quia metus dirimit matrimonium (17); inita per errorem accidentalem, verius, sunt rescindenda (18). *Raptus* huc non pertinet, si rapta sponte revera promiserit (19).

508. Sponsaliorum accidentalia haec esse possunt: conditio, arrhae, poena, lucra. Conditio, si est contra substantiam matrimonii, vitiat sponsalia, quia matrimonium vitiat. Si est possibilis et licita, valet: et siquidem est resolutiva, sponsalia protinus valent; sin suspensiva, ea pendente, sponsalia non intelliguntur (20); impleta, tenent *ipso iure* (21). Si est impossibilis, aut illicita, multi putant vitiari (22) ut in matrimonio, multi vitiare (23), ut alias (Par. II., § 304): quos sequor, quia lex generalis possidet (24). Quamobrem, si inter sponsos intercedat aliquod impedimentum, et partes sub hac conditione spondeant, *si R. Pontifex dispensaverit*, siquidem hoc dispensari non solet, sponsalia illicita, atque ideo nullius momenti sunt (25); secus, utrum sit obligatoria haec promissio, atque ideo utrum, purificata conditione, sine novo consensu sponsalia valere incipiant, et p. h. impedimentum, non satis convenit. Quidam negant, quia res quae promittitur praesenti est illicita (26); plures

aut abstinere a sponsalibus, vel matrimonio? Utique, si vitium huiusmodi matrimonium *noxium* facit; ut ecce si vir notatus fuerit infamia, aut morbo comitiali laboret, si mulier gestet aut sumpserit venena sterilitatis; sin *minus appetibile*, non item, sed merito famae suae parcit, etiam cum interrogata dissimulat (S. Alph., VI, 864, 865): nisi altera pars monstraverit quoquo modo, se aliter nubere, ducere nolle.

(17) Sanch., IV, 19, 3; Pont., IV. 6, 12; S. Alph., VI, 844.

(18) S. Alph., VI, 835; V. Par. II., § 413.

(19) Croix, VI, III, 54; S. Alphon., VI, 1007. Contra putant Sanchez, I, 13, 17; Laym., XIII, in fi.; De Iust., II, 18, 63.

(20) Sanch., V, 6, 2. - V. c., si centum in dotem dederis (C. 8, *De Condit. apposit.*). Ideoque nec impedimentum p. h. (De Iust., VIII, 11, 33; S. Alph., VI, 859): nisi forte conditio ex intervallo fuerit adiecta (Schmalz., IV, 5, 30).

(21) C. un., § ult., *h. t.* in 6°; Schmalz., n. 34. Nempe, heic quoque (§ 309), ceteris paribus: itaque constare nequeunt si interim, v. c., unus ex sponsis consensum revocaverit (Sanch., V, 8, 1; Laym., VII, 2; Pirhin., IV, 5, 23; Schmalz., IV, 5, 33), aut mortem obierit.

(22) Sanch., V, 17, 2; De Iust., VIII, 11, 34.

(23) D. Th., in 4, Dist. un., a. 3; Pont., XII, VII, 33; Berar., *I. E. U.*, Tom. III, Dis. II, Cap. I; Devot., *h. t.*, § III; Schmalz., IV, 5, 76; Reiff., IV, 5, 53: qui vocat eam *communissimam*.

(24) Gobat., Cas. IV, 151; Spor., n. 223.

(25) S. Alph., III, 650.

(26) V. Sanch., V, 5, 5. Ita Canonistae ac Moralistae antiquiores plerique, ex L. 83, § *Sacram.* L. 137 § *Cum quis, De V. O.* Et in foro haec sententia *magis recepta est* (De Luca, *Ad Trid.*, Disc. 27, nn. 6, 11); et cum primis penes S. C. C. (*Acta*, I, App. IV, p. 121); quae, 2

verius affirmant quia conditio eam licitam reddit (27). Quid si nihil edixerint, an haec conditio tacite insit? Et ex parte eius qui ignoravit impedimentum non inest, quia nil volitum quin praecognitum (28). Ex parte eius qui scivit, alii negant, quia ex *iure quod nunc viget aestimari debet stipulatio* (29); alii verius affirmant, quia is qui aliquid promittit, ea quoque promittere intelligitur, sine quibus promissio impleri non potest (30): modo dispensatio facile obtineri possit, et *absque incommodo gravi* (31). Demum si filiusfamilias contrahit sponsalia, ex coniectura pietatis, regulariter, ea conditio tacite inesse intelligitur, si quid opinor, *nisi Parentes dissenserint* (32).

509. Sponsalia contrahi posse datis arrhis, nulla dubitatio est (33):

oct. 1857, censuit ea *nulla esse omnino*, et interim contrahentibus liberum esse *etsi non honestum* nova inire sponsalia (V. Giovine, *De Dispens. Matrim.*, Vol. II, Disp. XI, § 179, 12). At De Angelis (*Praelect. Iur. Can.*, IV, 5, 4) et Ballerini (ad Gury, II, 725) negant hanc fuisse mentem S. C. C. Sane quis dixerit illicitum esse inire sponsalia cum infideli si convertatur ad fidem? (V. D. Th., in 4. Dist. 34, q. unic., 1 ad 3).

(27) Sanch., V, 5, 12; Pont., III, 15; Lugo, Molin., Laym., ap. S. Alphons., III, 650, v. *Secundus;* Pirhin., IV, V. 27; Engel, *ib.*, n. 16; Reiff., *ib.*, n. 15; et Recentiores fere omnes, ex L. 62, *De Hered. Inst.* Et late Schmalz. (IV, 5, 82). *Verius,* nam, sodes, peccatumne est petere dispensationem aliquam ex iusta causa? Huc enim quaestio tota denique redit. Sane ridiculum esset, si quis dotem promiserit huic puellae, non obligari, quia promissio illicita est.

(28) Ex Lugo, XII, 54. Ideo non cogitur dispensationem impetrare, immo (si quid opinor) nec uti ab alio impetrata, quia nemo cogi potest legi infligere vulnus (V. S. Alph., VI, 858).

(29) Sanch., V, 5, 26; Ex LL. 3, 4, 137, *De V. O.*, et L. 14, *h. t.*.

(30) Ex L. 12, *Comm. Praedior.;* Sot., in 4, D. 28, 9, 2, art. 1; Lugo, *De Iust.*, XII, 54. Amplius, nemo existimandus est velle rem illicitam facere; actus autem semper ita interpretandus est, ut magis valeat quam pereat (Par. II., § 331, n. 11). Denique in dubio promissio possidet.

(31) S. Alph., VI, 858; III, 650.

(32) Quae si alias (Prol., § 41, n. 29) heic maxime, propter impedimentum p. h. *suspensivam* esse, tenendum est. Quid si ita contraxerint, *si parentes* CONSENSERINT, et hi neque consentiant, neque dissentiant, aut mortem iam obierint? Et in priori casu, nisi palam appareat quid actum sit, *heic* probabilius ea mens esse videtur, ne eis contradicentibus copulentur (Sporer, n. 219): quamobrem, illis non contradicentibus, conditio pro impleta est (Sanchez, V, VII, 12). Sed si ea mens fuerit, ut illi omnino consentirent, utroque consentiente, vel dissentiente, sponsalia continuo *illic* rata fiunt, *hic* pro infectis habentur, tametsi postea consensum *illic* revocaverint, *hic* praestiterint (Sanch., n. 8; Proleg., § 41, n. 33): uno consentiente, altero dissentiente, conditionem defecisse palam est. In posteriori, Nostri diversi, sed verius videtur conditionem vitiari; sive contrahentes ignoraverint illos diem suum obiisse, quia ea mens eorum fuit, non copulari invitis parentibus; sive sciverint, quia conditio haec ioco adiecta intelligitur (§ 318, n. 9).

(33) L. 5, C. *h. t.;* Sanchez, I, 35, 2.

ideoque, verius, et poena in resilientem adiecta, quippe inter arrhas et poenam hoc unum distat, quod illae *dantur,* haec *promittitur* (34). Et quia poena sequitur culpam, palam est, neque illas neque hanc deberi ab eo qui resilit ex iusta causa (35). Lucra quoque dotalia, si stipulata fuerint, debentur sequuto matrimonio; seu vir ea stipulatus sit a muliere, quod omnibus constat (36); seu mulier a viro (37), nisi turpis stipulatoris causa versetur (Par. II., § 301).

510. Olim nulla erant sponsaliorum solemnia (iuris canonici) adeoque hoc iure inita, vel oretenus et remotis arbitris, et valida et licita erant (38). Nec dabatur alicui formam eis constituere, qua non servata, irrita essent, v. c., ut fierent coram parocho, parentibus, testibus; non locorum Ordinariis (39), nec civili legislatori (§§ 425, 429); ideoque nec moribus vel consuetudine introduci id poterat; nisi forte a S. Sede aliud nominatim declaratum esset. Nec, ubi matrimonium contrahendum erat coram parocho et testibus, matrimonium civile, quod vocant, resolvebatur in sponsalia (§§ 464, n. 27; 506, n. 8). Hodie tamen aliud iuris est (V. Appendicem ex aliena manu post § 461).

511. Restat ut videamus quinam possint contrahere sponsalia. Et profecto ea contrahere invicem possunt omnes, qui possunt inter se matrimonium inire; valide ac licite (40). Ex hoc capite invalide prorsus contrahunt sponsalia obstricti aliis sponsalibus, vel etiam

(34) Engel, IV, 1, 7; Pirhin., IV, 1, 23; Barbo.; Reiff., IV, 1, 188. Et ex Nostris, Bosco, D. XI, *De Matrimon.*, Sect. I, cond. XI; Conin., Disp. 22, dup. 5; Laym., P. I, Cap. VIII, 8; Pont., XII, 19, 7; Vasq., Pal., Gobat., ap. Reiff., *l. c.;* ex I. C., Gotophr., in L. *Titia,* 134, *De V. O.;* Toullier, VI, 294. Nihilominus contraria sententia penes Nostros longe communior est, ex cit. L. *Titia,,* qua Paulus I. C. respondit, *inhonestum esse vinculo poenae matrimonia obstringi, seu contrahenda seu iam* CONTRACTA; et ex C. 29, *De Sponsalibus,* nempe *quia libera matrimonia esse debent.* Verum non obstat, neque ea L. *Titia,* quippe qua nimia et prope infinita, in corruptissima Republica, divortiorum licentia tuetur; quod belle Laym. et Toullier (*ll. cc.*) animadvertunt, et ex lege ipsa satis apparet: neque C. 29, *De Sponsalib.,* quippe quo agitur de sponsalibus ab infante contractis, ideoque nullis. Nec ratio obstat in eo Cap. adducta; alias apage ius canonicum. Et huc denique recidit vel ipse S. Alphons. (VI, 853, q. 1).

(35) S. Alph., *l. c.* Nam, ab eo qui resilit iuste, poenam stipulari, absurdum est.

(36) C. 3, *De Cond. Appos.*

(37) Gonz., in cit. C. 3. Nostri fere omnes; in his Sanch. (I, 33, 3), Salm. (I, 107), S. Alph. (852); contra L. 97, *De V. O.,* § ult.

(38) Sanch., II, DD. 12, 13; LL. 3, 7, *h. t.*

(39) S. C. C., 27 iun. 1863, 8 iulii 1865; *Acta,* I, 529.

(40) V. Sanch., VII, 72, 3; licite, quia illicitae promissionis nulla omnino vis est (Par. II., § 300, n. 9).

simplici promissione matrimonii, quoad ab illis, vel ista, soluti fuerint (41). Impuberes valide sponsalia contrahunt; sed, nisi iam puberes natura sint, iure canonico illa resolvi possunt, cum ad pubertatem pervenerint (42).

512. Ex sponsalibus iure initis oritur ultro citroque ius et obligatio. *Ius* nempe ad rem: ex hoc capite, 1° grave est seu sponsae seu sponso sponsalia cum aliis inire (43): et, si inierit, irrita sunt ipso iure; licet HIS accesserit iuramentum, vel copula, vel utrumque (44); quippe neque illud est vinculum iniquitatis (Par. II., § 428, n. 41), neque haec ius alteri quaesitum extorquet (45). 2° Qui interim alii commiscet, alteri facit iniuriam; quae in viro levis habetur, in foemina gravior, quia rem promissam facit oppido deteriorem (46). *Obligatio* scilicet rei suo tempore tradendae; ex hoc capite uterque necesse habet matrimonium contrahere intra tempus definitum: et si nullum tempus definitum fuerit, quamprimum (47), arbitrio boni viri (48). Et est grave (49). Qui in mora est, siquidem *noluit* matrimonium contrahere, alterum quidem a se (50). at, verius, non se ab altero liberat (51); si non *potuit*, quidam putant iure suo non decidisse, quia tempus non currit impedito (52); alii contra putant, quia dies apponitur, ne alter diu careat nuptiis (53). Sed aequius puto, haec relinquere arbitrio boni viri; et si brevi offerat nuptias,

(41) V. §§ 512, 513. Ad haec, V. Par. II., § 277.

(42) V. L. 14, *h. t.;* CC. 7, 8, *De Desp. impub.* - *Natura* (V. Proleg., § 29; infra, § 517).

(43) CC. 2, 10, 17, *h. t.*

(44) Ben. XIV, Not. 46. 9.

(45) S. Alph., VI, 848. Nec, verius, valere incipiunt prioribus dissolutis (Ex L. 30, *De R. I.;* Sanch., III, 50, 6; Pont., XIII, 12, 2; Spor., 629).

(46) Sanch., I, 2. 6; Cf. Baller., ad Gury, II, 733. Alii in utroque gravem putant, contra alii in neutro; sententia utraque S. Alph. (III, 447; VI, 847) probabilis, Lugoni gravis nec facile solvenda (*De Poenit.,* XVI, 178).

(47) Sanch., I, 28, 2; Pirhin., VI, 1, 16.

(48) V. Salm., 9, 2, 62: S. Alphons., VI, 867, utputa parochi, confessoris, etc. In foro externo, arbitrio Ordinarii (Bened. XIV, Not. 46, 5).

(49) CC. 2, 17, 31, *h. t.* Communis et certa (Reiff., IV, I, 137). Ita ut renuens olim excommunicatione quoque compelli poterat (C. 47, Cau. 27, 2; CC. 10, 31, *h. t.*); quod serius vetitum fuit, quia coacta matrimonia *difficiles solent exitus habere* (C. 17, *De Sponsalib.*); et huc recidit, ni fallor, S. Alph. (VI, 846).

(50) C. 22, § 1, *h. t.*

(51) Ex L. 14, § *Sed etsi, Pro Soc.;* Laym., II, 7. - *Verius*, nam D. Th., ex eoque Conci., et Ronca., contra putant; et propter Angelici auctoritatem, probabilitate non caret (S. Alph., VI, 868).

(52) L. 1 in fin., C. *De Ann. Except.;* Sanch., I, 63, 7; Pont., XII, 16 in fin.

(53) Laym., II, 17; Salm., 9, 2, 57; S. Alph., VI, 868, d. 2; ex C. 22, *h. t.*

non esse reiiciendum, sin diu post, non esse admittendum (54). At vero sponsalia nullum tribuunt *ius in re;* ideo quae solutis non licent, nec sponsis licent; velut oscula, nisi ex patrio more (Part. II., § 67, n. 45), et remoto quovis venereae, atque ideo et sensitivae (quae illi adeo est coniuncta) delectationis periculo (55).

CAPUT II.

DE SPONSALIBUS DISSOLVENDIS.

513. Sponsalia dissolvi possunt, etsi iurata, 1° mutuo dissensu: 2° si alter ex sponsis conditioni non paruit; 3° si res dari posse desiit: 4° si is casus inciderit, in quo alteruter ea non contraxisset: 5° demum, si alter perfectiorem vitae statum inire maluerit. Primum, secundum et tertium omnium contractuum, quartum donationum proprium est, ultimum heic singulare. In omnibus vero, quoties in ambiguo est utrum liceat a sponsalibus recedere, magis est ut liceat, ne coacta matrimonia fiant (1). Et quoties licet, in foro conscientiae cuique, vel propria auctoritate, discedere fas est (2). Sed impuberibus mutuo dissensu discedere non licet, quamdiu impuberes sunt (3).

514. Principio igitur omnibus sponsalibus haec tacita conditio inest, *si alter contra regulam desponsationis non venerit* (4). Proinde iure suo cadit (salvo iure alterius), 1° qui contrahendi matrimonii moram facit: 2° qui ab eis recedit quoquo modo, ut puta si postea cum alia vel alio iniit sponsalia (5): 3° qui fornicatur, seu vir, seu mulier; quippe quoad fidem servandam pari iure censentur (6). Amplius, ne matrimonia minus sponte inita difficiles exi-

(54) Sane si sponsus, peregre profectus, definita ad contrahendum die non rediit, recepta sententia est, si in longinqua regione moratur, non protrahi sponsalia (Ex C. 5, *h. t.*), quamvis ex causa necessaria, e. g., valetudinis, moram trahat (Sanch., I, 54, 6); secus si in vicina, et revertendi contrahendique matrimonii tempus ei praefiniendum esse (S. Alphons., VI, 867, v. *Certum*); nempe, quia inde non brevi, hinc brevi reverti poterit.

(55) S. Alph., VI, 854.

(1) Ex. C. 17, *h. t.;* et S. C. C., 5 apr. 1851. Quin iure civili integrum cuique erat pro lubitu discedere (L. 1, C. *h. t.*).

(2) Salm., 9, 2, 59.

(3) C. 8. *De Despons. imp.*

(4) C. 25, *De Iureiur.*

(5) Sporer, n. 237. Vel meram futuri matrimonii promissionem iniit.

(6) L. 23, Cau. 33, 6; cit. C. 25; Sanch., I, 55, 4; Pont. XII, 17, 3; Schmalz., IV, 1, 163. Quid si uterque? Num neuter discedere poterit (Bonac., Viva, etc.), quia *paria delicta mutua compensatione tolluntur* (L. 40, *Sol. matrim.*); an

tus habeant, sponsabilus et haec altera conditio inesse intelligitur, *rebus in eodem statu manentibus* (7). Et ideo sponsalia praeterea dirimuntur, si is casus supervenerit (8), vel (antea ignotus forte) apparuerit (9), in quo alter ex sponsis ea non contraxisset (10). Nempe, 1° si alter non possit coire nuptias sine incommodo gravi; ut puta sine familiae dedecore (11); 2° si qua gravis mutatio seu corporis, seu animi supervenerit (12); immo verius et fortunarum, si uterque pauperior (non si ditior) factus est (13): ac demum, 3° si

uterque, quia in servanda fide uterque eodem iure utitur (Pal., P. II, n. 10; Brouwer, *De Iur. Connub.*, L. 1, Cap. 25, n. 13; Wiestner, IV, I, 106; Schmalz., IV, 1, 167; Palud., ap. Sanch., *l. c.*, n. 9;) an vir tantum, quia fornicatio mulieris turpior est? (Sanchez, I, 55, 9; Pont., XII, 17, 3; S. Alph., VI, 862). Haec sententia est quidem communis, sed mihi secunda videtur verior ex L. 13, § *Iudex*, 5, *Ad L. Iul. De Adult.*; quia in fornicatione, ex hoc capite, non turpitudo, sed violata fides inspicienda est.

(7) Ex C. 25, § 1, *De Iureiur.*; C. 17, *De Sponsalib.*; Sanch, I, 62, 4; S. Alph., VI, 876.

(8) Ex L. *Cum quis*, 38, pr.. *De Solut.*; C. 25, *Iureiur.*

(9) Sanch., I, 63, 2; Pont., XII, 18, 4; S. Alph., VI, 865. Quod in foro exteriori esse debet in aestimatione boni viri (Navarr., 18, 7; Sanchez, n. 6); in interiori quisque sui iudex est, dum ne seipsum decipiat (Laym. P. I, II, 18; Sporer, 279; V. Croix, VI, III, 168).

(10) Laym., n. 18. - *Communissima* (Reiff., IV, 1, 255).

(11) Ex L. 42, *De Rit. Nupt.*; S. Alph., VI, 851, q. 3. Si parentes id graviter ferant; licet antea consenserint (Spor., 280), si exinde timeantur odia, etc. (S. Alph., 887). Item si passurus esset aliquid grave in rebus domesticis; seu hoc damnum sit, ut ecce si pater paratus sit eum exheredare (Pont., XII, 17, 18); seu (ceu non improbabiliter placet nonnullis) lucrum, puta si vir longe ditiorem invenerit (V. S. Alph., 876); *nam si id praevidisset tempore sponsalium, non contraxisset* (Perez, *h. t.*, D. IX, Sect. XI, n. 10).

(12) Sanch., I, 63, 2; Pont., XII, 6, 18. Utputa si vir paralisi aut morbo comitiali coeperit laborare, si insignem deformitatem contraxerit (C. 25, *De Iureiur.*); si mulier vi fuerit oppressa (Ex C. 33, Cau. 27, 2: S. Alph., 860, v. *Si vero*): aut sciens volens passa sit ab alio tangi se turpiter (Sanch., I, 55, 5; Pont., XII, 17, 3). Non item si vir, coactus metu, aliam cognoverit, quia non eadem foeditas est, vel aliam turpiter contrectaverit; nisi forte ex his colligi possit, ipsum hanc magis amare, vel uxori fidem non servaturum (Sanchez, *l. c.*; Laym; Schmalz., IX, 1, 181). Si alter pravos mores induit, vel crimen famosum admisit, vel a *Fide* descivit (L. 5, C. *h. t.*); etc.

(13) Pont., XII, 17, 9; Sporer, n. 218; Croix, VI, III, 172. Nempe, propter onera matrimonii. Quid si alter eorum tantum sit factus ditior (utputa si insperato ei praedives hereditas obvenerit), vel pauperior? Et siquidem *ditior*, communior sententia est sponsalia non solvi (Sanch., I, 59, 6; S. Alph., VI, 876). Nihilominus sententia contraria non videtur improbabilis S. Alph. (*l. c.*); et Baller. (II, 731) prope 30 Auctores recenset, qui vel ei adhaerent, vel probabilem putant. Et merito (V. not 11). Sin *pauperior*, ipse quidem non potest urgere nuptias (S. Alphons., 863); sed nec alter, si quid opinor, nisi solus sufficiat, matrimonii oneribus sustinendis.

vir sine consensu mulieris, alio domicilium transtulit (14), vel in longinquas regiones profectus est diu post reversurus (15). At vero quoties uni tantum discedere licet, in potestate ipsius est renunciare iuri suo (16): et renunciasse intelligitur, si dein sponsalia rata habuerit sciens prudens, seu expresse, seu tacite; puta si cum sponso (seu sponsa) rem habuerit (17). Sponsalia insuper dissolvuntur si res dari posse desiit, idest si aliquod supervenerit (vel emerserit) impedimentum dirimens; quamvis dispensari soleat; sive id neutrius culpa inciderit, quia nemo cogendus est legi, per dispensationem, infligere vulnus (18); sive utriusque, *ut ea lege quam ambo contempserunt neuter vindicetur* (19). At si id acciderit unius culpa, is cogi poterit dispensationem impetrare, etiam secluso alterius damno, ne commodum ex iniquitate reportet; etiam cum incommodo gravi, sed non cum *magna impensa et longa mora* (20). Quid si cum alia matrimonium contraxerit, eaque mortua, prior sponsa, forte adhuc innupta, urgeat nuptias, an teneatur eam ducere? Negat Sanchez, quia *in perpetuum sublata obligatio restitui non potest* (21); affirmat Pontius, quia nullo iure cautum est sponsalia sic extingui (22). Mihi, si is mortuam duxerat bona fide, recte Sancius; sin mala, recte Pontius (Par. II., § 326).

515. Praeterea fas est recedere a sponsalibus ob perfectiorem vitae statum; seu quis professionem religiosam inire velit (23), dummodo id fieri possit sine gravi damno sponsae, et dum ne eam defloraverit (24), quae *certa:* seu ordinem sacrum, quae *recepta* (25); seu denique coelibem, emisso bona fide castitatis voto, vitae sta-

(14) C. 5, *h. t.;* Pont., XII, 15, 3.

(15) Ex cit. C. 5; Sanch., I, 54, 6. Quod esse debet in aestimatione boni viri (Canis.; Covarruv.; Pont., XII, 15, 4).

(16) Ex LL. 4, 6, *De Lege Commissoria.*

(17) Sporer, n. 285.

(18) Salm.. 9, 2; 70; Dicast., Tr. X, Disp. I, n. 554. Puta, si alter alterius, forte vidui, liberos in confirmatione tenuerit.

(19) Ex C. 6, *De Adult.;* L. 40, *Solut. matrim.* Ut ecce si uterque cum consanguineo sponsi rem habuerit sciens volens.

(20) S. Alph., VI, 858. Nisi forte reparandum sit damnum mulieri illatum, v. c., si cum ea nimis familiariter conversatus sit (S. Alph., *l. c.*).

(21) L. 98, § *Aream,* 8, *De Solut.;* L. *Servus effectus,* 29, *De A. et O.,* 20, ex cit. L. 98; Sanchez, I, 48, 3; Pirhin., IV, 1, 59; Laym., Conc., etc. Causam vero matrimonii perpetuam esse definiti iuris est (Ex L. 1, *De iure Dot.*). Quod autem, uxore mortua, liber evaserit, per accidens est (Ex L. 83, *De V. O.*).

(22) Pont., XII, 13, 4; Salm., 11, 39; S. Alph., VI, 875; Schmalz., IV, 4, 35.

(23) CC. 2, 7, *De Conversione Coniug.*

(24) Sanchez, I, 44, 3; Sporer, n. 249; Reiff., IV, 1, 221.

(25) Sanch., I, 47, 1; Pont., XII, 11, 1; S. Alph., VI, 871, 872.

tum, quae *probabilis* (26) sententia est. Quod cum fit, ipse quidem statim ac alteri voluntatem suam directe (Prol., § 72, n. 33), renunciaverit, eum a se (27); cum illud inierit, se ab eo (28), et, verius, quodam quasi interitu rei (Par. II., § 326), in perpetuum (29) liberat.

516. Ad ultimum, prout ceteri contractus rescindi possunt ex iusta causa Principali auctoritate, ita et sponsalia R. Pontificis auctoritate. Et in his locis, ubi civile contubernium viget, reor (quam recte viderint sapientes), Ordinarium tolerare posse ut sponsus seu sponsa cum alio vel alia matrimonium contrahat, si metuendum sit ne impeditus ad civile contubernium recurrat.

517. Sponsalibus dissolutis unius culpa, is arrhas, si quas dederat, amittit; si quae acceperat duplas reddit (30): poenam, si quae stipulata fuit, solvit (31); munera, dona quae ab altero acceperat, reddit. Non item dissolutis casu, v. c., si vir impos sit factus, mulier decesserit (V. Par. II., § 309, n. 25), excepto munere nuptiali, quod vir sponsae quasi rei (sit venia verbo) suae, et *ob causam* praestat (32). Sed an vir praeterea (in muliere vix accidit) teneatur damni? Et si poenae stipulatio intercesserat, non puto eum teneri (Par. II., § 320, n. 39), nisi forte cum ea rem habuerit (de quo mox); secus quasi ex acceptione iniusta tenebitur, licet post ea soluta is casus inciderit, quo a sponsalibus recedere potuisset, puta si mulier oculum amiserit (33). Quin et is, qui eligit perfectiorem vitae statum, si alter propter sponsalia expensas necessarias fecit, eum indemnem servare debebit (34). Ad extremum impuberi fas est recedere a sponsalibus cum ad pubertatem pervenerit, sed statim, et nisi ea, pubes factus, rata habuerit (35).

(26) V. S. Alph., VI, 870. Dixi *bona fide:* nam si eo consilio vovit, ut postea, impetrata dispensatione, alii nubere, vel aliam ducere possit, fraus ei patrocinari non debet (Ex C. 5, *Qui cleri. vel vovent.*).

(27) S. Alph,, VI, 869.

(28) Pont., XII, 10, 4; Pirhin., IV, 5, 4; Schmalz., IV, 5, 72.

(29) Bonac.; Sanch., I, 46, 8; Conci., ap. S. Alph., 873 in fi.

(30) Ex LL. 3, 5. *De Sponsalib.*

(31) Less., II, 40, 131; Pont., XII, 19, 4; S. Alph., VI, 853, q. 1.

(32) Ex L. 8, *De Condict. caus. data*, etc.

(33) Moli., Tr. II, 272; Sanch., I, 63, 5.

(34) Ex L. 5, *De Condit. cau. dat.;* Sanch.; Laym., P. I, Cap. II, 8, Spor., 260.

(35) C. *De illis, De Despons. impub.;* S. Alphonsus, 856; V. supra, § 511.

APPENDIX.

DE SPONSALIBUS OB REM INITIS.

518. Hactenus de obligatione quae oritur ex promissione matrimonii; de ea quae oritur ex re cum muliere habita, dictum est Par. II., §§ 277 et seqq. Fortior his est quae ex utraque oritur, cum quis nempe mulierem seduxit, promisso matrimonio. Heic igitur duplex nascitur obligatio: una ex *pacto;* altera ex *re*, quasi ex contractu innominato *do ut facias*. De utraque paucis.

519. Principio igitur quae ex *pacto* oritur obligatio, aequa est ex utroque latere. In hoc autem solum matrimonium in obligatione est: et quia aliud invito debitore exigi, creditore invito solvi non potest, nec viro integrum est dotem offerre, muliere invita; nec mulieri eam exigere, invito viro (1). Verum, ut obligatoria sit haec promissio, necesse est, 1° ut sit *licita:* ex hoc capite non tenet si matrimonium sine dedecore familiae iniri non possit (2). Nihilominus quia mulier rem non modicam praestitit, et existimationis (cuius periculum subiit) prope infinita aestimatio est, vir tenetur, etsi promissio fuerit prodiga (3): et si impedimentum subsit (quod dispensari solet), cogitur dispensationem impetrare, licet ipse ignoraverit impedimentum, et dispensatio sine incommodo gravi (§ 514) impetrari non possit (4). 2° Ut non sit facta per errorem dantem causam contractui (Par. II., §§ 303 et 413); sed aliter et aliter; nam

(1) Sanchs., I, 10, 3; S. Alphons., III, 647.

(2) S. Alph., III, 644 *Non tenet*, ideoque nec damni, dote sarciendi, obligationem parit (S. Alphons., 643; VI, 851).

(3) S Alph., VI, 851, v. *Iuxta.*

(4) Lugo, XII, 54; Croix, III, II, 320; S. Alph., III, 649, 650. – *Gravi;* non item si adeo immodico, ut e proprio statu excidere oporteat (S. Alph., VI, 850): veruntamen damnum sarcire debet (S. Alph., cit. n. 650). Sed an teneatur eam ducere si voto castitatis obstrictus erat? Negant plures, quia, cum rem iam alteri obligatam promiserit, sponsalia illicita sunt. Affirmant alii, quia promissioni gratuitae praevalet promissio onerosa, etiamsi mulier fuerit conscia voti (Lugo, XII, 50; Croix, III, II, 320; S. Alph., III, 649); quod mihi perdifficile est. Verum, hac sententia admissa, quaestio est, utrum vir matrimonium licite inire possit, non impetrata dispensatione: affirmat Lessius, quia necesse habet illud contrahere; negant Salmantic., quia *obligatus ad finem tenetur ad media;* et hoc S. Alph. (*l. c.*) est longe probabilius. Et recte, quia nemo ex delicto commodum reportat: ideoque, ea non impetrata, et peccat contrahendo matrimonium, et post illud contractum petere nequit. At mulier, quando ius eius praevalet, licite et contrahit et petit.

si dolus intercesserit ex parte alterius, dolus vitiat promissionem, seu vir mulierem, seu mulier virum (5), seu mutuo invicem sese deceperint (6); sin abfuit, sed alter deceptus est opinione sua, promissio, prout alias (§ 507, n. 16), cessat (7).

520. Ex *re* (copula extorta mulieri) nascitur obligatio, quoties culpa viri factum est, ut vel matrimonium amplius contrahi non possit (puta si aliam duxit, si suscepit ordinem sacrum), vel ad illud contrahendum mulier non amplius teneatur (ut ecce si falso nobilem se, vel divitem dixit, et mulierem decepit, aut vitiis indulgere coeperit). Et in priori casu dotem (quasi *rei traditae* pretium) petit (8); in posteriori hanc, vel nuptias (Par. II., § 277, n. 12, etc.). Dixi culpa viri, quia si nulla eius culpa intervenerit, extinguitur obligatio (Par. II., § 231, n. 2), et nec dos debebitur (9): scilicet quod ultro citroque *pro re* stipulatur, aut promittitur, *matrimonium* est (10); aliud autem pro alio, invito debitore, extorqueri non potest; puta si nuptias promisit deceptus errore suo, e. g., quia mulierem falso virginem putavit (11).

521. Restat ut videamus quid iuris sit si vir, simulata promissione matrimonii, rem extorsit. Et siquidem mulier simulationem animadvertit, perinde erit, ac si sponte fecerit copiam sui (12). Si nec animadvertit, nec facile poterat animadvertere, communissima sententia est, virum cogi eam ducere, quia in contractu *do ut facias*, cum unus dederit, alter, nisi vicissim faciendo, non libera-

(5) Lugo, XII, 24, 28; S. Alph., III, 646. Ut puta si vir se nobilem, aut mulier se virginem dixerit, et ille ignobilis sit, haec corrupta.

(6) Less., II, 10, 29; Lugo, XII, 34; S. Alph., *l. c.* – *Deceperint:* secus igitur si vir non ignoravit mulierem, v. g., esse corruptam; aut mulier virum ignobilem esse, quia *scienti et consentienti non fit iniuria neque dolus* (C. 37, *De R. I.*, in 6°).

(7) Less., II, 10, 30.

(8) Sanch., I, 10, 15.

(9) Sanch., *l. c.*

(10) Sanch., *l. c.;* S. Alph., III, 647.

(11) Less., II, 10, 29; S. Alph., III, 646. Sed contra Lugo (nn. 24, 25) heic aliquid dandum putat, quasi pretium *rei acceptae;* et forte est verius. Nec dicas pudicitiae infinitam aestimationem, atque ideo nullam restitutionem, esse: nam in promissione versamur, et iniquum videtur omni prorsus obligatione virum liberari, quia errore suo seipsum decepit. Ceterum si mulier exinde damnum coepit, v. c., quia mater facta est, hoc sarciendum esse S. quoque Alph. docet (*l. c.*). Sed utrum dandum sit, si parentes matrimonio *iuste* adversentur, ceu putant Navarr. et Sylv.; an minus, ceu Sanch. et Lugo? (V. S. Alph., III, 647). Sane si parentes *iuste* adversantur, ergo filius iniuste promisit, idest illicite: ideo, si mulier non ignoravit filium iniuste promittere, secunda; alias prima sententia videtur verior.

(12) S. Alph., III, 643. Ideoque, verius, vir nec ducit, nec dotat (Lugo, XII, 30; S. Alph., *l. c.*, d. 3).

tur (13). At si non animadvertit quidem, sed facile poterat animadvertere, Nostri, *quia praesumi probabiliter potest quod sponsa non fuerit decepta, sed decipi se finxerit* (14), fere omnes docent virum non cogi eam ducere: atque ideo nec, verius, dotare (15): ergo, si appareat manifeste deceptam fuisse, tenebitur, nempe si vir id intellexit, vel dubitavit tunc cum rem extorsit, quia dolo non caret qui alterius simplicitate ad suum lucrum abutitur (16).

Et haec de matrimonio haud satis multa; nam alia plura collegeram heic adiicienda, nisi adversa valetudine praepeditus fuissem: *quod Domino placuit factum est: sit nomen Domini benedictum.*

(13) Sanch.: 1, 10, 3; Lugo XII, 19, qui hanc sententiam *verissimam;* S. Alph., III, 642, qui *omnino tenendam* putat.

(14) D. Th., 4, Dist. 28, q. 1, Art. 2, ad 4: quod totidem fere verbis repetit Less. (II, 10, 24). Sive, uti ait Sanch., quia *videtur fraudi consensisse* (Sanch., I, 10, 7). Idque fieri putant, si vir aut multum conditionem mulieris excedit (nec illa ignoraverit); aut aequivoce, vel inconstanter loquutus est (Lugo, *De Iust.,* XII, 21; S. Alph., III, 643).

(15) Lugo, n. 30; S. Alph., *l. c.,* d. 3.

(16) Ex L. 7, *De Condict. causa data;* L. 44, *De Furt.* Idem iuris esse puto, si quis, initis cum Osia sponsalibus, nova subinde ineat cum Seia priorum inscia, cumque ea rem habeat; illis enim ex quacumque causa solutis, Seiam ducere debet; non secus ac in venditione rei alienae, quae postea venditoris sit facta (Ex L. 1, *De Except. rei emp.*).

FINIS.

INDEX

Introductio . . . . . Pag. 3

LIBER I.

DE REBUS SACRIS, RELIGIOSIS ET SANCTIS.

TRACTATUS I. DE LOCIS SACRIS ET RELIGIOSIS.

Art. I. Quemadmodum res efficiantur sacrae 4
Art. II. De locorum rerumque sacrarum execratione 11
Art. III. De rerum sacrarum violatione, seu de sacrilegio 13

TRACTATUS II. DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

Cap. I. De beneficiorum natura, erectione, unione, etc. 20
Art. I. De beneficiorum natura . . . . . ib.
Art. II. De beneficiorum erectione, suppressione, unione et divisione. 22
Art. III. De iure patronatus 26
Cap. II. De beneficiis conferendis 34
Art. I. Quinam beneficia conferre possint . . . . . ib.
Art. II. De promovendis ad ecclesiastica beneficia 41
Art. III. Beneficia quemadmodum sint conferenda 45
Appendix I. - De concursu 49
Appendix II. - Regula de triennali 53
Appendix III. - De vetita beneficiorum pluralitate 55
Cap. III. Beneficia ecclesiastica quomodo vacent 58
Cap. IV. De iuribus et obligationibus beneficiati 65
Appendix - De his quae beneficiis ecclesiasticis quoquo modo affinia sunt 71
Art. I. De legatis piis, capellaniis, vicariis et pensionibus ecclesiasticis. . . . . ib.
Art. II. De legatorum oneribus moderandis, vel adimendis 78
Art. III. De rebus Ecclesiae alienandis, vel non 80
Art. IV. De Peculio Clericorum. 87

TRACTATUS III. DE SIMONIA.

PRAENOTANDA . . . . . Pag. 90
CAP. I. DE SIMONIA IURIS DIVINI 92
ART. I. Ex quibus consistat simonia iuris divini . . . . . ib.
ART. II. Quemadmodum contrahatur simonia iuris divini 94
ART. III. Quaenam excusent a simonia iuris divini 98
CAP. II. DE SIMONIA IURIS HUMANI 103
ART. I. De temporalibus spiritualibus adnexis . . . . . ib.
ART. II. De pactis non adiiciendis 106
ART. III. De mercede et muneribus non accipiendis 108
CAP. III. QUIBUS SIMONIACI TENEANTUR 110

LIBER II.

DE OBLIGATIONIBUS QUAE OMNIUM CHRISTIANORUM COMUNES SUNT, ET SINGULORUM PROPRIAE.

TRACTATUS I. DE OBLIGATIONIBUS QUAE OMNIUM CHRISTIANORUM COMMUNES SUNT.

TITULUS. I. De festorum observantia.

CAP. I. EX QUIBUS FESTORUM OBSERVANTIA CONSISTAT 114
CAP. II. QUAENAM EXCUSENT AB OBSERVANTIA FESTORUM 119

TITULUS II. De ieiunio ecclesiastico.

CAP. I. EX QUIBUS IEIUNIUM CONSISTAT 123
CAP. II. DE OBLIGATIONE IEIUNII. QUINAM ET QUORSUM TENEANTUR. . . 127
Adnotatio circa jejunii et abstinentiae legem hodie mitigatam. 132
Appendix - De pravis libris non legendis, retinendis, edendis. 134

TRACTATUS II. DE OBLIGATIONIBUS QUAE SUNT SINGULORUM PROPRIAE.

TITULUS I. De obligationibus clericorum.

CAP. I. DE OFFICIIS OMNIUM CLERICORUM PROPRIIS 139
ART. I. De externo clericorum cultu, et de divino officio a clericis recitando . . . . . ib.
ART. II. De negociis saecularibus, aliisque a clericis non obeundis . 145

CAP. II. De obligationibus eorum qui in sacris ordinibus constituti sunt . . . . . Pag. 150
CAP. III. De obligationibus eorum qui in aliquo officio constituti sunt 152
Art. I. De Parochis . . . . . ib.
Art. II. De Canonicis 163
Appendix - De applicatione missarum 173

TITULUS II. De voto.

CAP. I. De voti natura et effectibus 178
Art. I. Ex quibus voti substantia consistat . . . . . ib.
Art. II. De voti obligatione 183
CAP. II. Vota quemadmodum cessent. Et de irritatione et dispensatione seu commutatione votorum. 486
Art. I. De irritatione votorum 189
Art. II. De dispensatione et commutatione votorum 192
CAP. III. De regularibus 198
Appendix - De clausura 207

LIBER III.

DE SACRAMENTIS.

TRACTATUS I. DE SACRAMENTIS IN GENERE.

TITULUS I. De natura sacramentorum novae legis.

CAP. I. Quibus sacramenta N. L. perficiatur 213
Art. I. De materia 214
Art. II. De forma 215
Art. III. De intentione ministri 218
CAP. II. De sacramentorum virtute, et effectibus 221

TITULUS II. De sacramentorum administratione et susceptione.

Praenotanda 224
Art. I. De ministro, et quae minister observare debet in sacramentis confereudis 228
Art. II. De subiecto, et quae subiectus praestare debeat in sacramentis recipiendis 231
Art. III. De his, quae seu minister, seu subiectus cavere debet alter alterius causa 234
Appendix - De ritibus servandis in administratione sacramentorum, et de sacramentis non iterandis 236

TRACTATUS II. DE SACRAMENTIS CHARACTERISTICES.

CAP. I. De baptismo 239
CAP. II. De confirmatione 247
Appendix - De patrinis 249
CAP. III. De sacra ordinatione. 252
Art. I. De materia et forma singulorem ordinum . . . . . ib.
Art. II. De ministro et subiecto 254
Art. III. De sacra ordinatione rite peragenda 257

TRACTATUS III. DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

TITULUS I. Ex quibus poenitentia consistat.

Praenotanda 260

Sectio I.

De his quae pertinent ad poenitentem. 262
CAP. I. De confessione peragenda. . . . . ib.
CAP. II. De contritione. 270

Sectio II.

De his quae pertinent ad ministrum 277
CAP. I. De iurisdictione . . . . . ib.
CAP. II. De absolutione 283
CAP. III. De officiis confessarii 285
Praenotanda . . . . . ib.
Art. I. De officio iudicis et ministri 287
Art. II. De officio medici 290
Art. III. De officio doctoris 296

Sectio III.

Communia confessariorum, et poenitentium 297
CAP. I. De satisfactione . . . . . ib.
CAP. II. De supplendis confessionum defectibus. 300

TITULUS II. De adiunctis poenitentiae.

CAP. I. De sigillo sacramentali 304
CAP. II. De sollicitatione. 312
Appendix 317

Art. I. De confessariis regularium etc. . . . . Pag. 317
Art. II. De obligatione confitendi 321

TRACTATUS IV. DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA.

CAP. I. De eucharistia secundum se. 325
Praenotanda . . . . . ib.
Art. I. Communia Sacrificii et Sacramenti 326
Art. II. De Eucharistia qua est sacrificium. 330
Art. III. De Eucharistia qua est Sacramentum. 332
CAP. II. De eucharistia conficienda, suscipienda et ministranda . . 335
Art. I. De Sanctissima Eucharistia conficienda . . . . . ib.
Art. II. De Sanctissima Eucharistia administranda 341
Art. III. De necessariis tum animae tum corporis dispositionibus. . 342

TRACTATUS V. DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS. 348

TRACTATUS VI. DE MATRIMONIO.

Sectio I.

De matrimonii definitione et natura 353

Sectio II.

De matrimonio contrahendo 358
CAP. I. Substantialia matrimonii . . . . . ib.
Art. I. De re ad contraendum habili 359
Art. II. De causa matrimonii 364
Art. III. De consensu ad matrimonium contrahendum necessario. . 369
CAP. II. De his quae matrimonio accidentalia sunt 375
CAP. III. De matrimoniorum solemniis 377
Art. I. De solemniis quae pertinent ad contractum matrimonii . . 378
Appendix. Noviss. Decretum S. C. C. circa sponsalia et matrimonium 388
Art. II. De celebratione matrimonii, qua est sacramentum 390
Appendix - De iuris civilis solemniis non omittendis . . . 394

Sectio III.

De matrimonio iam contracto 396
CAP. I. De matrimonio valido, vel dubio, vel nullo . . . . . ib.
Appendix - De privilegio Paulino quod vocat 401
CAP. II. De matrimonio dubio 406
CAP. III. De matrimonio nullo, et de matrimoniis revalidandis . . 408
Appendix - De dispensationibus 414

Art. I. De causis dispensationum, et de proponendis in suplici petitionis libello. . . . . Pag. 414
Art. II. A quo petenda sit dispensatio. 420
Art. III. De dispensationibus a S. Sede impetratis expediendis . . 424

Sectio IV.

De sponsalibus 429
CAP. I. De sponsalibus ineundis eorumque effectibus . . . . . ib.
CAP. II. De sponsalibus dissolvendis 436
Appendix - De sponsalibus ob rem initis 440

INDEX GENERALIS

Numeri Romani *Partem,* inclusi hoc signo ( ) art. censurarum vigentium; arabici *paragraphum,* inclusi hoc signo ( ) *notam* significant.

A

Abbas *vere nullius,* I, 95 (41).

Abortivus quis, I, 27 (8).

Abortus, I, 421. An unquam licitus, II, 284, 285 (30). Poenae, 287, I, 392 (II). Irregularitates, I, 421.

Absens quis in iure civili, I, 37 (20).

Absolutio in quo distet a dispensatione, I, 319. A poenis, 320, a censuris, 337-350, a peccatis, III, 326-328. Ad reincidentiam, I, 349; moribundi, III, 317.

Abstinentia quid, II, 64. A delectu ciborum, quatenus pateat, III, 132, 140. Quae hodie servanda, V. Adnotatio post § 140.

Acatholici, I, 109. II, 7.

Acceptatio; necessaria ad acquirendum quodvis ius, II, 125, iurisdictionem, I, 74 (32), privilegium, 225 (23), hereditatem, II, 382, legatum, 354, donationes, 517. An ei locus esse possit mortuo donante, vel donatario, *ib.* (32); quoad actus ultimae voluntatis, II, 302, si agatur de solvendo, velut a censuris, I, 351, a debitis, II, 324 (28). Singularia quoad dispensationes, I, 225 (25).

Acceptilatio, II, 324.

Accessio, ius, II, 136. Quoad res SOLI inaedificatio, plantatio, satio. - Alluvio, avulsio, alvei mutatio, 137. - Quoad res MOBILES, adiunctio, specificatio, commixtio, 138.

Accidia, II, 15.

Accrescendi ius, II, 363. Quoad heredes scriptos, *ibid.;* legitimos, 364, fructuarios, 363 (28).

Actio quid in iure, I, 26 (18).

Actor quis, II, 585.

Actus hominis, vel humani, I, 141: actus humanus quid, *ibi;* quotuplex, 145, 146, 149: quibus opus sit ut humanus dici possit, 142-145; eius bonitas, malitia, 151-154, imputatio, 155-159.

Actus ultimae voluntatis, et inter vivos (COMMUNIA). Quid, II, 299; substantialia (res, causa, voluntas), 300-306; accidentalia (conditio, dies, modus), 307-311; solemnia, 312-315; interpretatio, 331-333; obligationes (ex) 316-321: quomodo tollantur, 322-327; *alternativae,* 328, *solidales,* 329, *indivisibiles,* 330: (SPECIALIA) quoad actus ultimae voluntatis. V. *Hereditas, Heres, Legatum, Legitima, Testamentum, Successio:* quoad actus inter vivos. V. *Contractus, Quasi contractus, Fideiussio, Iuramentum, Mandatum, Evictio, Emptio et Venditio, Permutatio, Cambium, Societas, Locatio et Conductio, Colonia, Emphyteusis, Census, Donatio, Depositum, Commodatum, Mutuum, Usura, Pignus, Ludi, Adsecuratio, Vitalitium.*

Accusator, II, 600. Quando irregularis, sive laicus sive clericus, I, 425, 426.

Acquisitio domini, II, 124, etc. V. *Dominium.*

Admixtio: rei profanae, rei sacrae seu benedictae, III, 12; V. *Accessio.*

Aditio hereditatis, II, 384, iuris adeundae hereditatis praescriptio, 385. V. *Hereditas.*

Adoptio-arrogatio quid, I, 51.

Adoratio, II, 17.

Adsecuratio, II, 549-551.

Adulterium, II, 279. Quoad filios adulterinos, I, 49, (20); restitutionem, II, 280-281, matrimonium cum adultera, III, 439.

Advena quis, I, 85, an subditus loci ubi moratur, 86. V. *Peregrinus.*

Advocatus, II, 589.

Aedes communes, II, 115.

Aedificatio in praedio alieno, vel ex tignis alienis, II, 137; distantia a praedio vicini, 173.

Aegri. V. *Infirmi.*

Aeromantia, II, 30.

Aequitas quid, I, 183 (22), in legibus, *ibid.;* et actibus, II, 331 (8) interpretandis; servanda in contractibus onerosis, 469.

Aequivocatio, II, 294.

Aetas, I, 33, minor, maior *ib.;* quomodo in homine supputanda. 38; necessaria ad peccandum, 33, delinquendum, testandum, contrahendum, 34, II, 409, ad beneficia ecclesiastica, III, 37, ad ordines 293, ad matrimonium, iure canonico, 431 (11) civili, 468 (4).

Affecta beneficia quae, III, 36.

Affinitas quid, I, 62; mixta, 64; obstat nuptiis, III, 433 (17, 18).

Aggio quid, et quatenus licitum, II, 473.

Aggressor iniustus quis, II, 100; an liceat eum occidere ob defensionem vitae, libertatis, pudicitiae, bonorum, 283.

Alea, *contractus* aleatorii, II, 407, qui, et quatenus liciti, 543-556: *Ludi,* an liceant Clericis, III, 160.

Alienatio, an permissa minoribus, I, 34, interdictis, inhabilibus, 35, nuptis, 48, tutoribus et curatoribus, 58; in fraudem creditorum, II, 421-423; immobilium, quando valere incipiat quoad tertios, 415; bonorum Ecclesiae, III, 77-84.

Alimenta, II, 358. Quibus et a quibus praestanda, 576, quid praestandum, quantum et quomodo, 577, quibus denegari possint, 578. Variant, cessant, 579.

Alluvio, II, 137. V. *Accessio.*

Altare, III, 2 (4), fixum (6), portatile, (7); consecratio, (8), execratio, 9. Privilegiatum pro defunctis, 2 (8); privilegium altaris portatilis (7).

Alvei mutatio, II, 137.

Amentes, V. *Mentecapti.*

Amphybologia. V. *Aequivocatio.*

Amor benevolentiae, concupiscentiae, II, 12 (9); III, 312 (15).

Androgyni, I, 29 (15).

Anniversaria. V. *Legata pia.*

Annus. V. *Tempus.*

Antichresis, II, 542.

Apostasia, Apostata, I, 109; *à fide,* II, 7bis, a Religione, III, 225. Poenae, I, 110, 390, (1).

Appellatio, II, 591, intra quod tempus interponenda ex iure canonico, I, 313, quando liceat eam interponere, cit. § 591, suspendit sententiam, ll. cit. praeterquam in censuris, I, 334. Quoad concursum in beneficiis ecclesiasticis, III, 47.

Appetitus, I, 123, 124, 275.

Applicatio missae. V. *Missa, Parochus.*

Approbatio quoad confessiones, III, 318, (1).

Appulsio. V. *Avulsio.*

Aqua *profluens,* quinam ea uti possint, II, 116, pluvia, 110 (12), stillicidium (17). Quae in meo oritur (9), vel in meo restagnat, 179, quomodo ea uti possim, 110, 180, etc. V. *Servitus.*

Arbores in confinio cuius sint, II, 114, plantatae in alieno, 137 (5); distantia a praedio vicini, 173: quid si in meo radices egerint, vel rami impendant, aut ventus eas inclinaverit, 110.

Arbor consanguinitatis, I, 61.

Argentarius. V. *Campsor.*

Arrha quid, II, 321, in sponsalibus, III, 509.

Ars notoria, II, 37.

Articulus mortis quis, I, 38. Quoad benedictionem apostolicam, *ib.* n. 22, censuras, 349bis, sacramenta, III, 249, absolutionem a peccatis, 317, matrimonium, si obstet impedimentum, 493, vel Parochus desit, 460 (57). Appendix post § 461 (4).

Artifices, an promissum opus per alios perficere possint, II, 318. Quid si fecerint imperite (16).

Assecurationis contractus, II, 549, rerum, 550, personarum, 551. V. *Vitalitium.*

Astrologia, II, 30; naturalis, iudiciaria, 33; lectio librorum, III, 141.

Attritio, III, 311, quaenam requiratur in Sacram. Poenit., 312.

Asylum ecclesiasticum, III, 15 (13).

Auctor a quo habetur causa, I, 24 (8).

Avulsio, quid in iure, II, 137.

B

Baptismus quid, III, 270; quotuplex, 278; materia remota, 270, proxima, 271; forma, 272; minister, 273; subiect. – *homo,* 274, etsi nondum in lucem editus (35), infans, adultus, 275, ostentum, vel monstrum 274; quando, ubi, quomodo conferendus, 276, reiterandus, 277; effectus, *ibid.*

Benedictiones invocativae, constitutivae, Episcopales, sacerdotales, I, 90 (13); parochorum propriae, I, 98; nuptae civiliter tantum post partum, III, 467 (1).

Beneficiati; iura et officia quando incipiant, III, 62; iura, obligationes, 63, 67, officia, 64; quinam eximantur horarum recitatione, 66; restitutio ob eas omissas, 64, 65; quinam teneantur fidei professionem edere, 68 (44), residere, (42); quoad missarum applicationem, 69, quando et quomodo privandi fructibus beneficii, vel beneficio ipso, 61 (51, 52). V. *Beneficium.*

Beneficium ecclesiasticum quid, III, 18, quotuplex, 19, *duplicia, simplicia, residentialia, saecularia, regularia, libera, patronata,* 19, *reservata,* 33, *affecta,* 36, (43); singularia, seu incompatibilia, 51, impropria, 70, etc. Beneficiorum erectio, 20, suppressio, divisio, unio, 21, collatio, vel in eis institutio, vel de eis provisio, 32 (1). Conferunt regulariter Ordinarii, 32; R. P. iure reservationis, 33, 34, devolutionis, 35, praeventionis, 36. Quibus conferenda, 37-39. Quomodo, 41-43; per concursum quae, 44. Vitia collationis quomodo sanentur, 48-50. An plura uni conferri possint, 51-54. Quomodo vacent per se, 55, 56, per renunciationem, 57-59, permutationem, 60, in poenam, 61.

Bestialitas, II, 65 (24).

Bigamia (quoad irregularitatem) quae, I, 416; vera, 417, similitudinaria, 418, interpretativa, 419; deletur, 420.

Blasphemia, quid, II, 56, 57; quotuplex, 58, in Sanctos, 59, haereticalis, 58.

Bona quae, II, 103; immobilia, mobilia, semoventia, *ib.*, ecclesiastica, 104 (6) incerta, (8), vacantia, (9), dotalia, quae in commercio esse nequeunt *ib.*, (10, 11, et 12) 563-566, paraphernalia, 563-567, vectigalia, 506 (6). V. *Res.*

C

Caducitas, II, 362.

Caecus quoad irregularitatem, I, 414 (18) etc., horas canonicas, III, 152 (40), chorum, 181 (37). Caeci a nativitate quoad negocia civilia, I, 30 (14).

Calix, materia, III, 7 (41); consecratio, I, 90 (15), execratio, III, 10 (14).

Calumnia, II, 261.

Cambium quid et quotuplex, II, 473; quae vetita Clericis, III, 157.

Campsor, quoad emolumentum, II, 473.

Cancellariae Regulae, III, 33 (10). Canonici iura et officia, III, 178, Theologus, 185, Poenitentiarius, 186, Parochus, 187, Coadiutor, 183, honorarii, 188, Cathedralium accedunt dignitatibus, I, 88 (3), quoad convocationem V. Collegium, quoad suffragium V. suffragium.

Canonis privilegium, I, 100.

Capellania quid et quotuplex, et quibus conferri possit, III, 71.

Capellani militum, I, 85 (27), quoad

confessionem, III, 318 (3); monialium, hospitalium, confraternitatum, etc.. quoad matrimonia, 457 (38).

Capitulum ecclesiae cathedralis: consultum in condendis legibus Episcopalibus, 1, 199; potestas, vacua Sede, 97, ius conferendi beneficia, III, 32 (3). V. *Collegium.*

Cardinales S. R. E. in nonnullis appellatione Episcoporum continentur, I, 95; gaudent privilegio altaris viatici, III, 2 (7), 6, (38); non sunt poenis jure canonico latis obnoxii, I, 325.

Caritas, II, 12; erga Deum quando obliget, 13; erga proximum, quid, 79, ordo, 80. Quid IUBEAT quoad necessitates spirituales, 84, 85; temporales, 82, 83; VETET, 86, quoad spiritualia, v. *Odium, scandalum;* quoad temporalia, 92; PERMITTAT 95-97. In quo distet a iustitia, 76, 101.

Castitas, II, 65.

Cathedralis Ecclesia. V. *Canonici-Capitulum.*

Caupones, II, 94 (12).

Causa quae, et quandonam ei imputentur effectus, I, 158; damni II, 202; *negativae,* 209. V. *Restitutio.*

Censura quid et quotuplex, I, 324bis, latae sent., fer. sent., 328, reservata, 338, interpretanda, 309, 310. Qui eam ferant, in quos, 325. Sine delicto et contumacia irrogari non potest, 326. An quis possit obnoxius fieri pluribus censuris, 327. Quomodo irrogandae, et an comminatio necessaria, 328, 329. Effectus, 330, etc. Violatio censurae, 332. Appellatio an eam suspendat, 334. Quaenam excusent, 318, 333, 334. Absolutio an semper necessaria, 335; a quibus danda, 319-324, 345-350, queis, 351, 352, quomodo, 353, 354, 355, ad reincidentiam, 354, 359bis. Censurae dubiae, 317, 356. Ad instar poenarum, vel privationis, 357, 358. V. *Excomm., Suspensio, Interdictum.* Censurae latae sententiae quae nunc vigent, 389-398.

Census quid et quotuplex, II, 511; quid praestet, 512; quomodo extinguatur, 513; *Vitalitius,* 555.

Certitudo quid et quotuplex, I, 119; qua opus sit in humanis actionibus peragendis, 125; in sacramentis administrandis: III, 249, 250.

Cessatio a divinis, I, 378.

Character, I, 87, 91; sacramenta charateristica, III, 224.

Chiromantia, II, 30 (19).

Choreae, II, 68 (52); vetitae clericis, III, 161.

Chorus. Qui choro obstricti non intersunt quatenus peccent, III, 181 (43); amittunt distributiones ipso iure, 181; privantur, officio iudicis, fructibus, 180 (26), beneficio, 61 (51). Qui, fictione iuris, praesentes habeantur, 181, etc.

Chrisma quid, III, 279. An citra simoniam vendi possit, 108 (8).

Cibaria, II, 358. V. *Alimenta.*

Cingulum; benedictio, I, 90; execratio, III, 11, (19).

Circumstantiae, I, 153. Malae an vitient actum bonum (12); peccatorum, 294; aggravantes an confitendae, III, 303.

Civile matrimonium, quid, III, 467; an praestet impedimentum pub. honestatis, 434 (27), an sanari possit, 504 (22).

Civis, quis et eius iura, I, 117-119; quomodo civitas amittitur, 117 (1).

Clandestinitas *impropria,* III, 452 (8), *propria,* 456, 457.

Claudus, an irregularis, I, 414 (21, 22).

Clausulae in mandatis quatenus valeant, I, 76; appositae in rescriptis S. Poenitentiariae, 242, in dispensationibus matrimonialibus quomodo interpretandae, III. 500-502.

Clausura quid, III, 227.

Clericus quis, I, 88. Privilegia Fori, Canonis, Cap. *Odoardus,* 100. Officia, III, 145, etc. Exercens ordinem quem non habet fit irregularis, I, 411. Vetita Clericis, III, 154, etc.; peculia, 85, 86, percussores Clericorum, I, 365. Nomine clericorum in odiosis non veniunt Episcopi, dignitates etc., I, 88.

Coemeterium, III, 4, benedictio (18) pollutio, 15 (26). Sepeliendi in coemeteriis, 4.

Cognatio, I, 60; *naturalis* - con-

sanguinitas, 61, affinitas, 62, multiplex, 63, mixta, 64; *legalis*, 65; *spiritualis*, 66. Obstant nuptiis, III, 433 etc.

Collatio *bonorum*, II, 386; inter quas personas locum habeat, 391; quae veniant in, 392; quomodo facienda, 393. *Beneficii*. V. *Beneficium*.

Collatiuncula. V. *Ieiunium*.

Collegium, qua persona moralis, I, 43. Coitur, convocatur, minorum jure censetur, 44, an possit condere statuta, 199 (5). Quatenus censuris obnoxium, 325 (9), 358 (13). Extinguitur, 45.

Colonia, II, 498-501.

Commissoria pacta, in venditione, II, 457; in pignore, 540 (3).

Commixtio, V. *Admixtio*, II, 136.

Commodatum, II, 526.

Communicatio cum apostatis, haereticis, schismaticis, I, 110, iudaeis, 111 (19), excommunicatis, 331.

Communio, Eucharistica, V. *Eucharistia;* bonorum, II, 112, muri, 113, 115, arborum, 113, 114; inter coniuges, 483, fratres, 484.

Commutatio voluntatum, II, 365, poenitentiae sacramentalis, III, 348, votorum, 209.

Comoediae, II, 68 (50).

Compensatio occulta, II, 255; civilis, seu debiti et crediti, 346.

Complex quis, I, 174, poenae, 301-303, 310. Non licet confessario exquirere nomen, III, 334; poenae contra docentium (15). Absolutio complicis in re turpi, 324.

Comprobatio quoad contractus, II, 418.

Concordata quoad beneficia, III, 33 (26).

Concupiscentia – concupiscibilis, I, 124, 125, 149. Amor concupiscientiae, II, 11.

Concurrentes in delictum, seorsim, I, 300; communi consilio (Participantes), mandans, consulens, 301; auxilium, favorem praebens, receptator, non impediens, 302; ratum habens, 304.

Concursus; quaenam beneficia concursum desiderant, III, 44. Quomodo peragendus, 45, 46. Appellatio, 47.

Conditio, quid, causalis, potestativa, mixta, suspensiva, resolutiva I, 41, affirmativa, negativa, 41 (28), II, 308; quae actibus insertae utiles sint, quae vitient, quae vitientur, 307; quomodo implendae, 308. Quid praestent quamdiu in pendenti sunt, 308; cum extiterint, 309, si defecerint, 309, et I, 41 (32). Quaenam apponi possint in sacramentis administrandis, III, 251, in sponsalibus 508, in matrimoniis, 448. *Conditio personae*, I, 117; servilis quando obstet nuptiis, III, 444 (15).

Condominium. V. *Communio*.

Conductio. V. *Locatio*.

Confessarius iurisdictione opus habet, III, 318. Qui polleant ordinaria, *ib.;* a quo danda sit delegata, 319; quomodo finiatur, 320, prorogetur quoad tempus, personas, loca, 322, suppleatur a iure, 321. Quoad (V.) *articulum mortis;* reservata, V. *Reservatio*. Confessarius militum I, 85 (27), III, 318 (3), monialium, 370-376, navigantium, 319. Officia, 329-331, iudicis et ministri, 332-335, medici, 336-342, doctoris, 344, quoad opiniones poenitentis, 345. Quid si circa ea defecerit, 349-356.

Confessio *iudicialis* – an reus teneatur crimen fateri, II, 602 – *sacramentalis*, V. *Poenitentia*.

Confirmatio, materia, III, 279, 281; forma, 280; minister, 282; subiectus, 283; an infantibus conferenda (15); virtus, 284.

Confusio; modus acquirendi dominii, II, 138, extinguendae obligationis, 326.

Congregatione Sacrae (Concilii, Ep. et RR.), I, 93; Religiosae, 107.

Coniuges, I, 47, putativi, 56. Iura et officia, 48; II, 560; quoad thorum, III, 469, 472, alimenta, II, 562. V. *Parentes*, *Uxor*.

Consanguinitas. V. *Cognatio*.

Conscientia, quid et quotuplex, I, 250, quotuplex antecedens, 251; quaenam actionum regula, 252; quid, si agendum sit, quando conscientia est dubia? 253, 255; quae conscientia consequens, 254; Moralistarum systemata quoad conscientiam, 256-270,

V. *Probabilismus, Tutiorismus, Regula de possessione.*

Consecratio. V. *Benedictio. Eucharistia.*

Consensus, quid, II, 411; quaenam obstent consensui, quoad contractus, 412, sponsalia, III, 506, matrimonium, 443, professionem religiosam, 216.

Consilium auctoritativum, doctrinale, II, 204. Consiliator rei malae quoad poenas, I, 303, 310; restitutionem, II, 204, quid si consilium, revocaverit, I, 301; II, 206.

Consuetudo praeter legem, I, 245-247; contra legem *(desuetudo)*, 181, 203; secundum legem, 247 (25).

Contractus, quid, II, 407, quotuplex, 408, innominati, 408, aleatorii, 543. Quinam contrahere possint, 409; quatenus vitient contractus metus et error, 412. Conditiones, 307-309. Solemnia ut valeant *per* se 414, ut quoad tertios, 415. Effectus, 416. *Validi* resolutio, 418, *irriti* confirmatio, 419, *vitiosi* rescissio, 420; quatenus haec noceant tertiis, 421. Accessoria. V. *Fideiussio, Iuramentum.* Assecurationis, 549, 550. Trinus, 482.

Contritio, III, 310. Perfecta, imperfecta, 311. Necessitas in confessione, 312, extra, 381. V. *Dolor.*

Contumacia quoad censuras, I, 326.

Contumelia, II, 273.

Conventio, II, 407. V. *Contractus.*

Cooperatio, formalis: materialis, quando licita, I, 175; II, 93.

Cooperator, quis, I, 174, in delictis, 300-302, in damnis inferendis, II, 233.

Corporale. V. *Supellex sacra.*

Correctio fraterna, II, 83.

Craniotomia an licita, II, 284.

Creditor, quis, I, 26 (19), privilegiatus, 193. Gesta in fraudem creditorum, II, 421.

Crimen. V. *Delictum*, quodnam obstet nuptiis, III, 438-441.

Culpa; quae theologica, quae civilis et quotuplex, I, 297, quoad poenas *ib.*, restitutionem, II, 195, 231.

Cultus disparitas, III, 437.

Curator, queis detur, officia, I, 58, 59.

Curiones militum. V. *Capellani.*

Custodes agrorum, nemorum etc., quoad restitutionem, II, 209.

D

Dataria S., I, 93, quoad (V.) *beneficia;* quoad dispensationes Matrimoniales, III, 495, etc.

Damnum, quid, II, 195 (4). V. *Restitutio.*

Debitor quis, I, 26 (19); an satisfaciat, si donet immemor debiti, I, 166, (32); dubius an satisfecerit, II, 327.

Debitum: debita *incerta* cuinam solvenda, II, 218, 242, componit S. Poenitentiaria, I, 93 (24); *coniugale*, III, 649.

Decima quid, quibus debita, III, 175 (77).

Decisiones seu Declarationes SS. Urbis Congregationum, I, 184 (7).

Defectus, quoad (V.) *Irregularitatem;* confessionis a quo, et quomodo supplendi, III, 349-356.

Defloratio. V. *Stuprum.*

Defunctorum voluntates quomodo interpretandae, II, 333, exequendae, commutandae, 365. V. *Executor testamenti.*

Degradatio, I, 307, 388bis (80).

Delectatio venerea carnalis, naturalis, II, 66, morosa, I, 276 (21); sponsis et viduis an licita, III, 469 (10); de re mala ob effectum bonum, I, 276; de malo proximi, II, 86.

Delegatio, I, 72. V. Mandatum; ad universitatem causarum, 73.

Delictum quid, I, 296; non fit sine actu interno *(dolo)* 297, et externo perfecto et consummato, 298, idem externum obiectum habentibus, 299.

Dementes. V. *Mentecapti.*

Demonolatria, II, 28.

Denunciatio. Denunciandi haeretici dogmatizantes I, 390 (1), coriphei ac duces sectarum sub poena excommun. R. P. r., I., 391 (IV), et sollicitantes, V. *Sollicitatio:* impedimenta matrimonii, III, 453.

Depositum, II, 523, 525. Depositarius quam custodiam praestet, 524.

Desiderium, in quo distet a voluntate, I, 136 (25); rei malae, 275.

Desperatio, II, 10.

Desuetudo. V. *Consuetudo.*

Detractio, II, 259; quot modis fiat, 262, 265; audiens detrahentem, 263. Restitutio famae, 266, damnorum, 268; quando illa cesset, 267.

Diaconi officia, I, 89; III, 252, 273; an baptizans solemniter sine delegatione presbyteri fiat irregularis, I, 411 (23).

Dies, computanda, I, 39; certa, indefinita, incerta, 40; actibus adiecta, II, 311, matrimoniis, III, 450. Obligatio *ex die vel in diem: diem cedere, diem venire* quid, I, 40. Quando pro conditione sit, II, 319, etc. V. *Tempus.*

Digiti carentia, vel amputatio an faciat irregularem, I, 414, 422.

Dignitates, I, 88 (2), accedunt personis moralibus, 46.

Dilectio, V. *Caritas.*

Dimissoriae, V. *Literae.*

Dispensatio quid, I, 230; a quo et an ab inferiore dari possit, 231 (V. *Episcopus, Parochus*); quibus danda, 232; data sine iusta causa an valeat, 233; quomodo interpretanda, 234; cessat, 235; ab impedimentis matrimonii, III, 487, etc., a ieiunio, vel abstinentia, 137, a votis 208.

Dissimulatio, II, 297.

Distractio voluntaria in oratione, II, 20, in horis canonicis quoad restitutionem fructuum beneficii, III, 149.

Ditior ex re aliena quis, II, 238.

Divinatio quid, II, 30.

Divisio *rei communis,* II, 117, quatenus testamento vel pacto, vetari, 117, quamdiu peti, 117, 150 (30), possit: *hereditatis,* 398, quid dividendum. inter quos, et quomodo, 398, 399; facta retrotrahitur, 117, 400, rescinditur si dolus, aut laesio intervenerit, 401; divisio, *inter liberos,* 403. *Obligationum* inter creditores, et debitores, 329, *nominum,* 399.

Divortium, III, 471, 1° quoad vinculum, *ibi,* matrimonii infidelium uno ex coniugibus ad fidem converso, 473, etc., fidelium professione religiosa, 470 (16), vel suprema R. P. auctoritate (17); 2° quoad habitationem quando ei locus 471; 3° quoad torum, 472.

Doemoniaci, an irregulares, I, 415.

Dolor peccatorum, III, 310, 311, perfectus (V.) *Contritio;* imperfectus (V.) *Attritio.*

Dolus quid, I, 297; quinam doli capaces, 34 (7); vitiat contractus, II, 413.

Domicilium quid et quotuplex, I, 83; quomodo acquiratur, retineatur, amittatur, *ib.;* quid praestet, 85, 86, quoad sacramenta (34), ordines, III, 292 (3), matrimonium, 453.

Dominium quid, II, 109; *semiplenum, revocabile, ibid.;* naturale, civile, directum, utile (3). Iura, 110; quomodo coerceantur, 111. Quibus opus sit ut dominium acquiri possit, 125. Acquirendi dominii modus. *Occupatio,* 128-132; *Accessio,* 136-138; *Titulus,* 133; *Usucapio,* 139, etc. Amittitur, 145.

Domus communis, II, 115.

Dona, an egeant acceptatione. V. *Acceptatio.* Non accipienda a Magistratibus, II, 584. Quae poenae teneant accipientem a Regolaribus, III, 325; in dispensationibus matrimonialibus, 501 (15), in concursu ad Parochias, 118 (13).

Donatio quid et quotuplex, II, 514, *inter vivos,* 515; a quo, et quibus fieri possit, 516, rerum immobilium quomodo acceptanda, 517. Solemnia, 517, quoad tertios, 415; effectus, 518. Resolvitur non impletis conditionibus, revocatur natis liberis, ob ingratitudinem, 519. Donationes *indirectae simulatae,* 521, contemplatione matrimonii, 520. Sacri Patrimonii causa, 515 (11); III, 295.

Dormiens quoad actionum imputationem, I, 32.

Dos quid, II, 563. Quarum rerum in plenum viri dominium transeat, 564. Hypotheca legalis, 188 (13); administratio, 564 (32); quando alienari possit, 565; restitutio, 566. Lucra dotalia, 570.

Dubium quid et quotuplex, I, 127. Dubia lex, 162 (21), dispensatio, 233

(31), iurisdictio, 80, dominium, II, 121, matrimonium, III, 478. Quid iuris in dubio, utrum quis deliquerit, I, 309, damnum dederit, II, 217: circa consuetudin. introduc., I, 246. In poenis, I, 317, censuris, 356, irregularitatibus, 404, reservationibus, I, 80, 342, dispositionis, III, 339, impedimentis matrimonialibus, 498 (25). An impleveris legem, I, 169, obligationem, II, 327, an tibi debitum sit, quoad compensationem occultam, 255. Interroganti quomodo respondendum, 83 (15).

Duellum, II, 288, reatus, 289, poenae et quos teneant, 290, an danda duellantibus sepultura ecclesiastica, I, 114 (33): restitutio ex, II, 291.

E

Ebrietas, II, 64.

Ecclesia, III, 2, aedificanda (3), benedicenda (2), reparanda, 17. Execratur, 9, polluitur, 15, reconciliatur, *ib.* (28) etc. Dilapsa, 17, (46, 47). In cuius potestate consistant. Ecclesiae, II, 104 (6), an possint alienari, 104 (10). V. *Societas Ecclesiastica.*

Educandae, III, 228 (6).

Eleemosyna, II, 84. Missarum. V. *Missa.*

Emphyteusis quid, II, 506, quotuplex, 507. Quid praestet 508, finitur, 509, 510.

Emptio et venditio quid, II, 448, quae emi vendique possint, *ib.;* quale pretium esse debeat, 449, vitia rei occulta an emptori significanda, 450. Qui emere vendere prohibeantur, 451. Quid praestet, 452-456. Rescinditur ob non impletas conditiones, 456, vitia rei, 458, laesionem, 459; quando rescissio noceat tertiis, 472 (9). Venditio cum pacto retrovendendi, 461, per aversionem, 458 (11), ad pondus, numerum et mensuram, 462, ad degustationem, 463; hereditatis, 465, nominum, 466, sub hasta, 468.

Ephemerides liberales quas vocant, an legi possint, III, 141 (2), 142.

Epicheja, I, 187 (44).

Epileptici, an irregulares, I, 415 (29).

Episcopus; potestas, I, 24 (12), 94, quae possit tamquam Sedis Apostolicae delegatus, 94, quando dispensare, absolvere possit in legibus Pontificiis, 231, in casibus, 320-322, censuris, 346, 368, votis, III, 210 (35), R. P. r.; in irregularitatibus, I, 406. Dispensat, in impedimentis matrimonialibus dubiis, semper I, 94 (38), III, 498 (25); in certis, in mortis periculo, si occulta, ex urgentissima causa (29). Non est poenis obnoxius etc. I, 325: gaudet privilegio altaris viatici, III, 2 (7), 6 (38); privative confert sacramenta, quibus Ecclesia donatur militibus et ministris, I, 90. *Suus* Episcopus quis, 292. V. Ordinarius.

Epistolae: missae, nondum redditae, cuius sint, II, 270 (14). Alienas an resignare liceat (9), an ab alio resignatas (10), vel laceratas legere (12).

Eremitae quoad priv. *Canonis,* I, 365 bis.

Error quid et quotuplex, I, 132, in actibus humanis, 147, in actibus, II, 303, et contractibus, 413, in testamentis, 340, in sacramentis conferendis, III, 241, in sponsalibus, 506, matrimoniis, 444, votis, 194. Error communis supplet iurisdictionem, I, 79.

Eucharistia, III, 382, 383. Communia Sacrificii et Sacramenti, *res,* 384-386. *Verba,* 387, qualiter *verba rem* exigant, 388; species consecratae 389. Sacrificium in quo positum sit, 390, partes praecipuae, 391, 392; effectus et applicatio, 393. Sacramentum quid, 394, minister, 395, subiectus, 396. Sumendi praeceptum, 397, 398, 399. Quomodo conficienda, V. *Missa;* administranda, 406, 407; suscipienda, seu dispositiones necessariae, quoad *animam,* 408-413 (specialia circa Sacerdotes, 409), quoad *corpus,* 410. Quando liceat Eucharistiam conficere vel sumere non, 411, vel dubie 410 (34) ieiuno.

Eunuchi matrimoniis contrahendis inidonei, I, 29, (18), III, 331 (7).

Evictio, II, 445, quando, quibus, et a quibus competat, 447. Cessat, 446.

Examen, V. *Concursus.*

Examinatores quoad munera, III, 118 (13).

Excommunicatio quid et quotuplex, I, 360. *Mator* arcet a communi fidelium in divinis, 360, in humanis, 361, exceptiones, 362. Specialia quoad Clericos, 364. Excomm. *Canonis*, 365 bis, 368. Singulae quae nunc vigent, 390, 393, 397.

Execratio, III, 8. Ecclesiae, altaris, 9, sacrae suppellectilis, 10, 11.

Exequutor *Literar. Apostolicarum*, necessarius, voluntarius, I, 222. Ex quo Literae Apostolicae exequi possint, 241. V. *Mandatum.* Specialia quoad dispensationes matrimoniales, III, 499, 503. Testamentarius, II, 367-370. *Damni* quatenus restitutioni obligetur, 235, (11).

Existimatio (V. *Fama*) quid, I, 121, an quisque suae dominus, II, 75. Alienae laesio, 259-264, damna (ex) 268. Restitutio, 266, quando haec cesset, 227-267.

Expositi qui, I, 57.

Extremae unctionis materia, III, 414. Forma, 415. Ministri, 416. Subiecti, 417. Effectus, 418, 102 (3). An necessaria, 419. Quomodo administranda, 419, 421. Quando iterari possit, 417 (20).

F

Fama et rumor quid, I, 242 (55). Homo an suae famae dominus, II, 75. V. *Existimatio.*

Famuli: merces, quae iusta, II, 444 (26), dominis cooperantes in re mala, 94; non impedientes damnum an restitutioni sint obnoxii, 209. Aegrotantes, 494 (10).

Festa. V. *Observantia festorum.*

Fideiussio, II, 424-426.

Fideicommissum quid, II, 352. Quaenam vetita, 353. *De residuo* (27).

Fidelitatis obligatio, II, 416 (6).

Fides theologica quid, II, 3, quid iubeat, 4, 5. Vitia fidei opposita, 7-8 bis.

Filii, vivi et vitales, mortui, abortivi, nascituri pro natis, I, 27 (5) legitimi, illegitimi, adoptivi, 49-52. Eorum iura et obligationes, 53; II, 571-576 licet nati ex matrimonio nullo, I, 56. *Illegitimi* vel naturales vel spurii, seu *orti ex damnato coitu*, 50 (24): naturales agnosci et legitimari possunt, 50. *Expositi*, 57. Quid in dubio utrum quis legitimus, 49, 57. Bona filiorum; 54, 55. An possint invitis vel inconsultis parentibus matrimonium contrahere; III, 466.

Finis quid, I, 133, operis et operantis (2) metitur bonitatem vel malitiam actuum, 151; praecepti non cadit sub praecepto, 168 (46). An cessante fine legis cesset lex, 179.

Fiscus. V. *Tributa.*

Fodinae cuius sint, II, 110 (6). An fructuario liceat eas exercere vel instituere, 159 (13).

Foetus inanimatus, animatus, I, 27.

Fornicatio, II, 65.

Fortitudo, II, 71.

Forus quid et quotuplex, I, 25. *Conscientiae* quoad casus reservatos, 346. Vota, III, 207 (4). Privilegium fori, I, 100.

Fratres germani, consanguinei, uterini, I, 61 (4). Quoad successiones, II, 378, alimenta, 576.

Fraus (V. *Dolus*). Quomodo fiat legi, I, 176 (101). An agat in fraudem legis qui alio discedit ut se eximat legi, I 205, reservationibus, III, 322 (20), solemniis matrimoniorum, 457 (42). Gesta in Fraudem Fisci, II, 209 (35), Creditorum, 421.

Fructuarius quis, II, 158, iura 159, obligationes, 160, circa res forte locatas, 163, arbores, 164, animalia, 165; vectigalia et onera circa alimenta sub nomine usufructus, 358. Ex legato, 358; gaudet iure accrescendi, 363 (28). Beneficiati, III, 63. V. *Usufructus.*

Fructus qui, II, 105. *Naturales, civiles; pendentes, percepti cedunt, dividuntur, ib.;* non intelliguntur

nisi deductis expensis (19): an augeant hereditatem, 398 (4). Civiles quando exigi possint, 105 (20), quando ex re legata, 355. Quos restituat possessor seu b., seu m. fidei, 241, heres, 390 (29), 398, beneficiatus qui officio defuit, III, 64, 65.

Functiones parochiales, I, 98.

Funeraria, quae, queis debita, III, 175, etc.

Fur - Furtum quid, II, 250. Sacrilegum, 251. Quodnam grave aestimatur ex *re* ablata, 220 (13): sed maiori quantitate opus est (*ex personis*) in furtis quae a domesticis fiunt, 252, (ex *rebus* ipsis) rerum expositarum, 253. minutis, 254: quando cesset omnino, 255, 256. Restitutio, 257.

Furiosus. V. *Mentecaptus.*

G

Gabellae. V. *Tributum.*

Gratia, facta et facienda, in forma gratiosa vel commissoria, I, 122, quibus opus sit ad eam obtinendam, 223-225, a quo, cui et quomodo sit concedenda, 226.

H

Habitatio, II, 166, quoad domicilium vel quasi, I, 83, 84.

Habituati - Habitus quid, I, 140. Quae fiunt ex habitu an semper voluntaria, 149 (44). Habituati quoad absolutionem, III, 336.

Haeresis, Haeretici, II, 7,8. Poenae, I, 390 (I).

Hereditas quid, II, 334. Ex testamento, ab intestato, 335. Quid veniat in computationem hereditatis, 334, 387, 388, an fructus, 587. Onera, 396. Quando defertur, 335; aditio vel repudiatio, quando et quomodo utraque fieri possit, 382-385. Inventarium, 396 bis. Divisio, 398. V. *Successio, Massa hereditaria, Collatio bonorum.*

Heres quis; II, 334. Quinam esse possint, 342, aut minus, 342: scripti, 334 (4), 348, legitimi, 371, necessarii, extranei, 334, 344, fiduciari, 336 (3), fideicommissarii, 364, apparentes, 322 (10). Institutio heredis quid, 348. Onera hereditaria a quibus et quomodo agnoscenda, 396, 399. Aes alienum quatenus persolvendum, 396 bis. Eadem est persona defuncti et heredis, I, 24 (8).

Hermaphroditi, I, 29 (15).

Hierarchia, I, 88. Ordinis, 89-91. Iurisdictionis, 92-97.

Homicidium, II, 282. Ob defensionem, 283. Irregularitas, I, 420, restitutio, II, 287.

Homo, eius sexus, conditio, pubertas, capacitas coeundi, I, 29.

Honestas. V. *Publica honestas.*

Honor quid, II, 273, laesio, reparatio, 273-281.

Horae canonicae; quinam eis teneantur, III, 147. Quomodo recitandae privatim 148-150, in choro, 151. Restitutio ob omissas etc. 64, 65, 66.

Hypnotismus. V. *Mesmerismus.*

Hypotheca, II, 186, 188. Quotuplex, quomodo constituenda, conservanda, quid praestet, 190. 192. Evanescit, 190 (21) etc.

Hyperdulia, II, 16.

I

Idiotae qui, I, 31.

Idololatria, II, 28.

Idromantia, II, 30.

Ieiunium *naturale,* III, 410. *Ecclesiasticum* ex quibus consistat, 130. *Unica comestio,* 131; quatenus protrahi vel interrumpi possit, *ibi.* Quae liquida magis cibi vim habeant, *ibi;* ientaculum mane, collatiuncula serotina, 134. Abstinentia a ciborum delectu, 132, amphibia (15) etc. Hora refectionis, 133. Quinam ieiunio teneantur, 135. Quaenam excusant ab unica comestione, 136, ab abstinentia, *ibi.* Dispensatio, 137, an liceat dispensatis pluries per diem vesci carnibus; an his et piscibus, *ibi,* qui

non potest unam, an teneatur alteram ieiunii partem servare, 138. Ieiunium in iubilaeo, ex voto etc. 139; hodie servandum. V. Adnotatio post § 140.

Ignorantia, I, 132. Invincibilis quae, *ib.*, crassa (45), affectata (44). Quando excuset a transgressione legis, 183, *irritantis*, 216, a poenis, 318, censuris, 334, irregularitatibus, 409. V. *Error.*

Immaginatio, I, 124.

Immunitas Ecclesiastica, violatio, poenae, III, 15 (13).

Impedimenta matrimonii quae, III, 428. Impedientia, dirimentia, recensentur, *ibi,* (1), quo iure constent, 429. Quos teneant; an infideles? 425 (22), haereticos? 459: quid si dubia, 447. Cuius sit ea statuere, 425, dispensare, 495, et an aliquando Episcopi, 498, et parochi, 454 (20). Quas ob causas detur dispensatio, 487-489; a quibus petenda, 495-496; quae proponenda in supplici petitionis libello, 490-494; quid si Oratores falso se pauperes dixerint, 497. Quam vim habeant clausulae Rescripto dispensationis insertae, 500; quomodo interpretandae, 501, 502. A quo expedienda sit dispensatio, 499.

Impotentia quoad restitutionem, II, 227. Matrimonium, III, 431, 479.

Imprecari. V. *Maledicere.*

Impuberes, I, 29 (16). Quoad peccandum, delinquendum, contrahendum, 34; quoad poenas, 318 (75), censuras, 325 (11), sponsalia, III, 511, matrimonium, 431.

Inadvertentia, I, 132 in fi. (46). Excusat prout ignorantia, 147, (24), a poenis, 318, a censuris, 334.

Incoestus, II, 69 (56).

Incola quis, I, 85.

Indebiti solutio et repetitio, II, 322 (12).

Infamia quid, quotuplex et quid praestet, I, 121. Quomodo aboletur, 122.

Infantes I, 30, qui, et an capaces peccandi, delinquendi acquirendi, I, 33, quando baptizandi, III, 276, confirmandi, 283 (15). Quinam infantibus accenseantur, I, 31.

Infidelis (paganus et hebraeus), I, 111.

Infidelitas negativa (eius qui ignorat) et positiva, seu paganismus, iudaismus, acatholicismus, II, 7.

Infirmi quoad communionem, III, 411, abstinentiam, 136, horas canonicas, 152.

Inscriptio. V. *Hypotheca.*

Iniuria quid, a quibus, quibus et quomodo fiat, II, 100, 221, etc. Satisfactio, 246, 247.

Iniustitia. V. *Iniuria.*

Innominati contractus qui, II, 408.

Inquisitio (S.) Universalis I, 93.

Institutio, heredis, II, 348, in beneficiis ecclesiasticis, III, 32 (1), 42, authorizabilis (18). V. *Beneficium.*

Instrumentum publicum I, 213, 214; II, 312, 313, 414.

Intellectus, quid, eius obiectum, I, 125, iudicat, inter duos contradictionis terminos haeret anceps, vel fertur in unum cum formidine alterius, inde iudicium, 126, dubium, 127, opinio, 128, quae est probabilis absolute vel relative, 129, iure vel facto, 131.

Intentio quid et quotuplex, I, 135. Quid si desit in actionibus peragendis, 145, in actibus, II, 302, contractibus, 412 (39); in sacramentis ministrandis, III, 239, suscipiendis, 257.

Interdicti civiliter, I, 35, in poenam, 119, aequiparantur minoribus, 35 (14), 120 (13).

Interdictum quid et quotuplex, I, 369. *Generale locale*, 370, *personale*, 372. Quinam ferre possint, 371, effectus, 373-375, cessant, 374. *Personale speciale* quid et quid praestet, 373. *Ab ingressu Ecclesiae*, 378, 379. Singula quae nunc vigent latae sent., 395.

Interpres; an ignarus idiomatis teneatur confiteri per interpretem, III, 377 (3), an is sigillo teneatur, 361 (30).

Interpretatio Legis quid et quotuplex, I, 184, *authentica* (2), SS. Urbis Congregationum (5), *usualis* (7); *doctrinalis* quae et quando locum habet 184², est *declarativa* 184³,

extensiva, 186, *restrictiva*, 187, per *epicheiam* (44), ex ratione legis, 188. DAMNATARUM PROPOSITIONUM, 189. TESTAMENTORUM, et CONTRACTUUM, II, 331-333.

Interrogatorium in causa civili, II, 593 (4). An reus in iudicio poenali teneatur fateri crimen iudici interroganti, 602.

Inventarium quid, II, 396 bis. An heres in conscientia teneatur solvere aes alienum ultra vires hereditatis quam adiit sine inventario (16). An fructuarius cogatur inventarium conficere 160, an usuarius, 166 (4).

Invidia, II, 86 (13).

Involuntarium quid, I, 143 (7).

Irascibilis quid, I, 122 (3).

Irregularitas quid, I, 399; quid praestet directe, indirecte et per accidens, 401; distat a censuris, 402. Quis possit constituere, 404, contrahere, 405, tollere, 406. Divisio; ex delicto, ex defectu, ex alterutro. Ex *delicto*, 409; nempe ex iteratione baptismi, 410, et vetito exercitio ordinum, 411: quaenam ab ea excusent, 409. Ex *defectu*, 412 bis, natalium, 412 ter, libertatis 412 ter, famae, *ibi.*, corporis, 414, animi, 415. Ex *alterutro:* bigamia, 416, vera, 417, similitudinaria, 418, interpretativa, 419. Tollitur, 420. Ex homicidio et mutilatione criminosa, 421-424; ex iudicio (seu ex defectu lenitatis) 425-426: in bello, 427. Dispensatur, 420, 429. Specialia quoad Clericos et regulares, 428. Quoad sacerdotes, *ibi.*

Irreligiositas, quid et quotuplex, II, 55. V. *Blasphemia, Tentatio Dei, Periurium, Sacrilegium.*

Irrumatio, II, 65 (23).

Iubilaeum, facultas absolvendi (in), I, 348.

Iudaismus, V. *Infidelitas.*

Iudex: officia, II, 590, in iudicio civili, 595, poenali, 599.

Iudicium: communia de iudiciis, II, 585-592. Specialia quoad civilia, 593-595. Poenalia, 596-603. Quoad irrogandas poenas ecclesiasticas, I, 311, censuras, 328-329. *Temerarium*, II, 265.

Iura-naturalia, civilia, politica, quae I, 118, quibus competant, I, 119: an et quomodo suspendi, vel amitti possint, 120. Iura civilia quoad matrimonia, III, 467.

Iuramentum quid, II, 23, et quando intelligatur 24, assertorium, promissorium, 25. Quibus opus sit ut sit licitum, 26. Promissorium an aequiparetur voto, 25 (19): adiectum contractibus sequitur naturam actus, 427, quando, hoc irrito, servari debeat, 428. Quomodo cesset, 431. *Suppletorium, decisorium*, 593.

Iurisdictio quid, I, 71, 92. Contentiosa et voluntaria; ordinaria et delegata, 72, delegata ad universitatem causarum, 73. A quo et cui dari, 74: quomodo, ubi, et in quos exerceri possit, 65-76. Cessat, 77, prorogatur, 78, III, 322; suppletur a iure, 79-80, III, 321. Praesumpta, 81. Quoad absolvendas censuras, 335, etc., peccata, III, 318, etc. Iurisdictionis gradus, I, 93-96.

Ius quid, et quotuplex, I, 22, acquiritur, amittitur, II, 124-127, coercetur, 111. Quot modis laedi possit 198, evanescit, perit, I, 24. *Jus sin, gulare* quid, I, 218, quotuplex, 219, quam interpretationem recipiat, 220, quomodo cessat, 221.

Ius accrescendi, II, 363, quoad usumfructum (28).

Ius patronatus, quid, III. 24; passivum, activum, *ibid.* – *Hoc* quotuplex, et quid praestet, 25, 30: quibus et quo iure competere possit. 26: quomodo exercetur, 30: transfertur, amittitur, 26, acquiritur, 27. An citra simoniam vendi possit, 109.

Iustitia quid et quotuplex, II, 98, 99; quae legalis, distributiva, commutativa, 98; quomodo obliget, 100, 101. Obiectum 192. V. *Caritas.*

L

Laici eorumque iura, I, 108 etc., 112, V. *Sepulcrum.*

Latria, II, 16.

Laudemium, II, 508 (18).

Laxismus. Laxistae, I, 9 (89); 256 (3).

Lectio pravorum librorum, III, 141-144.

Legatum quid, II, 354. Quis, 341, quibus, 341, quae, 354, legari possint: quando in legatarium transeant (8); legati acceptatio et repudiatio, 355. Quae legato contineri intelligantur (10) 356 (19), etc. Conditiones, 348, quomodo implendae, 366. Legatum *generis*, 356, *nominis, liberationis, debiti*, 357. Menstruum, annuum, 358; alimentorum, 358; pauperibus, vel puellis dotandis relictum, 359. Legata pia quae et quos teneant, III, 70: an et a quo commutari possint, II, 365, quando et quomodo moderanda, et quando evanescant, III, 74-76.

Legatarius quis, II, 334.

Legitima quid, II, 344. Quibus debeatur, 345-347. Quomodo computanda, 387-390. Legitimatio quid, et quorum filiorum, et quomodo fieri possit, I, 50.

Laesio iuris alterius quando intelligatur, II, 200, 231 etc., in venditionibus,459, hereditatum, 465 (9), in venditionibus sub hasta: 468 (9), in divisionibus, 401 (21); 404.

Lex quid, I, 161-163. Virtus, 164, quomodo implenda, 165, 166, quando, 167: quid in dubio an eam impleveris, 169. Quae lex indirecte praecipiat, 171, vetet, 172, quomodo fraus legi fiat, 173. Quando cesset obligatio legis, 177, 178, et lex ipsa, 179-181; quaenam excusent a lege, 182. *Interpretatio* (V.) legis. Quotuplex lex; 161, naturalis, 190-194, divina, 195-197, humana, 198, Quinam hanc condere, 199, quidnam praecipere possit, 200, obiectum legum ecclesiasticarum, civilium, 201: quando incipiant obligare, 202 (V. *Promulgatio legis*), et an egeant acceptatione; quid si eas subditi non acceptaverint, 203: an conscientiam obstringant, 203, quos obligent, 240. Peregrini quibus legibus teneantur, 205. Quatenus obligent leges pure, vel mixte poenales, 207; fundatae in praesumptione, 208; irritantes, seu inhabilitantes, 212-216. Obsolescunt, 181. Leges ad aliquod genus personarum pertinentes, I, 36.

Liberi, V. *Filii*.

Libertas civilis, I, 118. Naturalis, seu liberum arbitrium, 137-139.

Libri prohibiti qui, III, 141-144. Excommunicatio quando teneat imprimentes, legentes, retinentes, etc., I, 390 (II).

Ligamen, matrimonii impedimentum, III, 432; an solvi possit, 470.

Litaniae SS. in festo S. Marci. et Rogationum, III, 147 (18).

Literae Apostolicae: quae poenae teneant falsificantes, I, 390 (IX), falsis utentes, 392 (III). Testimoniales, et dimissoriae quoad ordines, III, 292. V. *Vicarius Capitularis*.

Livellum quoad Regulares, III, 219.

Loca Pia, in quibus Ordinario subsint, I, 44 (12).

Locatio et conductio quid et quotuplex, II, 485 (1). *Rerum:* quae res locari, *ibid.*, et quinam locare possint, 486, quanto tempore, 487; obligationes locatoris, 488, conductoris, 489. Praediorum specialia, 490, an sublocari possint, 493. Quomodo finiatur, 491: quid si ante tempus ab ea discedatur, 492. *Operarum*, 494, 495. *Operis*, 496, 497. Rerum ecclesiasticarum, III, 79 (16), quomodo faciendae, 81, 82, ultra triennium quatenus vetitae, et abnoxia excommunicationi, 83.

Locupletior ex re aliena quis, II, 216.

Lucrum cessans et damnum emergens quid, II, 213, 441.

Ludi et sponsiones quid, quatenus liciti, et quatenus obligent, II, 544-548, ludi aleatorii an liceant clericis, III, 160.

Lunatici, an irregulares, I, 415.

Luxuria. Species, II, 65, 66.

M

Magia, II, 35. V. *Libri prohibiti*.

Magistri quoad damna a discipulis data, II, 210 (40).

Magnetismus (animalis). Origo, II, 38, 39, natura, phaenomena, 40-43, phaenomenorum explicatio, 44-47. Responsa S. U. I. et S. Poeniten., 48. Scita potestatis civilis, 49. Iudicium Auctoris, 50-54.

Maiores qui circa negocia et spirituales causas, I, 33, 35.

Maledicere vivis, II, 86, mortuis, sibi, rebus sensu carentibus, 61 (11). V. *Blasphemia.*

Maleficium, II, 35.

Mandatum quid, II, 432. Contrahitur, 433, finitur, 435. Mandantis, et eius cui mandatur iura, obligationes, 434, 436. Mandans delictum quando obnoxius poenis, I, 301, restitutioni, II, 203.

Mariti potestas, I, 48; iura et obligationes, II, 560, etc. Irritat uxoris vota, III, 205, etc. V. *Uxor.*

Massa hereditaria, II, 389, 390.

Mater, filio non obstat si confiteatur adulterium, I, 49 (20).

Matrimonium quid, III, 422. Est contractus naturalis, 423, sacramenti dignitate auctus, 423, cui *accedit* actus civilis, 424. An sacramentum a contractu et utrumque ab actu civili separari possit, 423. Quo iure haec reguntur, 425: quae in hoc seu contractu seu sacramento specialia, 426. Matrimonii essentia, vinculum, bona, 427 (31). Sine matrimonio vir, uxor, dos, filii non intelliguntur, I, 56 (61), III, 467. Quotuplex: legitimum, ratum, consummatum, *ibid., conscientiae*, 455 (33): mixta, 465, *civilia* quae vocant, 467. Matrimonii contrahendi. - I° SUBSTANTIALIA: - 1° RES, 430, ex hoc capite obstant matrimoniis (V.) *impotentia* et impubertas (V. *Aetas*), 431, (V.) *ligamen,* 432 (V.) *cognatio* naturalis, 433, spiritualis, legalis, *ibid.* (V.) *affinitas, ibid.*, (V.) *publica honestas,* 434, (V.) *ordo sacer,* (V.) *Votum,* 435. — 2° CAUSA. Hinc obstant (V.) *cultus disparitas.* 437. Crimen, 438, idest adulterium cum promissione matrimonii, 439, uxoricidium utroque patrante cum intentione contrahendi matrimonium inter se, 440, utrumque simul sine promissione, vel altero inscio, admissum cum intetnione coeundi nuptias cum adultero, 441, quando hoc impedimentum cesset, 442. — 3° CONSENSUS, 443, huic obstant error substantialis, vel *conditionis,* 444, metus gravis et iniustus, 445. Raptus, 446. — II° ACCIDENTALIA: — 1° CONDITIONES, 448. Contra substantiam vitiant (7), turpes vel impossibiles vitiantur (8); licitae quid praestent (11). — 2° MODUS, 449; 3° DIES, 450. — III° SOLEMNITATES. — Quenam heic parochi sint, quaenam Ordinarii, III, 451, 454, 455. 1° *Antecedentes,* denunciationes, et status liberi documenta, 453; quid agendum Parocho si impedimentum mature reveletur, 454, vel cum parata sunt omnia (20). 2° *Concomitantes:* praesentia parochi et testium, 456, quis parochus, 457, et an suspensus aut vitandus valide intersit, 461, testes quinam esse possint (58). Quae utrorumque praesentia desideratur, 461, quid si parochus nullatenus vel difficillime haberi possit, 460 (56, 57). An valeat matrimonium initum sine parocho et testibus ab his qui a lege Tridentini sunt exempti ubi haec viget; vel, contra, ab his qui ei sunt obnoxii, ubi non viget, 457. Novissimum Decr. S. C. C. Append post § 461. Quae necessaria sponsis ad sacramentum licite suscipiendum, 462; benedictio nuptialis, 464, quid si indigni, 463. Specialia quoad matrimonia *mixta,* 465, filiorumfamilias invitis parentibus, 466. Iuris civilis solemnia non omittenda, 467, 468. — Matrimonium contractum validum, dubium, nullum. 1° *Si validum:* obligatio una simul habitandi, III, 471, reddendi debitum, 469, ius petendi amittitur ob affinitatem cum coniuge contractam, 472, amisso iure cohabitandi, 471; quid si voverint castitatem, 472. Privilegium Paulinum, 473, etc. Quae coniugibus liceant, quae minus, 469 (10), etc. 2° *Si dubium,* quae exploranda, et quid iuris interim, 478: specialia quoad impotentiam, 479. 3° *Si nullum,* 480, si uterque id ignorat, relinquendi sunt regulariter in bona fide, 482, si alter

tantum separandi, quoad torum semper: quandoque etiam quoad habitationem (*ibid.*). — Quomodo revalidari possit matrimonium, 483, si impedimentum non eget dispensatione, 484, si eget, 485: et an debeat, et quae heic Parochis curanda, 485. — Sanatio in radice, 485. (30), 504; quae matrimonia sanari possunt, 504, utrum civile, quod vocant, *ibi*, (22).

Mensis, I, 39.

Mendacium, II, 293.

Mendicantes (Regulares) qui, I, 102.

Mendici, quoad ieiunium et abstinentiam, III, 136 (15).

Mentecapti (amentes et dementes) an possint peccare et agere, I, 31, testamenta facere, II, 341, contractus inire, 409; sacramenta suscipere, III, 256, 259.

Mercatus. V. *Nundinae.*

Mercimonium, III, 191.

Mesmerismus. V. *Magnetismus.*

Metaposcopia, II, 30.

Metus quid et quotuplex, I, 138, quoad actus humanos, 148, poenas, 318, censuras, 334, actus, II, 304, contractus, 413, testamentum, 340, sacramenta suscipienda, III, 257 (4), sponsalia, 507, matrimonia, 445, vota, 194.

Milites. Quinam eorum parochus, I, 85 (27). V. *Capellani.*

Minister sacramentorum, quis, III, 252; observanda in administratione, 253, 254, 261, 265; intentio 239, 240.

Minores qui, I, 33, emancipati, 55; quoad electionem status, 53 (39), testamenta, 34 (11), contractus, 34, 58 (6); II, 409, matrimonia, III, 468 (4), vota, 195, 202-206.

Missa, ubi, quando, quomodo celebranda, III, 400-405. Dispositiones, 408-412, obligatio eam celebrandi, 170, applicandi, 190, pro populo, 169, pro benefactoribus et fundatoribus, 178 (7), pro aliis quibuscumque, 189: intra quod tempus applicanda, 196 (21), etc.; quando et quomodo audienda, 123, 124. Stipendia missarum, 190, etc. *Binandi* facultas, 405.

Modestia, II, 70.

Modus quid et in quo distet a conditione, I, 42, II, 310. Adiectus matrimonio, III, 449.

Mollities, II, 65 (22).

Monachus quis, I, 102. V. *Regularis.*

Monasteria, an exempta a iurisdictione Episcoporum, I, 104 (15). V. *Clausura.*

Monomaniaci, I, 30.

Monopolium, II, 470, 471.

Monstra, I, 28, II, 28, an baptizanda, III, 274.

Mora quid et cui noceat, II, 319. V. etiam 214, 219, 240, 258.

Moribundus quoad absolutionem, III, 317. Eucharistiam ei deferendam, 407.

Mortuus naturaliter, vel civiliter, I, 37. V. *Articulus mortis.*

Mulcta quando solvenda, I, 207 (54); II, 209 (34); 581.

Mulier quoad actus civiles, et officia ecclesiastica, I, 29. V. *Uxor.*

Munera saecularia a clericis non obeunda, III, 154, etc. Munera accepta ab his qui publica officia gerunt, II, 584, ab Examinatoribus, III, 118 (13); in expediendis dispensationibus matrimonialibus, 501 (15), a Regularibus, 325. Munus simoniacum, 91.

Murus communis, II, 113.

Mutilatio, I, 421, irregularitas (ex), 421, 423, restitutio, II, 286; mutilare seipsum an liceat, II, 74.

Mutuum, II, 239, 230. V. *Usurae.*

Muti. V. *Surdus.*

N

Necessitas temporalis, II, 84; spiritualis, 82; utraque gravissima, gravis, levis, 82, 84; a quibus, quando et quomodo subvenienda, 83-85.

Necessitudo. V. *Cognatio.*

Necromantia, II, 30.

Negotiatio quid, et an licita, II, 468. Vetita clericis, III, 155.

Negotiorum gestio, II, 438.

Notarius qui non ex iure stipulatur, I, 215 (14).

Novitii, Regularium iure censentur, I, 105. Quoad donationes, vel

renunciationes rerum suarum (23), beneficiorum, III, 57 (16); sepulturam, I, 113 (23).

Nundinae diebus festis, III, 122 (13). V. Adnot. post § 140, V, 3°.

O

Obligatio quid, quotuplex (naturalis, civilis, mixta), quando teneat in foro interno, vel cesset in utroque, I, 23, 24. Alternativa, II, 318, solidalis, 329, indivisibilis, 330. Quomodo implendae quae consistunt in dando, 317, in faciendo, 318, in non faciendo, 316; quando sit implenda, 319. Quibus modis extinguitur, 322-326. Quid si probabile sit impletam fuisse, 327.

Obligationes erga seipsum, *temperantia*, II, 63 (ex qua *abstinentia*, 64, *castitas*, 65, *modestia*, 70), *fortitudo*, 71, et *prudentia*, 72.

Obreptio quid, I, 236, 237. Quoad dispensationes matrimoniales, III, 490, 494.

Observantia festorum; ex quibus consistat, III, 120, quae servilia, communia, liberalia, 121, forensia, 122: missa tota audienda, 125, eique adesse oportet corpore, 123, et animo, 124. Qui praecepto teneantur, 126, quaenam excusent a servilibus, *ibi*, a sacro, 127, ab utroque, 128: quid de dominis et famulis, 129.

Observantia (*vana*), II, 34, *sanitatum*, *futurorum eventuum*, 36.

Obsessi quoad ordines, I, 415, Eucharistiam, III, 396 (12).

Obstetrices quoad baptismum, III, 272 (27), et parochus, 167 (13).

Occasio quid et quotuplex, I, 180.

Occasionarii quando absolvendi, III, 337.

Occulta compensatio, II, 255.

Occultum, materialiter, formaliter, I, 242. Casus occulti, 322.

Occupatio quid, II, 128.

Odium Dei, II, 15, proximi, 86.

Officia publica personis moralibus accedunt, I, 46.

Officium div., a quibus, III, 147, quodnam, 148, quomodo, 149, 150, in choro, 151, quibus horis, 150, recitandum. Quaenam excusent, 152, praesertim beneficiatos, 66. Restitutio ob officium omissum, 64, 65.

Officium defunctorum, III, 147 (18).

Onanismus, II, 65 (26); III, 469 (9).

Oniromantia, II, 31.

Opera servilia quae, III, 121. Vetita diebus festis, 120; letalia quae, 121, quaenam ab eis excusent, 126.

Opinio quid, I, 128, tenuiter probabilis, probabilissima, probabilis, *ibi*. Probabilior sua opposita, aeque probabilis, minus probabilis, 259 (21). An maior unius probabilitas contrariae probabilitatem elidat, 129. Quas ex his sequi liceat, 256, 270; in administratione et susceptione sacramentorum, III, 249-251 a poenitentibus, III, 345. Tuta quae, I, 131.

Oratio, quid, II, 18, quos et pro quibus orare liceat, 19, 22; vocalis an cum voluntaria animi distractione consistere possit, 20, in horis canonicis persolvendis, III, 149.

Oratorium publicum quod, III, 3; habetur instar Ecclesiae, (16). Privatum, 6, an liceat in eo sacrum facere, vel administrare sacramenta, *ib*. Privilegium Oratorii privati quibus prosit, quomodo cesset, *ib*.

Ordinarius, hujus nomine veniunt Episcopi Vicarius Generalis vel Capituluris, I, 96, 97 (53). Iurisdictio, *ib*., munus quoad matrimonia, III, 451, 455; quoad executionem literarum apost., 499.

Ordinatio sacra quid, III, 288. A quo, quibus documentis, 292, et quomodo, 294, peragenda. V. *Ordo*.

Ordo, quid et quotuplex, I, 89-91, III, 288. Materia, 289-291, ministri et subiecti, 292, 293. Requisita ordinandorum, 293-295. Poenae adversus male ordinantes, et male promotos, *ibid*., 394, 412.

Origo, quis locus originis, I, 82.

Oscitantia, I, 277.

Oscula inter personas sexus diversi, II, 68 (46).

Ostenta, I, 28. Quomodo baptizanda, III, 274.

P

Pactum, seu conventio II, 407, matrimoniis adiectum, III, 448 (10).
Paederastia, II, 65 (23).
Paganismus. V. *Infidelitas.*
Palpo quis, II, 205.
Paramenta sacra. V. *Supellex.*
Paraphernalia bona quae, II, 563, 567.
Parentes qui, I, 49 (V. *Patria potestas*); iura et obbligationes, II, 571-576, quoad matrimonia, III, 466, 468 (4), etiam nulla, I, 36, vel incerta, 57.
Parochus, I, 98; III, 165 (V. *Functiones*). Iura quoad sacramenta administranda, I, 98; III, 252 decimas, 175 (77), funeraria, 176, 177. Obligationes quoad residentiam intra fines Parochiae et in domo Parochiali, 172, 173, administrat. sacramentor., 166, applicationem missae pro populo, 169, celebrationem diebus festis, 170, praedicationem, et cathechesim, 167, libros parochiales, 171, mores parochianorum instituendos et corrigendos, 167, 171, matrimonia seu valide, seu licite contrahenda 454, 461. V. Append. post § 461, eaque benedicenda, 166 (9), 464, aegrotos, morituros, 170, mortuos (36). An possit haec per alium implere, 172; quid si coadiutor sit ei necessarius, vel is impos sit factus, aut inops, 170. Quandoque dispensat in legibus Pontificiis, I, 231. Parochus militum quis, 85 (27).
Parietes communes, II, 113.
Participantes. V. *Concurrentes in delictum.*
Patria potestas naturalis, cui competat, quae potior, quando finiatur, I, 53, civilis quatenus pateat, cui, in quos competat, 54.
Patrimonium sacrum. Qui eo opus habeant, et quomodo conficiendum, III, 295. Poenae in ordinantes obsque patrim. I, 394 (II, III, IV).
Patrini. Cuius sit eos designare, III, 285. Quos, 286. Officia, *ibid.* Cognatio, 287.
Patroni beneficiorum qui, III, 25. Iura, 30, abigendi, nominandi, praesentandi, postulandi (41) intra quot menses, quoties, 25, an eis obstent controversiae inter patronos, vel cum collatore, 31.
Peccatum quid, I, 271. Quomodo peccetur, 272, voluntate, 273, intellectu, 274. appetitu, 275-277. Peccatorum distinctio specifica, 278-283, numerica, 284-288. Gravitas, 289. An ex gravi leve, vel contra, 291, vel ex pluribus levibus unum grave, 292, fieri possit: circumstantiae, 294.
Peculium castrense, quasi castrense, adventitium, prefectitium, I, 55 (57). Clericorum, quotuplex, III, 85. *Industriale* distrahere possunt; an parsimoniale? 86; ecclesiasticum distrahentes an peccent contra iustitiam? *ibi.* Quid de accipientibus, *ibi. Monachorum,* 219.
Pecunia, II. 106, eius, valor, 107.
Pensio, III, 73. Clericalis, *ibid.*
Peregrinus, I, 85. An fiat subditus loci in quo versatur, 86. An huius, vel suae dioecesis legibus teneatur, 205. Et an proinde coerceri possit si contra illas vel has deliquerit, 306. An absolvi in dioecesi aliena a censuris R. P. reservatis, 322, 323, 346; a casibus reservatis in propria dioecesi, I, 322, 323.
Periculum mortis. V. *Articulus mortis.*
Periurium, II, 26.
Permutatio, II, 472, beneficiorum, III, 60.
Persona: 1°., *individua,* foetus, I, 27, mortuus, abortivus, vitalis, *ib.;* homo, ostentum, monstrum, 28; mas, foemina, 29; mentecaptus (amens, demens), 31; surdus-mutus et caecus, 30, ebrius, dormiens, 32, infans, 33, minor (puber, impuber), 34, maior, 35, senex, 36, mortuus naturaliter vel civiliter, 37; capax peccandi, delinquendi, contrahendi, 20, 33, 35, 142; 2°., *moralis,* quae et quotuplex, 43, 45 (20), constituitur, 44, extinguitur, 45, capax contrahendi, acquirendi iura, obligationes, bona, 44, 45; 3°., quoad familiam, V. *Maritus, Uxor, Filii, Curator, Tutor, Cognatio;* 4°., quod societatem civilem et ecclesiasticam. V. *Societas.*
Pignus quid, II, 186. V. *Hypothe-*

ca-Privilegium. Contractus pignoris, 540, quid praestet, 541. V. *Antichresis.*

Pingere, an sit opus servile, III, 121 (5).

Plantatio (V. *Accessio*); distantia a praedio alieno, II, 173.

Poena quid, I, 305. Quotuplex, 306, 307, 308. Quomodo interpretandae. 308, 309; quibus irrogandae, 311, a quibus, 312, quomodo, 313. Quaenam excusent a poenis, 318, quid in dubiis, 317. Quando in conscientia obligent poenae irrogatae officio iudicis, 313, latae sententiae (positivae privativae, inhabilitantes et irritantes), 314, quos teneant, 309, 315 (in delictum concurrentes vel ratum habentes), 300-304, 310, conventionales, 316; II, 320. Quomodo tollantur, I, 319; a quibus, 320-324.

Poenitentia: VIRTUS quae, III, 297. Quando et quos obliget, 381. — SACRAMENTUM: institutum instar IUDICII: utriusque partes essentiales, 297. Specialia utriusque, 298. Divisio, 299. — QUAE PERTINENT AD POENITENTEM: I°. *Confessio,* quorum peccatum, 301; debet esse, 1°., integra, 303, 304; confitendae circumstantiae, et effectus, 303, quomodo numerus, 304, quaenam excusent ab integritate, 305; peccata dubia, 306; 2°., sacramentalis, 307; 3°., vocalis; an aliquando scriptis fieri possit, 309, quid si confessor aliquid non audierit, vel gravitatem peccati non intellexerit, 308. II°. *Contritio.* 1°. Dolor quid, 310, quotuplex, 311, quali opus sit, et an sufficiat attritio. 312. 2°. *Propositum,* 313, 314. Qualiter dolor et propositum ad confessionem referri debeant, 315. Quoad venialia, 316: vel morituros sensibus destitutos, 317. — QUAE PERTINENT AD MINISTRUM I°. *Iurisdictio,* quid, 318; qui polleant ordinaria, *ibid.*, delegata a quo danda, 319; finitur, 320, suppletur ab Ecclesia, 321, prorogatur a poenitente, 322, sed non quoad casus reservatos. Quid reservatio, et quid praestet, I, 338-340, cessat in dubiis, 342, an ob ignorantiam poenitentis, 343. Quinam absolvant iure suo vel delegato, 344; III, 318, 319, quomodo *hi,* 323. Quinam in iubilaeo, et quos, I, 348; quinam impeditos superiorem adire, 349: peccatum complicis in re turpi, III, 324, accipientes a regularibus dona, 325. Mortis articulus, I, 349-*bis.* II°. *Absolutio* quibus verbis, III, 326, quomodo, 327, quibus, 328, a censuris, I, 345-347, danda: III°. *Officia* confessorum, III, 329-331. 1°. *Quae inquirere debeat, qua iudex* quoad peccata, 332, 334, *qua minister* quoad dispositiones poenitentis, 335, et an in dubiis absolvere possit sub conditione, *ibid.* 2°. *Quae curare qua medicus* quoad habituatos, vel occasionarios, 336, 337, quoad recidivos: qui recidivi, 338; an, et quoties absolvendi dubie, 339, certe, 340, dispositi; an qui afferunt signa doloris specialia, et quaenam haec, 341. Absolvendis utrum expediat magis absolutionem statim dare, an differre, 342, 343. 3°. *Qua doctor quae poenitentem docere oporteat,* 344, quid si in lege dubia dissentiant? 345. — QUAE PERTINENT AD UTRUMQUE: 1°. *Satisfactio* quid et quotuplex, 346. A confessario quomodo imponenda, 347, a poenitente acceptanda, quomodo implenda, commutanda, 348. 2° *Defectus* confessionis *supplendi,* 449: a poenitente, quomodo si confessio fuit valida, 350, si nulla, 351, si utrum valida an nulla non satis appareat, 352. A confessario, 354, circa ea quae pertinent ad integritatem iudicii, 355, ad valorem sacramenti, *ibid.* Ad alia, 356. — Aiuncta poenitentiae. V. *Sigillum, Sollicitatio.* — De confessariis monialium, 370-376. — De obligatione confitendi, 377-380.

Poenitentiaria (S.) I, 93, 142.

Pollicitatio, II, 411, (31).

Pollutio, II, 65, (27). Ecclesiae, quot modis fiat, et quomodo haec reconcilianda, III, 15.

Pontifex Romanus. V. *Summus Pontifex.*

Pontificalia, quae, I, 380 (10); exercentes in aliena dioecesi suspensionem incurrunt, 397 (II), suspensus a

Pontificalibus, si *celebret* in apparatu Pontificali, 381 (22).

Possessio, quid, II, 118; quotuplex, 119; dubitans an sit possessor malae fidei, *ibid.* Acquiritur, retinetur, amittitur, 120. Quid opus sit ut licite iniri et retineri possit, 121. Commoda possessionis, I, 260. (V. *Regula de possessione*), ex iure communi, II, 122; ex NN. LL. possessio bonae fidei pro titulo est, *ibi.* Prodest in casibus dubiis ex sententia quorundam Moralistarum, I, 261, 268, 270. Regula de possessione triennali quoad beneficia, III, 48-50.

Praeceptum, I, 248, an teneat extra territorium, *ibid.*, vel resoluto iure praecipientis, 249.

Praescriptio, quid, quae praestat, II, 139, 151, requisita, 140, 152, quae iura praescribi possunt, 151, et quanto tempore, 153, 154, inter quos, 141, suspenditur, 142, interrumpitur, 143, an impleta, obligatio extinguatur ipso iure, 144.

Praesentatio ad Beneficium, III, 30.

Praestimonium, III, 73 (49).

Praesumptio penes TT. quid, II, 10. In iure quid, quotuplex, et quid praestet in utroque foro, I, 208.

Precarium, quid, II, 528.

Presbyter, quis, eiusque, potestas, I, 89, munera, 99.

Pretium, quid, quotuplex metitur, II, 106, 440. Quae pretium recipiant, 439. Quomodo aestimandum, 440, quoad res, 441, operas, 442, rata et insolita, 443.

Privilegium, quid, I, 227. Clericorum, 100. Regularium, 104. Altaris portatilis, III, 2 (7), Oratorii privati, 6 (38); Paulinum, 473; creditorum, II, 186-189.

Probabilismus, I, 8. Origo, *ibid.*, vices, 10, 11, fundamenta, 257; auctoritas, usus, 263, 270.

Probabilistae; lati, moderati, I, 10 (97). Probabilioristae (98). Aequiprobabilistae, 11 (106); 259 (21).

Probabilitas, quid, I, 130, absoluta, vel relativa, 130, facti vel iuris, 131, iuris intrinseca, vel extrinseca, 128 (17), speculativa et pratica, 132. V. *Opinio.*

Processus, accusatorius, inquisitorius, II, 596. Propria accusatorii, 599, inquisitorii, 600.

Prodigus, I, 35.

Promiscuitas epularum diebus jejunii, III, 140, etc.

Promissio quid, II, 411 (32), illicita, 300 (11), prodiga, 505 (4); alium daturum facturum, 410. Personam promittentis non rem quae promittitur obligat, III, 200 (29).

Promulgatio legis quam necessaria, I, 162 (16), quo modo facienda, 202.

Propositum; in mente retentum nihil operatur aut mutat, I, 146 (15), nullam parit obligationem, II, 411 (31). Quoad confessionem, III, 313, etc.

Provisio (quoad Beneficia), III, 32 (1).

Proxeneta qua culpa teneatur, II, 204 (10).

Prudentia, II, 72.

Pubertas, puberes, I, 29. V. *Impuberes.*

Publica honestas, III, 434. Ex sponsalibus validis (23), ex matrimonio rato (25), non tamen *civili*, quod vocant (27).

Pyromantia, II, 30.

Q

Quarta funeraria, III, 177 (92).

Quasi contractus, II, 437, etc.

Quasi delictum, I, 297 (16).

Quasi domicilium: quomodo acquiratur, et amittatur, I, 84; subditum facit, 86.

R

Rapina, II, 250, 251.

Raptus dirimit matrimonium, III, 446; quoad sponsalia, 507 (19). Raptores mulierum excommunicantur, I, 397 (I).

Ratihabitio, quid, I, 304, quoad delicta, *ibi.* (31), quoad contractus (*Comprobatio*), II, 419.

Receptator, I, 302 (21); poenae, 390 (I).

Recidivus, III, 338, etc.
Reconciliatio Ecclesiae pollutae, III, 15.
Recursus, quis, II, 208, V. *Receptator.*
Redemptio census, II, 513, praedii vectigalis, seu emphyteusis, 509 (23), iuris litigiosi, 467, *vexationis iniquae,* III, 100-102.
Regula de possessione, I, 260-262, 264, 268, 269.
Regulares, qui, I, 102. Possidentes, mendicantes, 102. Qui fieri prohibeantur, III, 214, quo modo fiant, I, 103. Professio, III, 216. Obligationes ex *votis,* I, 104, III, 218-225, ex *regulis,* III, 217, ex Superioris *praecepto,* 218. Iura et privilegia, I, 104. Quoad Extrem. Unct., III, 416; sepulturam, I, 112 (10). Saecularizati, III, 226; *apostatae,* profugi, 225; ejecti, 226. Suspensio in ejectos, I, 394 (V). Regularium iure qui censeatur, I, 105.
Reincidentia; absolutio ad, I, 354.
Religio, quid, II, 16. Actus religionis, 17-26. Peccata contra religionem per excessum, 27-54, per defectum, 55-61.
Reliquiae SS., quae, et quomodo exponendae, III, 16.
Renunciatio, renunciare iuri suo cuique licet, II, 100 (22), an *iuribus singularibus.* I, 221, privilegiis, 229 (23), hereditati, II, 383, an beneficiis ecclesiasticis, III, 57, 58. V. *Novitii.*
Repetitio indebiti. V. *Indebiti solutio.*
Repraesentatio quoad successiones; quid et quibus competat, II, 372-375.
Res, quae, II, 103, *soli, fungibiles, ibid.,* publicae, privatorum, nullius, extra commercium, derelictae, iactae, deperditae, incertae, 104, communes, 112-116, dividuntur, 117, in alium transeunt vel transferuntur, 126-127, propriae fiunt occupatione, 128-132, sacrae, III, 2 (V. *Bona*); nomine rei veniunt superficies, fructus, II, 105, 110.
Rescriptum, I, 236, subreptitium, 237. Obreptitium, 238. Ex quo tempore utrumque aestimandum, 239. An excuset bona fides, 240. Specialia quoad rescripta Sacrae Poenitentiariae, 242-244.
Reservatio casuum (peccatorum et censuratum), I, 337-344; III, 323, 324, beneficiorum, 33, 34, votorum, 210.
Resignatio beneficii, III, 57, 58.
Restitutio, quid, II, 195 (1). Radices ex iniusta acceptione, ex re iniuste accepta (6). *Communia utriusque;* damnum, iniuria, 197. Quomodo utrumque aestimatur, 198-200: qui damnum dare dicendi sunt, 202-211, quid restituendum sit, 212-216, 226, quando et quomodo, 217-220; cui, 218, a quo, 201, 218, nempe ab eo qui damnum dedit ipse, 201, 202, vel causam damni, *ibi;* sive *positivam,* si animum movit iussu, 203, consilio, 204, stimulis (palpo) 205; seu opem praestitit cooperando, 207, receptando, 208; sive *negativam,* si non prohibuit ab aliis dari, 209, vel datum sit ab his quibus ipse superesse debet, 210, vel ab animantibus quorum custodiam habet, *ibi.* Quid si quis consilium aut mandatum revocaverit, 206, vel alius damnum a se datum dedisset? 211. A restitutione excusant, 1° remissio damnum passi, 221, 222; 2° debitoris impotentia, 223, damnum grave, 224, aut superioris ordinis, 225, vel damnum restitui non possit, 227-229. — ***Ex iniusta acceptione:*** Est poena quaedam, ideo necesse est, ut quis damnum dederit sciens volens, 100, 231, invito, 100, 200. Quid si erratum sit circa personam, 232, vel damnum, sit datum sola culpa civili vel casu? 233. Quid si a pluribus uni, vel ab uno pluribus, vel te auctore damnum datum sit, 234-237, vel totum omnibus restitui non possit? *ibi.* — ***Ex re iniuste accepta,*** 238. Quid restituendum sit a possessore bonae, 239-241, malae, 240, 241, fidei; cui, 242. Quid si impensas fecerint in re aliena, 243.
Restitutio in integrum, quid, et cui competat et quid praestet, I, 34, 48, II, 420; evanescit, I, 24 (9), 34.
Restrictio mentalis, II, 295, 296.

Retractus conventionalis, II, 461, legalis, 467.
Revocatio alienationis in fraudem ereditorum, II, 421-423.
Rigorismus, Rigoristae, I, 9.
Romanus Pontifex. V. *Summus Pontifex.*
Rubricae Missalis, III, 383.
Rumor. V. *Fama.*

S

Sagae, II, 28, (7).
Sacramentum, quid, III, 229, quid sacramentum N. L., *ibid.;* quotuplex, 230. — NATURA SS. N. L.-I CONSTANT, 1° *Materia,* 232, an benedicenda, 234, mutatio, 233. 2° *Forma,* 235, verborum mutatio, corruptio, additio, detractio, 236, transpositio, 237, interruptio, 238. 3° *Intentione* ministri, 239-240. II EFFECTUS: 1° gratia sanctificans. 242, sacramentalis, 243; 2° character, 244. Quando, 245, et quo pacto, 246, haec p aestent. III *Necessitas,* 247, *ritus,* 265-267, *iteratio,* 268, 269. — ADMINISTRATIO. I *cavendum reverentiae sacramenti, et utilitati suscipientium,* 248. Utra potior, 249, quomodo utrique caveri possit, *ibid.,* an liceat heic sequi opiniones probabiles, 256, II *Minister,* quis, 252, an plures insimul, 255, quae cavere debeat ut valide, 253, ut licite, 254, sacramenta conferat. III *Subiectus,* quis, 256, in adulto quae requiratur ut valide, 257, et licite, 258, sacramentum recipiat; quid si amens, 259, vel surdus simul et mutus, 260. IV An Minister dare possit sacramentum indignis, 261, cum offensione fidelium, 263, vel his qui ignorant quae scire oportet, 262, quid si negare non possit sine periculo vitae, 264. An subiectus petere ab indigno, vel excommunicato, 261.
Sacrilegium, quid, III, 13, quotuplex, 14, personale, *ibi;* locale (pollutio ecclesiae, violatio immunitatis) 15; reale, 16.
Sanatio in radice. V. *Matrim,* in fi.
Sarcitores, quoad furtula, II, 253 (27).
Satisfactio, ob iniuriam, II, 102, 244, 248, contumeliam, 273-275, sacramentalis, III, 346, etc.
Schisma, schismatici, incurrunt excommunicat, R. P. reservat. speciali modo, et 390 (III).
Scriptura, publica, II, 312, privata, 313; in quibus contractibus necessaria, 414.
Scrupuli: conscientia scrupulosa quae, I, 251 (3). Scrupulosi quoad peccata dubia in confessione, III, 306(43).
Sculpere, an sit opus servile, III, 121 (8).
Secretum, quid et quotuplex, II, 269, an liceat explorare, 270, revelare, 271, quid si promiseris non revelaturum (17). An uti notitia, 272. V. *Epistolae, Sigillum.*
Sectae nomen dantes incurrant excommunicat. R. P. reserv. I, 391 (IV).
Semifatui, quoad contractus, I, 35, 58. Eucharistiam recipiendam, III, 396.
Senex, I, 36, quoad jeiunium eccl. III, 135.
Separatio bonorum, quoad heredes, II, 396bis, coniuges, 564 (37).
Sepulcrum, quid et quotuplex, I, 112, an sit res extra commercium, II, 104 (10), et an citra simoniam vendi possit, III, 108 (11).
Sepultura ecclesiastica, quibus, constet, I, 112, quibus et ubi danda sit, 113, 114. Deneganda excommunicatis, 115, et crimosis, 115 (V. *Duellum*). Quid in dubio, an quis indignus, vel si absque gravi incommodo prohiberi nequeat, 116.
Servi, qui, I, 117; quae iura eis competant, 119, quoad matrimonia, III, 444 (15).
Servilia, quae III, 121.
Servitus *personae,* parit irregularitatem, I, 412ter, impedimentum matrimonii, III, 444 (15). *Praediorum* quid, II. 155, quotuplex, 156, constituitur, acquiritur, 157. Personalis, 157 (V. *Ususfructus, Usus, Habitatio*). Realis, 156, quid, 168, et quotuplex, 169; acquiritur titulo, 170, destinatione patrisfamilias, 171, praescrip-

tione, 172; quae iure civili introductae, 173, 174. Quemadmodum utendum sit, 175, 176, amittantur, 177, 178, *Aquaeductus*, 180, 181: *aquae derivandae*, 182, 183: *de aquae superfluis*, 184, 185.

Sigillum sacramentale. Quid et qua ex confessione oriatur, III, 357, quorsum pertinet, 358, quam grave, 359, quaenam sigilli materia *per se*, *reductive*, *per accidens*, 360. Quinam et quibuscum eo teneantur, 361. Quomodo violari possit, 362, an violet qui utitur notitia eorum quae didicit ex confessione, 363.

Simonia, quid, III, 87. Quotuplex, 88. Iuris divini, iuris humani, et quae earum dissimilitudo, 89. — I Iuris divini: 1° malitia, 92, ex quibus consistat, 90. Spiritualia quae, *ibid.* Quae temporalia, 91. 2° Contrahitur cum ex uno latere aliquid temporale, ex altero spirituale versatur, 93; daturque ultro citroque, 94; alterum pro altero, 95; quodcumque sit spirituale (exceptis rebus omittendis, 96), vel temporale, 97, et quamvis nullum pactum intersit, 98. Excusat si temporale detur ad redimendam vexationem, 100-102, vel quasi merces operis, 103-105, detur. — II Iuris humani: Obiectum, 106: 1° temporalia adnexa spiritualibus, antecedenter, 108, concomitanter, 107, consequenter, 109. Transactio super re spirituali adnexa, etc., 110. 2° Pacta circa beneficia, 112, conferenda vel permutanda, (4), vel resignanda, (6), (*confidentialis*, *fiduciaria*), reprobata, (7), etc., circa officia ecclesiastica, 113. 3° Munera in casibus iure expressis, et maxime in concursu ad Parochias non accipienda, 114. — III Effectus: 1° An actus simoniaci validi sint, 115, et in primis an collatio beneficii, 118. 2° Poenae: excomm. R. P. reserv. ob simoniam realem in ingressu religionis, 116; realem, vel confidentialem in beneficiis, 118; aliae quoad Examinatores, etc., *ibid.* 3° Restitutio, 119.

Simulatio, II, 297, quoad contractus, 412.

Societas — 1° Hominum: communia societatis civilis et ecclesiasticae, I, 67-70 (V. *Iurisdictio*, *Origo*, *Domicilium*, *Quasi domicilium*, *Civis*,*Incola*, *Advena*, *Peregrinus*, *Vagus*). Societas civilis, civium iura naturalia, civilia, politica, 117-119, existimatio, 121, infamia, 122; an iura suspendi vel amitti possint, 120. Societas ecclesiastica, quibus constet (V. *Romanus Pontifex*, *Episcopus*, *Congregationes Sacrae*, *S. Universalis Inquisitio*, *Vicarius Generalis et Capitularis*, *Parochus*, *Presbyter*, *Clerici*, *Laici*, *Regulares*). 2° Rerum et operarum, quid et ex quibus consistat, II, 475, 476. Administratio, 477. Cui pereant res in societatem collatae, 478. Dissolvitur, *ibi.*, quid si unus intempestive discesserit, (33). Societas *universalis* omnium *rerum*, 479, omnium quae ex *quaestu* veniunt, 480. *Particularis rerum*, vel *operarum*, 481. Inter coniuges, 483, fratres, 484. Animalium, 502, lucri faciendi, 503, vel agri colendi, 504, causa.

Sodomia, II, 65: perfecta vel imperfecta, (23).

Solemnia actuum quae dicantur, I, 213, an liceat omittere, 215, omissis an actus valeat, 213, 214; quae pertineant ad formam instrumenti publici, II, 312-313, privati, 313 (6). Solemnia testamentorum, 337-339, contractuum, 414; alienationum, vel locationum rerum ecclesiasticarum, III, 81-83, resignationum, 58 (27), permutationum, 60 (49), beneficiorum: *matrimonii* ex iure canonico, 451-461, civili, 467, 468.

Sollicitatio, quid, III, 365; quot modis fieri possit, 366. Sollicitantis denunciatio quando iniungenda, 368 (25); quibus, 369; quomodo, (30, 33), et sub quibus poenis, (31), I, 393 (V), sit facienda.

Solutio, quid, a quo, cui facienda, II, 322; indebiti, (12); facta ab extraneo, (13).

Somnia; observare an liceat, II, 31 (24), divinatio per somnia, cit. § 31.

Sortes divinatoriae, sortilegium, II, 32.

Specificatio, II, 138 (21).

Spes, et vitia spei opposita, II, 9, etc.

Spiritismus americanus, II, 43.

Sponsalia, quid, III, 505. - 1° Quinam contrahere possint, 511. - 2° Substantialia, *res*, 505, *causa*, *ib.*, *consensus*, 506. - 3° Accidentalia: *conditio*, 508, petendi dispensationem quatenus obliget (31), an tacite insit (26), etc.: *arrhae*, 509, 517, *poena* in resilientem (34). - 4° Solemnia, 510, Append. post § 461. - 5° Obligatio contrahendi matrimonium, 512; impedimentum p. h., 434. - 6° Dissolutio, 513, ob fidem non servatam, 514, rerum mutationem (7), etc., perfectiorem vitae statum, 515. - 7° Rescissio, 516. - 8° Inita per errorem, ob metum, 507, ob rem, 518-521.

Sponsiones. V. *Ludi*.

Spurii (V.) *Filii* nec agnosci, nec legitimari possunt, I, 50 (26).

Stuprum. Quid, II, 277: iniuria, damnum, restitutio, *ib.*, filii agnatio, 278.

Substitutio, quid, II, 350. Vulgaris seu directa, 351, fideicommissaria seu obliqua, et quaenam ex his vetita, 352.

Subreptio, I, 326. Quando vitiat rescriptum, 238, dispensationes matrimoniales, III, 490-494.

Successio, quibus hereditas ab intestato defertur, II, 371, ordinis praerogativa, 372, repraesentatio, 373-375, descendentium, 376, ascendentium, 377, fratrum, 378, coniugis, 379, proximiorum, 380, fisci, 381. Quoad hereditatem ex testamento. V. *Testamentum*, *Hereditas*.

Suicidium, II, 75.

Summus Pontifex, potestas, infallibilitas, I, 93.

Supellex sacra, quae, II, 7. Ex qua re fieri debeat calix, (39), pyxis, (42, 43), amictus, albae, corporalia, pallae, (48), paramenta, et cuius coloris, (44, 45) etc. Quae benedicenda, (49, 50). Quemadmodum execrantur, 10, 11.

Superficies, quid, II, 103 (2).

Superstitio, quid et quotuplex, II, 27-37; Idololatria, 28, daemonolatria, 29, divinatio, negromantia, metoposcopia, 30, oniromantia, 31, sortilegium, 32, astrologia, 33, vana observantia 34, magia, 35, observantia sanitatum, futurorum eventuum, ars notoria, 37.

Surdi, quoad irregularitatem, I, 414 (17), recitationem horarum canonicarum cum socio, vel in choro, III, 151. *Surdi-muti* a nativitate nec instituti, an infantibus aequiparentur, I, 30, an sacramenta recipere possint, III, 260.

Surdi-muti-caeci a nativitate infantibus accensentur, I, 30.

Suspensio, quid, I, 379, 380, ab officio, 380, a beneficio, 382; an altera ad se alteram trahat, 383; a pontificalibus, 381. Quo ex delicto et quomodo ferenda, 385. *Ex informata conscientia*, (51). Suspensiones an teneant extra territorium eas ferentis, 384. Violatio suspensionis quando irregularitatem pariat, 386. Quae fertur in collegium quos teneat, 388. Latae sententiae quae nunc vigent, 394.

T

Tabulae rotantes, II, 54 (*).

Temperantia, II, 63.

Tempora, quomodo supputanda, I, 39.

Tentatio Dei, quid, quomodo fit, gravitas, II, 60, interpretativa, 61.

Testamentum, quid, II, 336, quotuplex, et forma 337, specialia seu privilegiata, 338, ad pias causas, 339. Qui testamentum facere, vel testamento capere, possint, 341-343, de quibus possit testamento disponi, 344-347 (V. *Legitima portio*). Evanescit, 360, rumpitur, 361, caducum fit, 362. Executor testamenti, 367.

Testis, quis, III, 461 (65). Quot ad plenam probationem regulariter necessarii, II, 590 (26), in contractibus et testamentis, 312 (1). Quando et quomodo respondere debeat; quid si mentitur, aut reticet, aut non adest, II, 587, 597: quomodo ei refra-

gari liceat, 588. Idonei, qui, II, 312 (1), in matrimoniis, III, 453 (10): 461 (58).

Theologiae Moralis obiectum, I, 18, origo, incrementa, vices, I, 4, 6-11, necessitas, 12, praestantia, 13, fontes, 14, etc. Systemata varia, 8, 9, 256-262; quodnam potius, 263-270. Prolegomena, I, 18; eorum partitio, *ib.*, 19.

Thesaurus, quid et cui cedat, II, 130.

Titulus, quid, I, 79 (72). Verus, coloratus, putativus seu praesumptus, *ibid.*, Ad transferendum dominium habilis, quis, II, 133. Beneficii, III, 20 (5), erectio in (4). Sacrae Ordinationis, III, 295.

Toleratus, I, 77 (53).

Tonsura, quid et an Ordo, III, 288 (4). Quando conferri possit, 294.

Traditio, an necessaria ad dominium acquirendum, II, 135.

Transactio, quid, quibus constet, quando rata sit, II, 557. Quomodo interpretanda, 558. Quoad res ecclesiasticas quatenus licita sine beneplacito Apostolico, III, 80, (34). Quoad beneficia ecclesiastica, an simoniaca, 110.

Transcriptio, quid, quando et quatenus necessaria, II, 415.

Tributa, an liceat fraudare, II, 580, 581.

Turpiloquium, an grave peccatum, II, 68 (50).

Tutiorismus, Tutioristae, I, 8. Doctrina, 258, laborat falso supposito, 265. An liceat eam aliis imponere, 263.

Tutores, qui, et quibus dandi, I, 58. Officium, (4). Quoad damna a minoribus data, II, 210 (40).

U

Universalis Inquisitio (S.), I, 93.

Usuarius, Usus, II, 166, iura, 167.

Usucapio, quid, quae praestet, II, 139, 145, requisita-possessio, 140, 145, bona fides, 140, 146, titulus, 147, res apta, 148, tempus, 149, 150; inter quos procedat, 141; eius suspensio, 142, interruptio, 143, An, ipsa impleta, res acquiratur ipso iure, 144.

Usufructus, quid, constituitur, II, 137 (patrifamilias et viduo lege datur, 158, 379), legatur, 358; quid, quomodo et quibus in rebus constitui possit, 158, circa arbores, 164, et animalia, 165. Extinguitur, 161. V. *Fructuarius*.

Usura, an et quando debeatur, II, 106 (20), quid, II, 531. Conventionalis utrum licita, 532-533. quae immodicae, 534-536; legalis, 539; testamento vel super legatis non imposita, 537; quando distinguitur a poena stipulata propter moram, 538.

Uxor in officio viri esse debet, I, 48. Quos contractus inire nequeat iniussu viri, *ibid.* Uxoris bona dotalia vel paraphernalia, II, 563, 567. Illorum administratio penes maritum est, 563, horum non item, 567. Uxor quoad bona mariti, 252, 568, et an eleemosynam ex eis facere possit, 85. Vota uxoris an vir irritare possit, III, 205, 206 (30), an et uxor viri, (31) (V. *Matrimonium*). Adultera ad quid teneatur, II, 279-281. Viduae iura, 379, 566; domicilium, I, 83 (16), sepultura, 113 (18, 19).

V

Vagus, quis, I, 85 (27). Cuius loci legibus teneatur, 86 (42). Quoad matrimonium contrahendum, III, 457 (39). Appendix post § 461.

Vana observantia, II, 34.

Vectigalia, an liceat fraudare, I, 207; II, 580, 581. V. 209 (34).

Venatio, quorum animantium licita, et quando haec venatoris fiunt, II, 129. Quae vetita Clericis, III, 159.

Venditio. V. *Emptio*.

Vestes sacrae. V. *Supellex.*

Vicarius Capitularis, I, 97, Generalis, 96, III, 292 (12).

Vidua. V. *Uxor.*

Viduus, iura, II, 379.

Vir. V. *Mariti.*

Virga divinatoria, II, 30 (20).
Virtus, I, 140, 279. Virtutes theologales, II, 1-15; cardinales, 62, 98, 99.
Vis, quid, I, 138, V. *Metus*.
Vita; an homo sit vitae suae dominus, II, 73.
Vitales, qui, I, 27.
Vitalitium, quid, II, 552. Cui et quomodo stipulari possit, 553, 554. An redimibile, 555.
Vitandi, qui, I, 77 (53).
Vitium, quid, I, 140, 279. Vitia *rei* occulta an manifestanda emptori, 450: *personae*, an sponsalia ineunti, III, 507 (16).
Voluntarium, involuntarium, non voluntarium, quid, I, 134.
Voluntas, quid, I, 133. Vera, praesumpta, interpretativa, 136. V. *Intentio*.
Votum, I° quid, III, 192, quotuplex, 196; realia, personalia, mixta, (26), conditionalia, (27), poenalia, (28), reservata, 210. Qui vovere possit, 195, quae, 192; causa vovendi, 193, consensus, 194. II° Voti obligatio, 197, quoad Deum, (2), tertio, (4); an teneat heredes, 201 (7); Municipium, Collegium, etc., 212. Quomodo implenda, 197, 198, quando, 198; quid pendente conditione, 199. III° Qui possint vota irritare, 202-206, despensare et commutare, quando, quomodo, 207-209. Quemadmodum ipso iure evanescunt, 201.

REIMPRIMATUR

Fr. Raphaël Pierotti O. P. S. P. A. Mag.

REIMPRIMATUR

Franciscus Cassetta Patriarcha Antioch. Vicesg.

SUPPLEMENTUM

EDITIONI QUINTAE

SUMMULAE THEOLOGIAE MORALIS

JOSEPHI Card. D'ANNIBALE

COMPLECTENS PRAECIPUA

EX ACTIS ET DECRETIS NOVISSIMIS S. SEDIS

CURANTE

DOMINICO MANNAJOLI

EPISCOPO FALISCODUNENSI

ROMAE

DESCLÉE ET SOCII, EDITORES

Piazza Grazioli (Palazzo Doria)

—

1909

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi, O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Josephus Ceppetelli, Patr. Constantinop.,
Vicesgerens.

PROPRIETAS LITTERARIA

LECTORI

Ut Summulae Theologiae Moralis *Josephi D'Annibale, in iis saltem quae majoris sunt momenti, sua constet integritas, qua prioribus tribus editionibus e calamo celeberrimi Auctoris prodivit, ac una simul in iis, quae ad positivum jus pertinent, hodiernis scientiae theologicae moralis postulatis eadem pro re nata respondeat, Supplementum hoc visum est compingere, in quo tum aliqua emendentur, praesertim quae in quartam et quintam editionem Operis hujus praestantissimi contra mentem Auctoris aliena manu irrepserunt, tum etiam praecipua exhibeantur moralia responsa et decreta, quae vel a SS. RR. CC., vel ab ipsa S. Sede, ab anno 1892, quo vita perfunctus est D'Annibale, ad nostra haec usque tempora prodierunt, ut nempe ad ea siquid absit doctrina Auctoris revocetur seu uberius confirmetur.*

His utere, benevole lector, diligentiamque Editoris in Supplemento hoc adornando fac aequus excipias.

MONITUM.

Rerum distributio in Supplemento hoc fit juxta ordinem, quem in *Summula* sectatus est D'Annibale; ita ut quae in illo collecta sunt, respondentibus hujus Operis locis quisque facillime aptare queat.

I.

(**Summ.**, Par. I, Tr. I, *De Personis*, § 93).

De potioribus Romanae Curiae Congregationibus, Tribunalibus et Officiis ex Const. Ap. *Sapienti consilio* Pii PP. X. 29 Iunii 1908.

I. *Congregatio Sancti Officii.* — 1. Haec sacra Congregatio, cui Summus Pontifex praeest, doctrinam fidei et morum tutatur.

2. Eidem proinde soli manet iudicium de haeresi aliisque criminibus, quae suspicionem haeresis inducunt.

3. Ad ipsam quoque devoluta est universa res de indulgentiis, sive quae doctrinam spectet, sive quae usum respiciat.

4. Quidquid ad Ecclesiae praecepta refertur, uti abstinentiae, ieiunia, festa servanda, id omne, huic sacro Consilio sublatum, Congregationi Concilii tribuitur; quidquid ad Episcoporum electionem spectat, sibi vindicat Congregatio Consistorialis; relaxationem vero votorum in religione seu in religiosis institutis emissorum, Congregatio Negotiis sodalium religiosorum praeposita.

5. Etsi peculiaris Congregatio sit constituta de disciplina Sacramentorum, nihilominus integra manet Sancti Officii facultas ea cognoscendi quae circa privilegium, uti aiunt, Paulinum, et impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur, praeter ea quae attingunt dogmaticam de matrimonio, sicut etiam de aliis Sacramentis doctrinam.

II. *Congregatio Consistorialis.* — 1. Duas haec sacra Congregatio, easque distinctas partes complectitur.

2. Ad primam spectat non modo parare agenda in Consistoriis, sed praeterea in locis Congregationi de Propaganda Fide non obnoxiis novas dioeceses et *capitula* tum *cathedralia* tum *collegiata* constituere; dioeceses iam constitutas dividere; Episcopos, Admi-

nistratores Apostolicos, Adiutores et Auxiliarios Episcoporum eligere; canonicas inquisitiones seu *processus* super eligendis indicere actosque diligenter expendere; ipsorum periclicari doctrinam. At si viri eligendi vel dioeceses constituendae aut dividendae sint extra Italiam, administri Officii a publicis Negotiis, vulgo *Secretariae Status*, ipsi documenta excipient et *positionem* conficient, Congregationi Consistoriali subiiciendam.

3. Altera pars ea omnia comprehendit, quae ad singularum dioecesium regimen, modo Congregationi de Propaganda Fide subiectae non sint, universim referuntur, quaeque ad Congregationes Episcoporum et Concilii hactenus pertinebant, et modo Consistoriali tribuuntur. Ad hanc proinde in posterum spectent vigilantia super impletis vel minus obligationibus, quibus Ordinarii tenentur; cognitio eorum quae ab Episcopis scripto relata sint de statu suarum diocesium; indictio Apostolicarum visitationum, examenque earum quae fuerint absolutae, et, post fidelem rerum expositionem ad Nos delatam singulis vicibus, praescriptio eorum, quae aut necessaria visa fuerint aut opportuna; denique ea omnia quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia Seminariorum pertinent...

III. *Congregatio de disciplina Sacramentorum.* — 1. Est huic sacrae Congregationi proposita universa legislatio circa disciplinam septem Sacramentorum, incolumi iure Congregationis Sancti Officii, secundum ea quae superius statuta sunt, et sacrorum Rituum Congregationis circa caeremonias quae in Sacramentis conficiendis, ministrandis et recipiendis servari debent.

2. Itaque eidem Congregationi tribuuntur ea omnia, quae huc usque ab aliis Congregationibus, Tribunalibus aut Officiis Romanae Curiae decerni concedique consueverant tum in disciplina matrimonii, uti dispensationes in foro externo tam pauperibus quam divitibus, sanationes in radice, dispensatio super rato, separatio coniugum, natalium restitutio seu legitimatio prolis; tum in disciplina aliorum Sacramentorum, uti dispensationes ordinandis concedendae, salvo iure Congregationis Negotiis religiosorum sodalium praepositae ad moderandam eorumdem ordinationem; dispensationes respicientes locum, tempus, conditiones Eucharistiae sumendae, Sacri litandi, adservandi Augustissimi Sacramenti; aliaque id genus.

3. Quaestiones quoque de validitate matrimonii vel sacrae Ordinationis, aliasque ad Sacramentorum disciplinam spectantes, eadem Congregatio dirimit, incolumi iure Sancti Officii. Si tamen eadem Congregatio iudicaverit huiusmodi quaestiones iudiciario ordine ser-

vato esse tractandas, tunc eas ad sacrae Romanae Rotae tribunal remittat...

IV. *Congregatio Concilii.* — 1. Huic Sacrae Congregationi ea pars est negotiorum commissa, quae ad universam disciplinam cleri saecularis populique christiani refertur.

2. Quamobrem ipsius est curare ut Ecclesiae praecepta serventur, cuius generis sunt ieiunium (excepto eucharistico, quod ad Congregationem de disciplina Sacramentorum pertinet), abstinentia, decimae, observatio dierum festorum, cum facultate opportune relaxandi ab his legibus fideles; moderari quae parochos et canonicos spectant; item quae pias sodalitates, pias uniones, pia legata, pia opera, Missarum stipes, beneficia aut officia, bona ecclesiastica, arcas nummarias, tributa dioecesana, aliaque huiusmodi attingunt. Videt quoque de iis omnibus, quae ad immunitatem ecclesiasticam pertinent. Eidem Congregationi facultas est reservata eximendi a conditionibus requisitis ad assecutionem beneficiorum, quoties ad Ordinarios eorum collatio spectet.

3. Ad eamdem pertinent ea omnia quae ad Conciliorum celebrationem et recognitionem, atque ad Episcoporum coetus seu *conferentias* referuntur, suppressa Congregationem speciali, quae hactenus fuit, pro Conciliorum revisione.

4. Est autem haec Congregatio tribunal competens seu legitimum in omnibus causis negotia eidem commissa spectantibus, quas ratione disciplinae, seu, ut vulgo dicitur, *in linea disciplinari* pertractanda iudicaverit; cetera ad sacram Romanam Rotam erunt deferenda...

V. *Congregatio Negotiis religiosorum sodalium praeposita.* — 1. Haec sacra Congregatio iudicium sibi vindicat de iis tantum, quae ad sodales religiosos utriusque sexus tum solemnibus tum simplicibus votis adstrictos, et ad eos qui, quamvis sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum, itemque ad tertios ordines saeculares, in universum pertinent, sive res agatur inter religiosos ipsos, sive habita eorum ratione cum aliis.

2. Quapropter ea omnia sibi moderanda assumit, quae sive inter Episcopos et religiosos utriusque sexus sodales intercedunt, sive inter ipsos religiosos. Est autem tribunal competens in omnibus causis, quae ratione disciplinae, seu, ut dici solet, *in linea disciplinari* aguntur, religioso sodali sive convento sive actore; ceterae ad sacram Romanam Rotam erunt deferendae, incolumi semper iure Sancti Officii circa causas ad hanc Congregationem spectantes.

3. Huic denique Congregationi reservatur concessio dispensationum a iure communi pro sodalibus religiosis.

VI. *Congregatio sacrorum Rituum.* — 1. Haec sacra Congregatio ius habet videndi et statuendi ea omnia, quae sacros ritus et caeremonias Ecclesiae latinae proxime spectant, non autem quae latius ad sacros ritus referuntur, cuiusmodi sunt praecedentiae iura, aliaque id genus, de quibus, sive servato iudiciario ordine sive ratione disciplinae, hoc est, uti aiunt, *in linea disciplinari* disceptetur.

2. Eius proinde est praesertim advigilare ut sacri ritus ac caeremoniae diligenter serventur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis, in iis denique omnibus quae Ecclesiae latinae cultum respiciunt; dispensationes opportunas concedere; insignia et honoris privilegia tam personalia et ad tempus, quam localia et perpetua, quae ad sacros ritus vel caeremonias pertineant, elargiri, et cavere ne in haec abusus irrepant.

3. Denique ea omnia exsequi debet, quae ad beatificationem et canonizationem Sanctorum vel ad sacras Reliquias quoquo modo referuntur...

VII. *Sacra Poenitentiaria.* — Huius sacri iudicii seu tribunalis iurisdictio coarctatur ad ea dumtaxat quae forum internum, etiam non sacramentale, respiciunt. Itaque, externi fori dispensationibus circa matrimonium ad Congregationem de disciplina Sacramentorum remissis, hoc tribunal pro foro interno gratias largitur, absolutiones, dispensationes, commutationes, sanationes, condonationes; excutit praeterea questiones conscientiae, easque dirimit.

VIII. *Sacra Romana Rota.* — Quum sacrae Romanae Rotae tribunal, anteactis temporibus omni laude cumulatum, hoc aevo variis de causis iudicare ferme destiterit, factum est ut sacrae Congregationes forensibus contentionibus nimium gravarentur. Huic incommodo ut occurratur, iis inhaerentes, quae a Decessoribus Nostris Xysto V, Innocentio XII et Pio VI sancita fuerunt, non solum iubemus « per sacras Congregationes non amplius recipi nec agnosci « causas contentiosas, tam civiles quam criminales, ordinem iudi- « ciarium cum processu et probationibus requirentes » (Litt. Secretariae Status, XVII Aprilis MDCCXXVIII); sed praeterea decernimus, ut causae omnes contentiosae non maiores, quae in Romana Curia aguntur, in posterum devolvantur ad sacrae Romanae Rotae tribunal, quod hisce litteris rursus in exercitium revocamus iuxta *Legem propriam*, quam in appendice praesentis Constitutionis ponimus, salvo tamen iure sacrarum Congregationum, prout superius praescriptum est.

IX. *Dataria Apostolica.* — ... Ad Datariam in posterum hoc unum tamquam proprium ministerium tribuitur, cognoscere de ido-

neitate eorum qui optant ad beneficia non consistorialia Apostolicae Sedi reservata; conficere et expedire Apostolicas litteras pro eorum collatione: eximere in conferendo beneficio a conditionibus requisitis; curare pensiones et onera quae Summus Pontifex in memoratis conferendis beneficiis imposuerit...

Cfr. *Acta Apost. Sedis*, vol. I, pagg. 7 et seqq. ubi videre est reliqua, quae ad Congregationes, Tribunalia et Officia omnia Romanae Curiae spectant. Potiora heic adnotasse nobis sufficiat.

II.

(**Summ.**, P. I, Tr. 1, §§ 94-97).

Facultates habitualiter concessae non desinunt morte Ordinarii, vel ob ejusdem a munere cessationem.

I. In Congregatione Gen. S. Rom. Univ. Inquis. halita ab Emis ac Rmis DD. Card. in rebus fidei et morum Gen. Inquisitoribus.

Emi Patres, rerum temporumque adjunctis mature perpensis, decernendum censuerunt: Supplicandum SSmo, ut declarare seu statuere dignetur, facultates omnes speciales, habitualiter a S. Sede Episcopis, aliorumque locorum Ordinariis concessas, non suspendi vel desinere ab eorum mortem vel a munere cessationem, sed ad successores Ordinarios transire ad formam et in terminis decreti a Sup. hac Congr. editi die 20 Febr. 1888 quoad dispensationes matrimoniales. Insequenti vero fer. VI, die 26 Nov. 1897 in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, facta de his omnibus SSmo D. N. Leoni Div. Prov. PP. XIII relatione, Sanctitas Sua Emorum Patrum resolutionem approbavit, atque ita perpetuis futuris temporibus servandum mandavit, contrariis non obstantibus quibuscumque, S. C. S. O. 24 Nov. 1897.

II. Post Decretum hujusmodi propositum fuit eidem S. Congregationi dubium, utrum expediat in posterum eliminare facultates *durante munere*, quae ut plurimum Vicariis Capitularibus conceduntur. Porro in Congr. Gen. S. R. et U. Inquisitionis... praefato dubio... Emi ac Rmi Patres rescribendum mandarunt: *Clausulam* durante munere *esse supprimendam et in ceteris standum formae Decreti jam lati die 20 Febr. 1888, n. 1 et 2, at juxta modum* idest: 1° Facultates omnes habituales in posterum committendas esse Ordinariis locorum. 2° Appellatione *Ordinario-*

rum venire Episcopos, Administratores seu Vicarios Apostolicos, Praelatos seu Praefectos habentes jurisdictionem cum territorio separato, eorumque Officiales seu Vicarios in spiritualibus generales, et Sede Vacante Vicarium Capitularem vel legitimum Administratorem. Subsequenti vero fer. VI, die 22 ejusdem mensis Aprilis 1898 in solita audientia R. P. D. Assessori impertita, facta de his omnibus SSmo Domino N. Leoni Div. Prov. PP. XIII relatione, SSmus resolutionem EEmorum Patrum approbavit, contrariis non obstantibus quibuscumque, S. C. S. O. 20 Apr. 1898...

III. Hinc propositum fuit eidem S. Congregationi dubium: *Utrum concessiones jam factae antecedenter Episcopis ab Apostolica Sede intelligi debeant in sensu praefati Decreti.* Porro in Congr. generali S. R. et U. Inquisitionis... Emi ac Rmi Patres rescribendum mandarunt: Declaratio S. Officii, facta circa facultates concedendas, vi Decreti Fer. IV die 24 Nov. 1897, extendatur ad facultates jam antecedenter concessas, facto verbo cum Sanctissimo. Subsequenti vero Sabato die 25 ejusdem mensis Junii 1898, in audientia R. P. D. Assessori impertita, facta de his omnibus SSmo Dno Nostro Leoni Div. Prov. PP. XIII relatione, SSmus resolutionem Emorum Patrum approbavit, contrariis non obstantibus quibuscumque. S. C. S. O. 23 Jun. 1898.

Vi hujus Decreti non tantum facultates in posterum concedendae, verum etiam antea concessae intelliguntur *Ordinario* concessae, adeoque exercendae etiam a Vicario Generali, et, Sede Vacante, a Vicario Capitulari. (Cfr. Bucceroni, *Suppl.* Biblioth. L. Ferraris, v. *Episcopus* 20).

IV. Ordinarius Covingtonensis, ad enodandas quasdam difficultates ortas circa interpretationem facultatum Apostolicarum Ordinariis Stat. Foed. Americae ad quinquennium nunc concedi solitarum, plura dubia proposuit, ex quibus sequens sub n. 5: Ex repetitis S. Inquisitionis decretis et responsis, notanter a. 1898, 1899, 1900 emanatis, constat omnes facultates habituales a Sede Apostolica Episcopis concessas et concedendas intelligi debere datas Ordinariis locorum, sub quo nomine, praeter Episcopum, veniunt Vicarii in Spiritualibus generales, vicarii capitulares, etc. Quo posito, petit utrum recte sentiant DD. qui affirmant limitationes quascumque olim appositas facultatibus delegandi vicarium generalem jam evanuisse, ipsumque vicarium asque ulla delegatione vel communicatione facta ab Episcopo gaudere praedictis facultatibus, eisque servatis servandis semper valide uti.

Feria IV, die 22 Augusti 1906. In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis... Emi Rmi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores scribendum mandarunt... Ad V. Affirmative quoad facultates de quibus in dubio proposito, servato tamen, quoad licitum usum, debito subordinationis officio erga proprium Episcopum. Insequenti vero feria V ejusdem mensis et anni SSmus D. N. D. Pius div. prov. Papa X, in audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, habita hac de re relatione, resolutionem Emorum Patrum adprobavit, et benigne annuere dignatus est. (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 40, pag. 140).

III.

Facultates quinquennales quae a S. Poenitentiaria Apost. Episcopis concedi solent quoad casus S. Sedi reservatos et dispensationes matrimoniales.

Tibi Dilecto in Christo Ordinario N. N. infrascriptas communicamus facultates tum absolvendi a censuris, non obstante Constitutione *Apostolicae Sedis,* tum dispensandi, ad *quinquennium* duraturas, quibus pro foro conscientiae, etiam extra sacramentalem confessionem et etiam extra dioecesim, quatenus vel ipse vel subditus vel uterque extra dioecesim fueritis, pro grege Tibi commisso, ex speciali Sedis Apostolicae auctoritate Tibi delegata uti valeas; quasque intra fines dioecesis tantum canonico poenitentiario necnon vicariis foraneis, pro foro pariter conscientiae ac in actu sacramentalis confessionis dumtaxat, etiam habitualiter, si Tibi placuerit, aliis vero confessariis cum ad Te in casibus particularibus poenitentium recursum habuerint, pro exposito casu impertiri possis, nisi ob peculiares causas aliquibus confessariis a Te specialiter subdelegandis, per tempus arbitrio tuo statuendum, illas communicare iudicabis.

I. Absolvendi quoslibet poenitentes, exceptis haereticis publice dogmatizantibus, a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis quibus obnoxii sint ob haereses tam nemine audiente quam coram aliis prolatas, ob defensionem et favorem praestitum haereticis et eo quod ipsis crediderint, ob infidelitatem et catholicae fidei abiurationem private admissas, ob sortilegia ac maleficia haereticalia etiam cum sociis patrata, necnon ob daemonis invocationem cum pacto etiam donandi animam eique praestitam idololatriam ac superstitiones haereticales exercitas ac demum ob quaecumque insi-

nuata falsa dogmata, postquam tamen poenitens magistros ex professo falsae doctrinae, si quos noverit, prout de iure denunciaverit, et quatenus ob iustas causas nequeat ante absolutionem denuntiare, facta a poenitente seria promissione denuntiandi cum primum et meliori modo quo fieri poterit et postquam in singulis casibus coram absolvente haereses secrete abiuraverit et pactum cum maledicto daemone initum expresse revocaverit, tradita eidem absolventi syngrapha forsan exarata aliisque mediis superstitiosis ad omnia comburenda seu destruenda; iniuncta pro modo excessuum gravi poenitentia salutari cum frequentia sacramentorum et obligatione se retractandi apud personas coram quibus haereses manifestavit et reparandi illata scandala.

II. Absolvendi a censuris ob retentionem vel lectionem librorum quorumlibet proihibitorum contractis, iniuncta congrua poenitentia salutari, firma manente obligatione tradendi prout de iure, sive per se sive per alium, absque ulla mora, vel saltem comburendi seu destruendi, et quatenus fieri poterit ante absolutionem libros prohibitos quos poenitens in sua potestate retineat.

III. Absolvendi a censuris impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae, sive interni sive externi fori et ad hoc recurrentes ad forum saeculare eiusque mandata procurantes, edentes aut auxilium, consilium vel favorem praestantes; iniunctis tamen de iure iniungendis.

IV. Absolvendi a censura simpliciter reservata eos qui quomodocumque violentas manus, suadente diabolo, iniecerunt in clericum vel utriusque sexus monachos, etiamsi casus sit publicus, non tamen morte secuta, dummodo scandalum removeatur, ac parti laesae atque Ecclesiae, prout oportet, satisfiat, iniuncta pro gravitate criminis congrua poenitentia.

V. Absolvendi a censuris contra duellantes statutis in casibus dumtaxat ad forum externum non deductis, iniuncta gravi poenitentia salutari et aliis iniunctis, quae fuerint de iure iniungenda.

VI. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos qui sectae massonicae aliisque eiusdem generis nomen dederint, aut qualemcumque favorem praestiterint, etiamsi publice cognoscantur, ita tamen ut a respectiva secta omnino se separent eamque abiurent, libros, manuscripta ac signa sectam respicientia, si quae retineant, in manus absolventis tradant, ad Te quamprimum caute transmittenda aut saltem, si iustae gravesque causae id postulent, comburenda; iniuncta pro modo culparum gravi poenitentia salutari cum frequentia sacramentalis confessionis aliisque iniunctis de iure iniun-

gendis: nec non absolvendi eos qui eiusmodi sectarum duces et coriphaeos occultos denunciare culpabiliter neglexerint, iniuncta pariter salutari poenitentia et firma obligatione sub reincidentia eosdem Tibi vel aliis ad quos spectat prout de iure denunciandi.

VII. Absolvendi a censuris incursis ob violationem clausurae regularium utriusque sexus, dummodo non fuerit commissa ad malum finem, etiam effectu non secuto, nec casus fuerint ad forum externum deducti; cum congrua poenitentia salutari. Et insuper absolvendi mulieres tantum a censuris et poenis ecclesiasticis ob violationem ad malum finem clausurae virorum religiosorum incursis, dummodo tamen casus occulti remaneant, iniuncta gravi poenitentia salutari cum prohibitione accedendi ad ecclesiam aut conventum seu coenobium dictorum religiosorum durante occasione peccandi.

VIII. Absolvendi religiosos cuiuscumque ordinis (etiam moniales per confessarios tamen pro ipsis a Te approbatos vel specialiter deputandos) non solum a praemissis sed etiam a casibus et censuris in sua religione reservatis, dummodo religiosi apud confessarium subdelegatum legitimam habuerint licentiam peragendi confessionem sacramentalem.

IX. Absolvendi in sacramentali confessione a casu munerum acceptorum a regularibus utriusque sexus, iniuncta poenitentia salutari, et quando agatur de muneribus, quae valorem viginti scutatorum non excedant, imposita aliqua eleemosyna absolventis arbitrio taxanda et caute eroganda, cum primum poterit, in beneficium conventus vel religionis cui facienda esset restitutio, dummodo tamen non constet quod illa fuerint de bonis propriis religionis: quatenus vero accepta munera vel fuerint ultra valorem viginti scutatorum vel constet fuisse de bonis propriis religionis, facta prius restitutione, vel si statim fieri nequeat, praestita seria promissione restituendi infra terminum ab absolvente praefiniendum.

X. Dispensandi ad petendum debitum coniugale cum transgressore voti castitatis privatim emissi qui matrimonium cum dicto voto contraxerit, huiusmodi poenitentem monendo ipsum ad idem votum servandum teneri tam extra licitum matrimonii usum quam si marito vel uxori respective supervixerit.

XI. Dispensandi cum incestuoso seu incestuosa ad petendum debitum coniugale, cuius ius amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum consanguinea vel consanguineo sive in primo, sive in primo et secundo, sive in secundo gradu suae uxoris seu respective mariti; remota occasione pec-

candi, et iniuncta gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali singulis mensibus per tempus arbitrio dispensantis statuendum.

XII. Dispensandi super occulto impedimento primi, necnon primi et secundi, ac secundi tantum gradus affinitatis ex illicita copula provenientis, quando agitur de matrimonio cum dicto impedimento iam contracto, et quatenus agatur de copula cum suae putatae uxoris matre dummodo illa secuta fuerit post eiusdem putatae uxoris nativitatem et non aliter: monito poenitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata uxore vel suo putato marito, certiorato seu certiorata de nullitate prioris consensus, sed ita caute ut ipsius poenitentis delictum nusquam detegatur: et quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu iuxta regulas a probatis auctoribus traditas: remota occasione peccandi ac iniuncta gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali semel in mense per tempus dispensantis arbitrio statuendum.

Item dispensandi super dicto occulto impedimento, seu impedimentis affinitatis ex copula illicita etiam in matrimoniis contrahendis, dispensandique facultatem subdelegandi, etiam habitualiter parochis tuae dioecesis, quando tamen omnia parata sint ad nuptias, nec matrimonium usque dum ab Apostolica Sede obtineri possit dispensatio absque periculo gravis scandali differri queat; remota semper occasione peccandi, et firma manente conditione quod copula habita cum matre mulieris huius nativitatem non antecedat; iniuncta in quolibet casu poenitentia salutari.

XIII. Dispensandi super occulto criminis impedimento dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de matrimonio iam contracto; monitis putatis coniugibus de necessaria consensus secreta renovatione, et iniuncta gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali semel singulis mensibus per tempus dispensantis arbitrio statuendum.

Item dispensandi super eodem occulto impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, etiam in matrimoniis contrahendis, in casibus tamen urgentioribus in quibus tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem; iniuncta gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali semel singulis mensibus per tempus dispensantis arbitrio statuendum.

Mens autem nostra est 1° ut si forte ex oblivione vel inadvertentia ultra praedictum terminum his facultatibus te uti contingat, absolutiones seu dispensationes exinde impertitae ratae sint et validae; 2° ut iniunctio confessionis sacramentalis, de qua sub nn. XI,

XII et XIII non sit *irritativa* sed tantum *praeceptiva*; 3° ut his facultatibus non solum singillatim sed etiam cumulatim in uno eodemque casu uti possis.

Datum Romae ex aedibus nostris die ... (1)

IV.

(**Summ.**, P. I, Tr. III, *De Legibus,* § 184, *Not.* 5).

Emendatio textus Auctoris.

In *Nota* 5ª, § 184, Auctor de *declarationibus* pertractat quae verba legis explanant, easque, si verba legis obscura sint et inter D. D. controversa, scribit — egere *interpretatione.* — Atqui ex contextu patet apertissime, heic lapsum calami Auctori excidisse. Siquidem mens illi erat, adstruere, declarationes illas *publicatione*, seu melius, *promulgatione* egere : et is nonnisi ob meram inadvertentium, vocem *interpretatione*, voci *promulgatione* Suffecit. Non ergo legendum est in *Nota cit.* — egere *interpretatione*, — sed omnino legendum — egere *promulgatione.* — (Cfr. Wernz, *Ius Decretal.* Tom. I (Edit. 2ª) § 146, *not.* 72). Ceterum error hujusmodi, qui Auctori ipsi praeter mentem jam in tertia Editione exciderat, exscriptus iterum, iterumque fuit in quarta et quinta Editione *Summulae* ob obscitantiam Editorum. De hoc monere voluimus tum studiosum lectorem, tum futuros Editores Operis excellentissimi, ne rursus deinceps error in textu Auctoris *contra mentem ejusdem* ingeminetur.

V.

(**Summ.**, P. I, Tr. III, *De Legibus,* § 202).

De Legum Canonicarum promulgatione.

Hac de re S. P. Pius PP. X in Const. Apost. *Promulgandi*, III Kalendas Octobres 1908 ita statuit : « *Auctoritate* Nostra Apo« stolica, harum Litterarum vi, edicimus, ut, ineunte proximo « anno MDCCCCIX. Commentarium officiale de Apostolicae Sedis « actis edatur Vaticanis typis. Volumus autem Constitutiones pon-

(1) Adscribitur hic dies concessionis.

« tificias, leges, decreta, aliaque tum Romanorum pontificum tum « Sacrarum Congregationum et Officiorum Scita, in eo Commen- « tario de mandato Praelati a Secretis, aut majoris administri ejus « Congregationis vel Officii, a quo illa dimanent, inserta et in vul- « gus edita, *hac una, eâque unica, ratione legitime promulgata* « *haberi,* quoties promulgatione sit opus, nec aliter fuerit a Sancta « Sede provisum ». (Cfr. *Acta Apostolicae Sedis,* vol. I, pag. 5, seq.).

VI.

(**Summ.**, P. I, Tr. VI, *De Poenis et Censuris,* § 347).

Pagella S. Poenitentiariae, quae Sacerdotibus Confessariis, quoad casus R. Pontifici reservatos, concedi solet.

Tibi dilecto in Christo confessario ab Ordinario loci ad excipiendas fidelium utriusque sexus sacramentales confessiones legitime approbato infrascriptas concedimus facultates, quibus, non obstante Constitutione *Apostolicae Sedis*, pro foro conscentiae et in sacramentali confessione auctoritate apostolica uti valeas et non aliter; ita tamen ut illas nemini manifestes, nisi necessitas aut utilitas id exegerit:

I. Absolvendi ab excommunicatione Romano Pontifici simpliciter reservata ob manus violentas iniectas sive in clericos sive in regulares, in casibus tamen non deductis nec de facili ad forum Ordinarii deducendis; dummodo non sit secuta mors vel mutilatio seu lethale vulnus aut ossium fractio; et iniuncta congrua poenitentia salutari cum obligatione caute et competenter satisfaciendi parti laesae.

II. Absolvendi a censuris contra duellantes statutis, dummodo casus ad forum Ordinarii non fuerint deducti, iniuncta gravi poenitentia salutari et aliis iniunctis quae fuerint de iure iniungenda.

III. Absolvendi quoscumque poenitentes (exceptis haereticis publicis sive publice dogmatizantibus) a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis ob haereses tam nemine audiente vel advertente quam coram aliis externatas, ob infidelitatem et catholicae fidei abiurationem private admissas, sortilegia ac maleficia haereticalia etiam cum sociis patrata, necnon ob daemonis invocationem cum pacto donandi animam, idololatriam ac superstitiones haereticales exercitas, ac demum ob quaecumque insinuata falsa dogmata incursis,

postquam tamen poenitens complices, si quos in praemissis habeat. Ordinario loci vel sacrae Inquisitioni prout de iure denunciaverit: et quatenus ob iustas causas nequeat ante absolutionem denunciare, facta a poenitente seria promissione denunciationem peragendi cum primum et meliori modo quo iudicio tuo fieri poterit; et postquam in singulis casibus haereses coram te secrete abiuraverit et pactum cum maledicto daemone initum expresse revocaverit, traditis tibi ad comburendum syngrapha forsan exarata aliisque mediis superstitiosis, iniuncta pro modo excessuum gravi poenitentia salutari cum frequentia sacramentorum et obligatione se prudenti iudicio tuo retractandi apud personas coram quibus haereses manifestavit et reparandi illata scandala.

IV. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis incursis ob violationem clausurae regularium utriusque sexus, dummodo non fuerit commissa cum intentione ad malum finem, etiam effectu non secuto, nec casus fuerint ad forum Ordinarii deducti, iniuncta congrua poenitentia salutari. Et insuper absolvendi mulieres tantum a censuris et poenis ecclesiasticis ob violationem ad malum finem clausurae virorum religiosorum incursis, dummodo tamen casus occulti remaneant, iniuncta gravi poenitentia salutari cum prohibitione accedendi ad ecclesiam aut conventum seu coenobium dictorum religiosorum durante occasione peccandi.

V. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis ob retentionem et lectionem librorum prohibitorum incursis, iniuncta congrua poenitentia salutari, nec non firma obligatione tradendi Ordinario loci aut cui de iure sive per se sive per alium vel saltem comburendi seu destruendi absque ulla mora, et quantum fieri potest ante absolutionem, libros prohibitos, si quos poenitens in sua potestate retineat.

VI. Absolvendi a casu Sedi Apostolicae reservato ob accepta munera a regularibus utriusque sexus iniuncta poenitentia salutari, et quando agitur de muneribus quae valorem decem scutatorum non excedunt, imposita aliqua eleemosyna iudicio tuo taxanda et caute eroganda cum primum poterit in beneficium religionis aut conventus cui facienda esset restitutio; dummodo tamen non constet quod illa fuerint de bonis propriis religionis: quatenus vero accepta munera vel fuerint ultra valorem scutatorum decem vel constet fuisse de bonis propriis religionis, facta prius restitutione; quam si de praesenti poenitens adimplere nequeat, emissa seria promissione restituendi infra terminum tuo arbitrio praefiniendum: alias sub reincidentia.

VII. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos qui sectis vetitis massonicis, aut carbonariis, aut aliis eiusdem generis sectis nomen dederunt aut qualemcumque favorem praestiterunt, ita tamen ut a respectiva secta omnino se separent eamque abiurent, libros, manuscripta, ac signa sectam respicientia si quae retineant, in tuas manus tradant, ad Ordinarium quamprimum caute transmittenda, aut saltem, si iustae gravesque causae id postulent, comburenda: iniuncta pro modo culparum gravi poenitentia salutari cum frequentia sacramentalis confessionis, aliisque iniunctis de iure iniungendis: nec non absolvendi eos qui eiusmodi sectarum duces et coriphaeos occultos denunciare culpabiliter neglexerint, iniuncta pariter salutari poenitentia et firma obligatione sub reincidentia eosdem Ordinario loci vel aliis ad quos spectat prout de iure denunciandi.

VIII. Absolvendi religiosos cuiuscumque ordinis, dummodo apud te legitimam habuerint licentiam peragendi confessionem sacramentalem, nec non moniales, dummodo tamen pro ipsis fueris ab Ordinario approbatus vel deputatus, non solum a praemissis sed etiam a casibus et censuris in sua religione reservatis.

IX. Commutandi consideratis causis, omnia vota simplicia privatim emissa in alia poenitentiae seu pietatis opera; exceptis quinque votis Sedi Apostolicae reservatis, scilicet castitatis, religionis ac trium peregrinationum, nempe ad sacra ss. Apostolorum limina, ad s. Iacobum in Compostellis et ad Ierusalem, nec non votis poenalibus ad sese arcendum a peccatis et insuper voto non ludendi ac votis in quibus agitur de praeiudicio vel de iure tertii.

X. Dispensandi ad petendum debitum coniugalem cum transgressore voti castitatis privatim emissi qui matrimonium cum dicto voto contraxerit, monendo huiusmodi poenitentem ad id servandum teneri tam extra licitum usum matrimonii, quam si marito seu uxori respective supervixerit.

XI. Dispensandi cum incestuoso seu incestuosa ad petendum debitum coniugale, cuius ius amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum consanguinea vel consanguineo sive in primo, sive in primo et secundo, sive in secundo gradu suae uxoris seu respective mariti; remota occasione peccandi, et iniuncta gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali semel quolibet mense per tempus arbitrio tuo statuendum.

XII. Dispensandi super occultis impedimentis primi, necnon primi et secundi, ac secundi tantum gradus affinitatis provenientis ex illicita copula, quando agatur de matrimonio cum dicto impe-

dimento iam contracto ; ita tamen ut, si huiusmodi affinitas proveniat ex copula cum matre desponsatae, nativitas desponsatae copulam ipsam antecedat; monito poenitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata uxore vel suo putato marito, certiorato seu certiorata de nullitate prioris consensus, sed ita caute ut ipsius delictum nusquam detegatur ; et quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu iuxta regulas a probatis auctoribus traditas : remota occasione peccandi atque iniuncta poenitentia salutari et confessione sacramentali semel in mense, per tempus arbitrio tuo statuendum.

XIII. Dispensandi super impedimento occulto criminis dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de matrimonio iam contracto ; monitis putatis coniugibus de necessaria secreta renovatione consensus, ac iniuncta gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali semel quolibet mense per tempus arbitrio tuo statuendum.

XIV. Dispensandi super occulta irregularitate contracta ex violatione censurarum dumtaxat cum sacerdotibus vel sacris ordinibus constitutis tam saecularibus quam regularibus dummodo tamen ipsi regulares habeant ut supra legitimam licentiam peragendi apud te confessionem sacramentalem.

Volumus autem ut supradictis facultatibus uti valeas tantummodo per. . . . . a data praesentium computandum ; et abstineas absolvere a casibus reservatis locorum Ordinariis nisi facultatem ab eisdem obtinueris.

Mens vero nostra est : 1° ut si forte ex oblivione vel inadvertentia ultra praedictum terminum his facultatibus te uti contingat, absolutiones seu dispensationes exinde impertitae ratae sint et validae ; 2° ut iniunctio confessionis sacramentalis, de qua sub nn. XI, XII et XIII, non sit *irritativa* sed tantum *praeceptiva* ; 3° ut his facultatibus non solum singillatim sed etiam cumulatim in uno eodemque casu uti possis.

Datum Romae ex aedibus nostris die ...

VII.

(**Summ.**, P. I, Tr. VI, *De Poenis* etc., §§ 349-350).

De Facultate simplicis Confessarii absolvendi a casibus R. Pontificii reservatis, stante impedimento adeundi S. Sedem.

Brevitatis ergo hic exscribimus, quae cl. Bucceroni (*Inst. Th. Mor.* tom. II, n. 800, Edit. 5ª) de hoc argumento ex Decretis hactenus editis S. Congregationis Univ. Inquis. dilucide perstringit.

1. Post decreta S. O. 23 Iun. 1886, 17 Iun. 1891, 19 Aug. 1891, 30 Mart. 1892, 16 Iun. 1897; S. Poenit. 7 Nov. 1888 in casibus et censuris papalibus, sive simpliciter, sive *speciali modo* reservatis, per litteras recurrendum est ad S. Poenitentiariam, stante impossibilitate personaliter adeundi S. Sedem. Quivis tamen simplex confessarius *directe* absolvere ab iis potest, « in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat asque periculo gravis scandali vel infamiae, super quo confessariorum conscientia oneratur, injunctis de jure injungendis, et *sub poena reincidentiae* in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam *et per medium confessarii* absolutus recurrat ad S. Sedem » (1). Idque valet etiam pro casu, quo poenitens fuerit perpetuo impeditus Romam proficisci (2).

2. Ipse autem *poenitens* potest ad S. Poenit. scribere. Quare quando poenitens redire ad confessarium non possit, sufficit, ut possit absolvi, exigere ab eo scribendi ad S. Poenit. promissionem. S. Poenit. 7 Nov. 1888. Atque haec omnino obligant, et praxis contraria toleranda non est.

---

(1) Quod spectat ad facultatem simplicis Confessarii in casibus id genus dispensandi etiam ab irregularitate, in quam forte quis incidit ob papalium hujusmodi censurarum violationem, cfr. quae infra dicemus in Appendic. ad calcem voluminis hujus.

(2) Scite animadvertit cl. Bucceroni, decretum hoc praxi inniti S. Poenitentiariae, et ad Episcopales casus non spectare. Cum nullum prodierit circa eos novum Decretum, immota permanet antiqua doctrina, antiquo Decretalium iure innixa, usque dum aliud definiatur. Quare poenitens habens casus reservatos, si legitime impeditus sit *se sistere Superiori,* absolvi quidem ab alio poterit, sed, impedimento cessante, superiori debet se praesentare ejus mandata recepturus, et pro rei exigentia satisfacturus. *C. Nupèr* 29. De sentent. excommun., Cap. *Vos qui* 22 e Tit. in VI. Cfr. D'Annibale p. 1, § 349. Edit. 3ª.

3. Praeterea ad praedictos casus papales quod attinet, in casu, in quo nec infamia, nec scandalum est in absolutionis dilatione, sed durum valde est pro poenitente in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis, simplici confessario licet a censuris Summo Pontifici reservatis *directe* absolvere, injunctis de jure injungendis, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem. S. O. 16 Iun. 1897.

4. Verum « quando neque confessarius, neque poenitens epistolam ad S. Poenitentiariam mittere possunt, et durum sit poenitenti adire alium confessarium, in hoc casu licet confessario poenitentem absolvere etiam a casibus S. Sedi reservatis absque onere mittendi epistolam ». S. O. 9 Nov. 1898.

5. Animadvertendum, tamen est, Decr. 9 Nov. 1898 absolutionem complicis non comprehendi. S. O. 7 Iun. 1899. Hujusmodi enim poenitens certe ad S. Poenit. semper scribere poterit.

6. « Ut onus epistolam mittendi cesset, scribendi impedimentum adstringere non debet confessarium simul et poenitentem; sed sufficit, quod poenitens scribendi impar, eidem confessario, a quo vi Decreti 1886 et 1897 absolutus fuerit, se praesentare nequeat, et ipsi durum sit alium confessarium adire; licet confessarius absolvens pro poenitente epistolam ad S. Sedem mittere posset ». S. O. 5 Sept. 1900.

7. Insuper loco recursus immediati ad S. Sedem « sufficit in casu absolutionis, ut supra, concessae recursus ad Episcopum facultate absolvendi instructum, vel ad Vicarium generalem Episcopi, tanquam ad Ordinarium, facultatum Episcopalium absolvendi de jure participem ». S. O. 19 Dec. 1900. Hactenus cl. Bucceroni l. c., Subdit Emus Gennari (*Monit. Eccl.*, vol. 12, pag. 481 et seq.): « Questa concessione allarga la facoltà sui riservati che suol concedersi ai Vescovi ed ai Vicarii Generali. Per lo addietro questi, se poteano assolvere o delegare l'assoluzione su certi casi riservati alla S. Sede, non potevano dare i moniti salutari ai penitenti di già assoluti d'urgenza dai semplici confessori, pei quali si doveva senz'altro scrivere alla S. Penitenzieria. Ora nei casi predetti si può ricorrere al Vescovo, ovvero al Vicario generale, senz'obbligo di scrivere alla S. Sede. Quali sieno i casi riservati, in cui possono assolvere i Vescovi o i Vicarii generali, si raccoglie dalla pagella della S. Penitenzieria ». (V. sopra n. III, pagg. 11 e segg.).

VIII.

(**Summ.**, P. I, Tr. VI. *De Poenis* etc., § 391).

De Modernismo ac de censuris et poenis in eos qui praescripta adversus Modernistarum errores neglexerint.

1.

Decretum S. O. Fer. IV, 3 Iul. 1907, quo recentiores errores reprobantur.

Lamentabili sane exitu aetas nostra freni impatiens in rerum summis rationibus indagandis ita nova non raro sequitur ut, dimissa humani generis quasi haereditate, in errores incidat gravissimos. Qui errores longe erunt perniciosiores, si de disciplinis agitur sacris, si de Sacra Scriptura interpretanda, si de fidei praecipuis mysteriis. Dolendum autem vehementer inveniri etiam inter catholicos non ita paucos scriptores qui, praetergressi fines a patribus ac ab ipsa Sancta Ecclesia statutos, altioris intelligentiae specie et historicae considerationis nomine, eum dogmatum progressum quaerunt qui, reipsa, eorum corruptela est.

Ne vero huius generis errores, qui quotidie inter fideles sparguntur, in eorum animis radices figant ac fidei sinceritatem corrumpant, placuit SSmo D. N. Pio divina providentia Pp. X ut per hoc Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis officium ii, qui inter eos praecipui essent, notarentur et reprobarentur.

Quare, instituto diligentissimo examine, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, Emi ac Rmi Dni Cardinales, in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, propositiones quae sequuntur reprobandas ac proscribendas esse iudicarunt, prout hoc generali Decreto reprobantur ac proscribuntur:

1. Ecclesiastica lex, quae praescribit subiicere praeviae censurae libros Divinas respicientes Scripturas, ad cultores critices aut exegeseos scientificae librorum Veteris et Novi Testamenti non extenditur.

2. Ecclesiae interpretatio Sacrorum Librorum non est quidem spernenda, subiacet tamen accuratiori exegetarum iudicio et correctioni.

3. Ex iudiciis et censuris ecclesiasticis contra liberam et cultiorem exegesim latis colligi potest fidem ab Ecclesia propositam

contradicere historiae, et dogmata catholica cum verioribus christianae religionis originibus componi reipsa non posse.

4. Magisterium Ecclesiae ne per dogmaticas quidem definitiones genuinum Sacrarum Scripturarum sensum determinare potest.

5. Quum in deposito fidei veritates tantum revelatae contineantur, nullo sub respectu ad Ecclesiam pertinet iudicium ferre de assertionibus disciplinarum humanarum.

6. In definiendis veritatibus ita collaborant discens et docens Ecclesia, ut docenti Ecclesiae nihil supersit nisi communes discentis opinationes sancire.

7. Ecclesia, cum proscribit errores, nequit a fidelibus exigere ullum internum assensum, quo iudicia a se edita complectantur.

8. Ab omni culpa immunes existimandi sunt qui reprobationes a Sacra Congregatione Indicis aliisve Sacris Romanis Congregationibus latas nihili pendunt.

9. Nimiam simplicitatem aut ignorantiam prae se ferunt qui Deum credunt vere esse Scripturae Sacrae auctorem.

10. Inspiratio librorum Veteris Testamenti in eo constitit quod scriptores israelitae religiosas doctrinas sub peculiari quodam aspectu, gentibus parum noto aut ignoto, tradiderunt.

11. Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam Sacram extenditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat.

12. Exegeta, si velit utiliter studiis biblicis incumbere, in primis quamlibet praeconceptam opinionem de supernaturali origine Scripturae Sacrae seponere debet, eamque non aliter interpretari quam cetera documenta mere humana.

13. Parabolas evangelicas ipsimet Evangelistae ac christiani secundae et tertiae generationis artificiose digesserunt, atque ita rationem dederunt exigui fructus praedicationis Christi apud iudaeos.

14. In pluribus narrationibus, non tam quae vera sunt Evangelistae retulerunt, quam quae lectoribus, etsi falsa, censuerunt magis proficua.

15. Evangelia, usque ad definitum constitutumque canonem, continuis additionibus et correctionibus aucta fuerunt; in ipsis proinde doctrinae Christi non remansit nisi tenue et incertum vestigium.

16. Narrationes Ioannis non sunt proprie historia, sed mystica Evangelii contemplatio; sermones, in eius evangelio contenti, sunt meditationes theologicae circa mysterium salutis historica veritate destitutae.

17. Quartum Evangelium miracula exaggeravit, non tantum ut extraordinaria magis apparerent, sed etiam ut aptiora fierent ad significandum opus et gloriam Verbi Incarnati.

18. Ioannes sibi vindicat quidem rationem testis de Christo; re tamen vera non est nisi eximius testis vitae christianae, seu vitae Christi in Ecclesia, exeunte primo saeculo.

19. Heterodoxi exegetae fidelius expresserunt sensum verum Scripturarum quam exegetae catholici.

20. Revelatio nihil aliud esse potuit quam acquisita ab homine suae ad Deum relationis conscientia.

21. Revelatio, obiectum fidei catholicae constituens, non fuit cum Apostolis completa.

22. Dogmata quae Ecclesia perhibet tamquam revelata, non sunt veritates e coelo delapsae, sed sunt interpretatio quaedam factorum religiosorum, quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit.

23. Existere potest et reipsa existit oppositio inter facta quae in Sacra Scriptura narrantur eisque innixa Ecclesiae dogmata; ita ut criticus tamquam falsa reiicere possit facta quae Ecclesia tamquam certissima credit.

24. Reprobandus non est exegeta qui praemissas adstruit, ex quibus sequitur dogmata historice falsa aut dubia esse, dummodo dogmata ipsa directe non neget.

25. Assensus fidei ultimo innititur in congerie probabilitatum.

26. Dogmata fidei retinenda sunt tantummodo iuxta sensum practicum, idest tamquam norma praeceptiva agendi, non vero tamquam norma credendi.

27. Divinitas Iesu Christi ex Evangeliis non probatur; sed est dogma quod conscientia christiana e notione Messiae deduxit.

28. Iesus, quum ministerium suum exercebat, non in eum finem loquebatur ut doceret se esse Messiam, neque eius miracula eo spectabant ut id demonstraret.

29. Concedere licet Christum quem exhibet historia, multo inferiorem esse Christo qui est obiectum fidei.

30. In omnibus textibus evangelicis nomen *Filius Dei* aequivalet tantum nomini *Messias*, minime vero significat Christum esse verum et naturalem Dei Filium.

31. Doctrina de Christo quam tradunt Paulus, Ioannes et Concilia Nicaenum, Ephesinum, Chalcedonense, non est ea quam Iesus docuit, sed quam de Iesu concepit conscientia christiana.

32. Conciliari nequit sensus naturalis textuum evangelicorum cum eo quod nostri theologi docent de conscientia et scientia infallibili Iesu Christi.

33. Evidens est cuique qui praeconceptis non ducitur opinionibus, Iesum aut errorem de proximo messianico adventu fuisse professum, aut maiorem partem ipsius doctrinae in Evangeliis Synopticis contentae authenticitate carere.

34. Criticus nequit asserere Christo scientiam nullo circumscriptam limite nisi facta hypothesi, quae historice haud concipi potest quaeque sensui morali repugnat, nempe Christum uti hominem habuisse scientiam Dei et nihilominus noluisse notitiam tot rerum communicare cum discipulis ac posteritate.

35. Christus non semper habuit conscientiam suae dignitatis messianicae.

36. Resurrectio Salvatoris non est proprie factum ordinis historici, sed factum ordinis mere supernaturalis, nec demonstratum nec demonstrabile, quod conscientia christiana sensim ex aliis derivavit.

37. Fides in resurrectionem Christi ab initio fuit, non tam de facto ipso resurrectionis, quam de vita Christi immortali apud Deum.

38. Doctrina de morte piaculari Christi non est evangelica sed tantum paulina.

39. Opiniones de origine sacramentorum, quibus Patres Tridentini imbuti erant quaeque in eorum canones dogmaticos procul dubio influxum habuerunt, longe distant ab iis quae nunc penes historicos rei christianae indagatores merito obtinent.

40. Sacramenta ortum habuerunt ex eo quod Apostoli eorumque successores ideam aliquam et intentionem Christi, suadentibus et moventibus circumstantiis et eventibus, interpretati sunt.

41. Sacramenta eo tantum spectant ut in mentem hominis revocent praesentiam Creatoris semper beneficam.

42. Communitas christiana necessitatem baptismi induxit, adoptans illum tamquam ritum necessarium, eique professionis christianae obligationes adnectens.

43. Usus conferendi baptismum infantibus evolutio fuit disciplinaris, quae una ex causis extitit ut sacramentum resolveretur in duo, in baptismum scilicet et poenitentiam.

44. Nihil probat ritum sacramenti confirmationis usurpatum fuisse ab Apostolis: formalis autem distinctio duorum sacramentorum, baptismi scilicet et confirmationis, haud spectat ad historiam christianismi primitivi.

45. Non omnia, quae narrat Paulus de institutione Eucharistiae (I. Cor. XI, 23-25), historice sunt sumenda.

46. Non adfuit in primitiva Ecclesia conceptus de christiano peccatore auctoritate Ecclesiae reconciliato; sed Ecclesia nonnisi admodum lente huiusmodi conceptui assuevit. Imo etiam, postquam poenitentia tamquam Ecclesiae institutio agnita fuit, non appellabatur sacramenti nomine, eo quod haberetur uti sacramentum probrosum.

47. Verba Domini: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (Io. XX, 22 et 23) minime referuntur ad sacramentum poenitentiae, quidquid Patribus Tridentinis asserere placuit.

48. Iacobus in sua epistola (vv. 14 et 15) non intendit promulgare aliquod sacramentum Christi, sed commendare pium aliquem morem, et si in hoc more forte cernit medium aliquod gratiae, id non accipit eo rigore, quo acceperunt theologi qui notionem et numerum sacramentorum statuerunt.

49. Coena christiana paullatim indolem actionis liturgicae assumente, hi, qui Coenae praeesse consueverant, characterem sacerdotalem acquisiverunt.

50. Seniores, qui in christianorum coetibus invigilandi munere fungebantur, instituti sunt ab Apostolis presbyteri aut episcopi ad providendum necessariae crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad perpetuandam missionem et potestatem Apostolicam.

51. Matrimonium non potuit evadere sacramentum novae legis nisi serius in Ecclesia; siquidem ut matrimonium pro sacramento haberetur necesse erat ut praecederet plena doctrinae de gratia et sacramentis theologica explicatio.

52. Alienum fuit a mente Christi Ecclesiam constituere veluti societatem super terram per longam saeculorum seriem duraturam; quin imo in mente Christi regnum coeli una cum fine mundi iamiam adventurum erat.

53. Constitutio organica Ecclesiae non est immutabilis; sed societas christiana perpetuae evolutioni aeque ac societas humana est obnoxia.

54. Dogmata, sacramenta, hierarchia, tum quod ad notionem tum quod ad realitatem attinet, non sunt nisi intelligentiae christianae interpretationes evolutionesque quae exiguum germen in Evangelio latens externis incrementis auxerunt perfeceruntque.

55. Simon Petrus ne suspicatus quidem unquam est sibi a Christo demandatum esse primatum in Ecclesia.

56. Ecclesia Romana, non ex divinae providentiae ordinatione, sed ex mere politicis conditionibus caput omnium Ecclesiarum effecta est.

57. Ecclesia sese praebet scientiarum naturalium et theologicarum progressibus infensam.

58. Veritas non est immutabilis plusquam ipse homo, quippe quae cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur.

59. Christus determinatum doctrinae corpus omnibus temporibus cunctisque hominibus applicabile non docuit, sed potius inchoavit motum quemdam religiosum diversis temporibus ac locis adaptatum vel adaptandum.

60. Doctrina christiana in suis exordiis fuit iudaica, sed facta est per successivas evolutiones primum paulina, tum ioannica, demum hellenica et universalis.

61. Dici potest absque paradoxo nullum Scripturae caput, a primo Genesis ad postremum Apocalypsis, continere doctrinam prorsus identicam illi quam super eadem re tradit Ecclesia, et idcirco nullum Scripturae caput habere eumdem sensum pro critico ac pro theologo.

62. Praecipui articuli Symboli Apostolici non eamdem pro christianis primorum temporum significationem habebant quam habent pro christianis nostri temporis.

63. Ecclesia sese praebet imparem ethicae evangelicae efficaciter tuendae, quia obstinate adhaeret immutabilibus doctrinis quae cum odiernis progressibus componi nequeunt.

64. Progressus scientiarum postulat ut reformentur conceptus doctrinae christianae de Deo, de Creatione, de Revelatione, de Persona Verbi Incarnati, de Redemptione.

65. Catholicismus hodiernus cum vera scientia componi nequit, nisi transformetur in quemdam christianismum non dogmaticum, id est in protestantismum latum et liberalem.

Sequenti vero feria V die 4 eiusdem mensis et anni, facta de his omnibus SSmo D. N. Pio Pp. X accurata relatione, Sanctitas Sua decretum Emorum Patrum adprobavit et confirmavit, ac omnes et singulas supra recensitas propositiones ceu reprobatas ac proscriptas ab omnibus haberi mandavit.

Petrus Palombelli, S. R. U. I. Notarius.

2.

Ex Instructione S. Congr. Un. Inquisit. ad Ordinarios et Superiores religiosos super decr. eiusdem S. Congr. contra errores « Modernistarum ».

...Memores igitur imprimis sint ad quos pertinet, necessarium esse ut sive in Seminariis clericorum saecularium et studiorum domibus Religiosorum, sive in Universitatibus, Lyceis, Gymnasiis aliisve educationis collegiis vel institutis, a iuvenum institutione omnino removeantur moderatores atque magistri qui damnatis erroribus infecti cognoscuntur, vel eorum suspecti merito habentur.

Necessarium pariter erit interdicere, praesertim Seminariorum alumnis ac universim viris ecclesiasticis, ne nomen dent libellis periodicis, quibus neoterici errores sive aperte propugnantur sive latenter insinuantur, neque quidquam in eis publici iuris faciant. A qua regula non deflectant, etsi aliquando gravis ratio aliud suadere videantur, nisi de consensu Ordinarii.

Consultum postremo erit sacram ordinationem differre vel etiam prorsus denegare iis qui, quod Deus avertat, neotericis erroribus imbuti essent, quos non ex animo reprobarent atque reiicerent.

His autem pro zelo, quo erga gregem sibi creditum animantur Ordinarii, illa adiicere non omittant consilia ac remedia quae pro ratione locorum et circumstantiarum opportuna iudicaverint ad zizania penitus ex agro Domini evellenda.

Datum Romae ex Aedibus S. O., die 28 augusti 1907.

S. Card. Vannutelli.

3.

Ex Litteris Encyclicis Pii PP. X

« Pascendi Dominici gregis » 8 sept. 1907.

Modernismi universi reprobatio: « ...Iam systema universum uno quasi obtutu respicientes, nemo mirabitur si sic illud definimus, ut omnium haereseon conlectum esse affirmemus. Certe si quis hoc sibi proposuisset, omnium quotquot fuerunt circa fidem errores succum veluti ac sanguinem in unum conferre; rem numquam plenius perfecisset, quam modernistae perfecerunt. Immo vero tanto hi ulterius progressi sunt, ut, non modo catholicam religionem, sed omnem penitus, quod jam innuimus, religionem deluerint ».

Summi Pontificis mandata : « ... Huic tantorum errorum agmini clam aperteque invadenti Leo XIII decessor Noster fel. rec., praesertim in re biblica occurrere fortiter dicto actuque conatus est. Sed modernistae, ut iam vidimus, non his facile terrentur armis: observantiam demissionemque animi affectantes summam, verba Pontificis Maximi in suas partes detorserunt, actus in alios quoslibet transtulere. Sic malum robustius in dies factum. Quamobrem, Venerabiles Fratres, moras diutius non interponere decretum est, atque efficaciora moliri. — Vos tamen oramus et obsecramus, ne in re tam gravi vigilantiam, diligentiam, fortitudinem vestram desiderari vel minimum patiamini. Quod vero a vobis petimus et expectamus, idipsum et petimus aeque et expectamus a ceteris animarum pastoribus, ab educatoribus et magistris sacrae iuventutis, imprimis autem a summis religiosarum familiarum magistris ».

I. Primo igitur ad studia quod attinet, volumus probeque mandamus ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur. — Utique, *si quid a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum ; si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile ; id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi* (1). Quod rei caput est, philosophiam scholasticam quum sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus, quae a sancto Thoma Aquinate est tradita: de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et qua sit opus instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit, si cubi in Seminariis neglecta haec fuerint, ea ut in posterum custodiantur urgere atque exigere. Eadem religiosorum Ordinum moderatoribus praecipimus. Magistros autem monemus ut rite hoc teneant, Aquinatem deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse.

Hoc ita posito philosophiae fundamento, theologicum aedificium extruatur diligentissime. — Teologiae studium, Venerabiles Fratres, quanta potestis ope provehite, ut clerici e seminariis egredientes praeclara illius existimatione magnoque amore imbuantur, illudque semper pro deliciis habeant. Nam *in magna et multiplici disciplinarum copia quae menti veritatis cupidae obiicitur, neminem latet sacram Theologiam ita principem sibi locum vindicare, ut vetus sapientium effatum sit, ceteris scientiis et artibus officium*

(1) Leo XIII, Enc. « *Aeterni Patris* ».

incumbere, ut ei inserviant ac velut ancillarum more famulentur (1). — Addimus heic, eos etiam Nobis laude dignos videri, qui, incolumi reverentia erga Traditionem et Patres et ecclesiasticum magisterium, sapienti iudicio catholicisque usi normis (quod non aeque omnibus accidit) theologiam positivam, mutuato a veri nominis historia lumine, collustrare studeant. Maior profecto quam antehac positivae theologiae ratio est habenda: id tamen sic fiat, ut nihil scholastica detrimenti capiat, iique reprehendantur, utpote qui modernistarum rem gerunt, quicumque positivam sic extollunt ut scholasticam theologiam despicere videantur.

De profanis vero disciplinis satis sit revocare quae Decessor Noster sapientissime dixit (2): *In rerum naturalium consideratione strenue adlaboretis: quo in genere nostrorum temporum ingeniosa inventa et utiliter ausa, sicut iure admirantur aequales, sic posteri perpetua commendatione et laude celebrabunt.* Id tamen nullo sacrorum studiorum damno; quod idem Decessor Noster gravissimis hisce verbis prosequutus monuit (3): *Quorum causam errorum, si quis diligentius investigaverit, in eo potissimum sitam esse intelliget, quod nostris hisce temporibus, quanto rerum naturalium studia vehementius fervent, tanto magis severiores altioresque disciplinae defloruerint: quaedam enim fere in oblivione hominum conticescunt; quaedam remisse leviterque tractantur, et quod indignum est, splendore pristinae dignitatis deleto, pravitate sententiarum et immanibus opinionum portentis inficiuntur.* Ad hanc igitur legem naturalium disciplinarum studia in sacris seminariis temperari praecipimus.

II. His omnibus praeceptionibus tum Nostris tum Decessoris Nostri oculos adiici oportet, quum de Seminariorum vel Universitatum catholicarum moderatoribus et magistris eligendis agendum erit. Quicumque modo quopiam modernismo imbuti fuerint, is, nullo habito rei cuiusvis respectu, tum a regundi tum a docendi munere arceantur; eo si iam funguntur, removeantur; item qui modernismo clam aperteve favent, aut modernistas laudando eorumque culpam excusando, aut Scholasticam et Patres et Magisterium ecclesiasticum carpendo, aut ecclesiasticae potestati, in quocumque ea demum sit, obedientiam detrectando: item qui in historica re, vel archeologica, vel biblica nova student; ite qui sacras negligunt

(1) Leo XIII, Litt. ap. «*In magna*», 10 dec. 1889.
(2) Alloc. 7 martii 1880.
(3) Loc. cit.

disciplinas, aut profana anteponere videntur. — Hoc in negotio, Venerabiles Fratres, praesertim in magistrorum delectu, nimia nunquam erit animadversio et constantia; ad doctorum enim exemplum plerumque componuntur discipuli. Quare, officii conscientia freti, prudenter hac in re at fortiter agitote.

Pari vigilantia et severitate ii sunt cognoscendi ac diligendi, qui sacri initiari postulent. Procul, procul esto a sacro ordine novitatum amor; superbos et contumaces animos odit Deus! — Theologiae ac Iuris canonici laurea nullus in posterum donetur, qui statum curriculum in scholastica philosophia antea non elaboraverit. Quod si donetur, inaniter donatus esto. — Quae de celebrandis Universitatibus Sacrum Consilium Episcoporum et Religiosorum negotiis praepositum clericis Italiae tum saecularibus tum regularibus praecepit anno MDCCCXCVI; ea ad nationes omnes posthac pertinere decernimus. — Clerici et sacerdotes qui catholicae cuipiam Universitati vel Instituto item catholico nomen dederint disciplinas, de quibus magisteria in his fuerint, in civili Universitate ne ediscant. Sicubi id permissum, in posterum ut ne fiat edicimus. — Episcopi, qui huiusmodi Universitatibus vel Institutis moderandis praesunt, curent diligentissime ut quae hactenus imperavimus, constanter serventur.

III. Episcoporum pariter officium est modernistarum scripta quaeve modernismum olent provehuntque, si in lucem edita ne legantur cavere, si nondum edita prohibere ne edantur. Item libri omnes, ephemerides, commentaria quaevis huius generis neve adolescentibus in Seminariis neve auditoribus in Universitatibus permittantur; non enim minus haec nocitura, quam quae contra mores conscripta; immo etiam magis, quod christianae vitae initia vitiant. — Nec secus indicandum de quorumdam catholicorum scriptionibus, hominum ceteroqui non malae mentis, sed qui theologicae disciplinae expertes ac recentiori philosophia imbuti, hanc cum fide componere nituntur et ad fidei, ut inquiunt, utilitates transferre. Hae, quia nullo metu versantur ob auctorum nomen bonamque existimationem, plus periculi afferunt ut sensim ad modernismum quis vergat.

Generatim vero, Venerabiles Fratres, ut in re tam gravi praecipiamus, quicumque in vestra uniuscuiusque dioecesi prostant libri ad legendum perniciosi, ii ut exulent fortiter contendite, solemni etiam interdictione usi. Etsi enim Apostolica Sedes huiusmodi scripta e medio tollenda omnem operam impendat; adeo tamen iam numero crevere, ut vix notandis omnibus pares sint vires. Ex quo

fit, ut serius quandoque paretur medicina, quum per longiores moras malum invaluit. Volumus igitur ut sacrorum Antistites, omni metu abiecto, prudentia carnis deposita, malorum clamoribus posthabitis, suaviter quidem sed constanter suas quisque partes suscipiant; memores quae Leo XIII in Constitutione apostolica *Officiorum* praescribebat: *Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros aliaque scripta noxia in sua dioecesi edita vel diffusa proscribere et e manibus fidelium auferre studeant.* Ius quidem his verbis tribuitur sed etiam officium mandatur. Nec quispiam hoc munus officii implevisse, autumet, si unum alterumve librum ad Nos detulerit, dum alii bene multi dividi passim ac pervulgari sinuntur. — Nihil autem vos teneat, Venerabiles Fratres, quod forte libri alicuius auctor ea sit alibi facultate donatus, quam vulgo *Imprimatur* appellant; tum quia simulata esse possit, tum quia vel negligentius data vel benignitate nimia nimiave fiducia de auctore concepta, quod postremum in Religiosorum forte ordinibus aliquando evenit. Accedit quod, sicut non idem omnibus convenit cibus, ita libri qui altero in loco sint adiaphori, nocentes in altero ob rerum complexus esse queunt. Si igitur Episcopus, audita prudentum sententia, horum etiam librorum aliquem in sua dioecesi notandum censuerit, potestatem ultro facimus immo et officium mandamus. Res utique decenter fiat, prohibitionem, si sufficiat, ad clerum unum coërcendo; integro tamen bibliopolarum catholicorum officio libros ab Episcopo notatos minime venales habendi. — Et quoniam de his sermo incidit, vigilent Episcopi ne, lucri cupiditate, malam librarii mercentur mercem; certe in aliquorum indicibus modernistarum libri abunde nec parva cum laude proponuntur. Eos, si obedientiam detrectent, Episcopi, monitione praemissa, bibliopolarum catholicorum titulo privare ne dubitent, item potioreque iure si episcopales audiant; qui vero pontificio titulo ornantur, eos ad Sedem Apostolicam deferant. — Universis demum in memoria revocamus, quae memorata apostolica Constitutio *Officiorum* habet, articulo XXVI: *Omnes, qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeant ideo legere et retinere libros quoslibet aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi ac retinendi libros a quibuscumque damnatos.*

IV. Nec tamen pravorum librorum satis est lectionem impedire ac venditionem; editionem etiam prohiberi oportet. Ideo edendi facultatem Episcopi severitate summa impertiant. — Quoniam vero

magno numero ea sunt ex constitutione *Officiorum,* quae Ordinarii permissionem ut edantur postulent, nec ipse per se Episcopus praecognoscere universa potest; in quibusdam dioecesibus ad cognitionem faciendam censores ex officio sufficienti numero destinantur. Huiusmodi censorum institutum laudamus quam maxime: illudque ut ad omnes dioeceses propagetur non hortamur modo sed omnino praescribimus. In universis igitur curiis episcopalibus censores ex officio adsint, qui edenda cognoscant: hi autem e gemino clero eligantur, aetate, eruditione, prudentia commendati, quique in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant. Ad illos scriptorum cognitio deferatur, quae ex articulis XLI et XLII memoratae Constitutionis venia ut edantur indigent. Censor sententiam scripto dabit. Ea si faverit, Episcopus potestatem edendi faciet per verbum *Imprimatur,* cui tamen praeponetur formula *Nihil obstat,* adscripto censoris nomine. — In Curia romana, non secus ac in ceteris omnibus, censores ex officio instituantur. Eos, audito prius Cardinali in Urbe Pontificis Vicario, tum vero annuente ac probante ipso Pontifice Maximo, Magister sacri Palatii apostolici designabit. Huius erit ad scripta singula cognoscenda censorem destinare. Editionis facultas ab eodem Magistro dabitur nec nona Cardinali Vicario Pontificis vel Antistite eius vices gerente, praemissa a censore, prout supra diximus, approbationis formula, adiectoque ipsius censoris nomine. — Extraordinariis tantum in adiunctis ac per quam raro, prudenti Episcopi arbitrio censoris mentio intermitti poterit. — Auctoribus censoris nomen patebit numquam, antequam hic faventem sententiam ediderit; ne quid molestiae censori exhibeatur vel dum scripta cognoscit, vel si editionem non probarit. — Censores e religiosorum familiis nunquam eligantur, nisi prius moderatoris provinciae vel, si de Urbe agatur, moderatoris generalis secreto sententia audiatur: is autem de eligendi moribus, scientia et doctrinae integritate pro officii conscientia testabitur. — Religiosorum moderatores de gravissimo officio monemus numquam sinendi aliquid a suis subditis typis edi, nisi prius ipsorum et Ordinarii facultas intercesserit. — Postremum edicimus et declaramus, censoris titulum, quo quis ornatur, nihil valere prorsus nec unquam posse afferri ad privatas eiusdem opiniones firmandas.

His universe dictis, nominatim servari diligentius praecipimus, quae articulo XLII Constitutionis *Officiorum* in haec verba edicuntur: *Viri e clero saeculari prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda susci-*

piant. Qua si qui venia perniciose utantur, ea, moniti primum, priventur. — Ad sacerdotes quod attinet, qui *correspondentium* vel *collaboratorum* nomine vulgo veniunt, quoniam frequentius evenit eos in ephemeridibus vel commentariis scripta edere modernismi labe infecta; videant Episcopi ne quid hi peccent, si peccarint moneant atque a scribendo prohibeant. Idipsum religiosorum moderatores ut praestent gravissime admonemus: qui si negligentius agant, Ordinarii auctoritate Pontificis Maximi provideant. — Ephemerides et commentaria, quae a catholicis scribuntur, quoad fieri possit, censorem designatum habeant. Huius officium erit folia singula vel libellos, postquam sint edita, opportune perlegere: si quid dictum periculose fuerit, id quamprimum corrigendum iniungat. Eadem porro Episcopis facultas esto, etsi censor forte faverit.

V. Congressus publicosque coetus, iam supra memoravimus, utpote in quibus suas modernistae opiniones tueri palam ac propagare student. — Sacerdotum conventus Episcopi in posterum haberi ne siverint, nisi rarissime. Quod si siverint, ea tantum lege sinent, ut nulla fiat rerum tractatio, quae ad Episcopos Sedemve Apostolicam pertinet; ut nihil proponatur vel postuletur, quod sacrae potestatis occupationem inferat; ut quidquid modernismum sapit, quidquid presbyterianismum vel laicismum, de eo penitus sermo conticescat. — Coetibus eiusmodi, quos singulatim, scripto, aptaque tempestate permitti oportet, nullus ex alia dioecesi sacerdos intersit, nisi litteris sui Episcopi commendatus. — Omnibus autem sacerdotibus animo ne excidant, quae Leo XIII gravissime commendavit (1): *Sancta sit apud sacerdotes Antistitum suorum auctoritas; pro certo habeant sacerdotale munus, nisi sub magisterio Episcoporum exerceatur, neque sanctum, nec satis utile, neque honestum futurum.*

VI. Sed enim, Venerabiles Fratres, quid iuverit iussa a Nobis praeceptionesque dari, si non haec rite firmiterque serventur? Id ut feliciter pro votis cedat, visum est ad universas dioeceses proferre, quod Umbrorum Episcopi (2) ante annos plures, pro suis prudentissime decreverunt. *Ad errores*, sic illi, *iam diffusos expellendos atque ad impediendum quominus ulterius divulgentur, aut adhuc extent impietatis magistri per quos perniciosi perpetuentur effectus, qui ex illa divulgatione manarunt; sacer Conventus sancti Caroli Borromaei vestigiis inhaerens, institui in unaquaque dioecesi de-*

(1) Litt. Enc. *Nobilissima Gallorum*, 10 febr., 1884.

(2) Act. Consess. Epp. Umbriae, Novembri 1849, Tit. II, art. 6.

cernit probatorum utriusque cleri consilium, cuius sit pervigilare an et quibus artibus novi errores serpant aut disseminentur atque Episcopum de hisce docere, ut collatis consiliis remedia capiat, quibus id mali ipso suo initio extingui possit, ne ad animarum perniciem magis magisque diffundatur, vel quod peius est in dies confirmetur et crescat. — Tale igitur Consilium, quod *a vigilantia* dici placet, in singulis dioecesibus institui quamprimum decernimus. Viri, qui in illud adsciscantur, eo fere modo cooptabuntur, quo supra de censoribus statuimus. Altero quoque mense statoque die cum Episcopo convenient: quae tractarint, decreverint, ea arcani lege custodiunto. — Officii munere haec sibi demandata habeant. Modernismi indicia ac vestigia tam in libris quam in magisteriis pervestigent vigilanter; pro cleri iuventaeque incolumitate, prudenter sed prompte et efficaciter praescribant. — Vocum novitatem caveant memineruntque Leonis XIII monita (1): *Probari non posse in catholicorum scriptis eam dicendi rationem quae, pravae novitati studens, pietatem fidelium ridere videatur loquaturque novum christianae vitae ordinem, novas Ecclesiae praeceptiones, nova moderni animi desideria, novam socialem cleri vocationem, novam christianam humanitatem, aliaque id genus multa.* Haec in libris praelectionibusque ne patiantur. — Libros ne negligant, in quibus piae cuiusque loci traditiones aut sacrae Reliquiae tractantur. Neu sinant eiusmodi quaestiones agitari in ephemeridibus vel in commentariis fovendae pietati destinatis, nec verbis ludibrium aut despectum sapientibus, nec stabilibus sententiis, praesertim, ut fere accidit, si quae affirmatur probabilitatis fines non excedunt vel praeiudicatis nituntur opinionibus. — De sacris Reliquiis haec teneantur. Si Episcopi, qui uni in hac re possunt, certo norint Reliquiam esse subditiciam, fidelium cultu removeant. Si Reliquiae cuiuspiam auctoritates, ob civiles forte perturbationes vel alio quovis casu, interierint: ne publice ea proponatur nisi rite ab Episcopo recognita. Praescriptionis argumentum vel fundatae praesumptionis tunc tantum valebit, si cultus antiquitate commendetur; nimirum pro decreto, anno MDCCCXCVI a sacro Consilio indulgentiis sacrisque Reliquiis cognoscendis edito, quo edicitur: *Reliquias antiquas conservandas esse in ea veneratione in qua hactenus fuerunt, nisi in casu particulari certa adsint argumenta eas falsas vel suppositicias esse.* — Quum autem de piis traditionibus iudicium fuerit, illud neminisse oportet: Ecclesiam tanta in ac re uti prudentia, ut traditiones eiusmodi ne scripto

(1) Instruct. S. C. NN. EE. EE. 27 ian. 1902.

narrari permittat nisi cautione multa adhibita praemissaque declaratione ab Urbano VIII sancita: quod etsi rite fiat, non tamen facti veritatem adserit, sed, nisi humana ad credendum argumenta desint, credi modo non prohibet. Sic plane sacrum Consilium legitimis ritibus tuendis, abhinc annis xxx, edicebat (1): *Eiusmodi apparitiones seu revelationes neque approbatas neque damnatas ab Apostolica Sede fuisse, sed tantum permissas tamquam pie credendas fide solum humana, iuxta traditionem quam ferunt, idoneis etiam testimoniis ac monumentis confirmatam.* Hoc qui teneat, metu omni vacabit. Nam Apparitionis cuiusvis religio, prout factum ipsum spectat et *relativa* dicitur, conditionem semper habet implicitam de veritate facti: prout vero *absoluta* est, semper in veritate nititur, fertur enim in personas ipsas sanctorum qui honorantur. Similiter de Reliquiis affirmandum. — Illud demum Consilio *vigilantiae* demandamus, ut ad socialia instituta itemque ad scripta quaevis de re sociali assidue ac diligenter adiiciant oculos, ne quid in illis modernismi lateat, sed Romanorum Pontificum praeceptionibus respondeant.

VII. Haec quae praecepimus ne forte oblivioni dentur, volumus et mandamus ut singularum dioecesum Episcopi, anno exacto ab editione praesentium litterarum, postea vero tertio quoque anno, diligenti ac iurata enarratione referant ad Sedem Apostolicam de his quae hac Nostra Epistola decernuntur, itemque de doctrinis quae in clero vigent, praesertim autem in Seminariis ceterisque catholicis Institutis, iis non exceptis quae Ordinarii auctoritati non subsunt. Idipsum Moderatoribus generalibus ordinum religiosorum pro suis alumnis iniungimus.....

4.

Ex motu proprio Pii PP. X.
« Praestantia Scripturae Sacrae », 18 Nov. 1907.

« ..... Ad haec audentiores quotidie spiritus complurium modernistarum repressuri, qui sophismatis artificiisque omne genus vim efficacitatemque nituntur adimere non Decreto solum *Lamentabili sane exitu*, quod v. nonas Iulias anni vertentis S. R. et U. Inquisitio, Nobis iubentibus, edidit, verum etiam Litteris Encyclicis Nostris *Pascendi Dominici gregis*, datis die VIII mensis Septembris

(1) Decr. 2 maii 1877.

istius eiusdem anni, Auctoritate Nostra Apostolica iteramus confirmamusque tum *Decretum* illud Congregationis Sacrae Supremae, tum *Litteras* eas Nostras *Encyclicas*, addita *excommunicationis* poena adversus contradictores; illudque declaramus ac decernimus, si quis, quod Deus avertat, eo audaciae progrediatur, ut quamlibet e propositionibus, opinionibus doctrinisque in alterutro documento, quod supra diximus, improbatis tueatur, censura ipso facto plecti Capite *Docentes* Constitutionis *Apostolicae Sedis* irrogata quae prima est in excommunicationibus latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatis. Haec autem excommunicatio salvis poenis est intelligenda, in quas, qui contra memorata documenta quidpiam commiserint, possint, uti propagatores defensoresque haeresum, incurrere, si quando eorum propositiones, opiniones, doctrinaeve haereticae sint, quod quidem de utriusque illius documenti adversariis plus semel usuvenit, tum vero maxime quum modernistarum errores, id est *omnium haereseos collectum*, propugnant ..... ».

IX.

(**Samm.**, P. I, Tr. VI, *De poenis* etc., § 390, XI).

Dubia et resolutiones
circa praesentes conditiones Ecclesiae in Gallia.

« 1. *Q.* Quomodo procedendum cum mandatario civilis potestatis ad bona ecclesiastica sequestranda adveniente?

R. Parochi, vicarii superiores ecclesiastici passive se habeant, absque ulla cooperatione in huiusmodi bonorum sequestratione. Quoad vero praesides, thesaurarios, aliosque bonis ecclesiasticis rite administrandis et fideliter custodiendis adlectos, Ordinarius, si attentis peculiaribus adiunctis, iudicaverit ipsos gravia habituros damna ex clavium denegatione, poterit, re pro conscientia et coram Deo perspecta, tolerare ut ipsi praemissa contra violentiam sibi illatam protestatione explicita, claves in propriis locis delinquant, quin ulterius opem conferant, aut quodpiam peractae spoliationis istrumentum subscribant.

2. *Q.* An liceat Gubernii officialibus acceptare munus administratoris sequestri, uti dicunt, si recusare nequeant absque periculo amittendi officium, propriae substentationi et familiae necessarium, aut aliud grave damnum sustinendi?

R. Dummodo revera grave huiusmodi hominibus instet damnum, et admiratio fidelium amoveatur, (quod quomodo faciendum sit Ordinarii erit definire) tolerari posse.

3. *Q.* An possint parochi aliive sacerdotes aut viri catholici, intuitu maioris mali praecavendi, eiusdem administratoris-sequestri quamdam acceptare delegationem seu commissionem?

R. Nullatenus posse.

4. *Q.* Utrum locatarius bonorum ecclesiasticorum a praefato administratore, vi legis iniquae ereptorum, pretium locationis huic administratori solvere possit?

R. Negative, nisi contractus locationis absque gravi damno ipsius locatarii rescindi nequeat.

5. *Q.* Utrum liceat piarum fundationum reditus, si ab administratore exsolvantur, acceptare?

R. Affirmative.

6. *Q.* Quid de missis fundatis aliisque piis fundationibus, si capitalia seu fundus, vi legis iniquae, subripiantur?

R. Onus missarum aliarumque fundationum iis strictim incumbere, qui fondum eripuerunt aut detinent.

7. *Q.* Utrum bona ecclesiastica, puta ecclesiae, aedes presbyterales, et episcopales, seminaria, etc., vi legis iniquae municipiis, etc., devoluta aut administratoribus civilibus commissa, in locationem accipi possint?

R. Non posse, nisi in casibus verae necessitatis praemissa tamen ex parte parochi vel Episcopi, protestatione de nullitate peractae spoliationis ac de permanentibus ecclesiae iuribus: ex parte vero municipiorum vel administratorum declaratione, qua constet ipsos nullatenus intendere praefata iura negare, nec ullo modo sacri ministerii libertatem imminuere velle; prius habito toties quoties Ordinarii dioecesani consensu.

8. *Q.* Utrum viri ecclesiastici, servitio militari vi legis iniquae rursus obnoxii, vix ac ad arma vocati fuerit, recursum ad supremum Status Consilium contra iniquam convocationem porrigere possint?

R. Posse ac debere, in protestationem contra illegitimam huiusmodi convocationem.

9. *Q.* Utrum iidem possint responso supremi Consilii nondum accepto, ne poenis contra renitentes intimatis subiaceant, militari convocationi obtemperare?

R. Posse obtemperare.

10. *Q.* Utrum parochus, si forte contingat in sua paroecia cultualem associationem ad normam iniquae legis efformari, ecclesiam suam dereliquere debeat ?

R. Parochum omnino teneri in ecclesia sua cultum prosequi et in aedibus parochialibus perstare, usquedum violenter eiiciatur.

11. *Q.* Quid si dicta associatio schismatica nefarium forte invenerit sacerdotem, qui in ecclesia, de mandato associationis, officia divina celebret ?

R. Parochum legittimum, praemissa protestatione et admonito populo ne cultui schismatico participet, ecclesiam suam statim derelinquere debere ». Ex Secret. Status, *Acta S. Sed.*, V. 40, p. 255.

« 1. Utrum civitatis Consiliarii eorumque Maior, qui bonum quoddam certo religiosum, non in proprios sed in communes urbis usus, acquisiverunt, certo subiaceant excommunicationi latae a Concilio Tridentino *(sess. XXII, cap. 11, de Reform.)* et confirmatae a Constitutione *Apostolicae Sedis* (IV, alin. *Praeter hos...*) ?

3. Utrum, ante omnem declaratoriam Ordinarii sententiam, iidem Consiliarii eorumque Maior, publico suo emptionis voto, et hoc unico voto, publici saltem peccatores constituti sint, et tanquam publici peccatores, opportunitate data, tractandi, v. g. quoad ecclesiasticam sepolturam ?

4. Quomodo practice agendum, in sacro Tribunali cum Maiore vel Consiliario, qui pertinaciter contendit se ullatenus nec voluisse nec potuisse congregationi religiosae damnum inferre, si quidem emerit civitas vel non emerit, bona fuissent dissipata, simul vero contendit se unice fuisse de civitatis necessitate aut utilitate sollicitum ?

R. Ad 1. Negative. — Ad 3. Negative. — Ad 4. Confessarius de huiusmodi actu poenitentis iudicet, attenta quoque eiusdem conscientia ; moneat tamen eum, in posterum, in similibus casibus, ipsum indigere facultate S. Sedis, quam, si opus est, humiliter petat ». S. Poenit., 3 Ian. 1906.

« Si, postquam civitas bonum certo religiosum in publicos usus emit, istud idem sive totum sive per partes vendibile proponit, utrum novi emptores, qui iam in proprios usus id acquirunt, excommunicationi supra dictae subiaceant ?

R. Ii qui bona ecclesiastica usurpata emunt, et in proprios usus convertunt, excommunicationem Tridentinam incurrunt, ut iam declaravit Cong. S. Off. ». S. Poenit., 7 Mart. 1906.

« Cum civitatis alicuius Consiliarii, publicis suis votis, spoliatae

cuiusdam Congregationis religiosae conventum et bona in publicos usus emenda decreverunt, cumque illorum Maior actu authentico emptionem postea pactus est, utrum iidem Consiliarii eorumque Maior, ob illatam praedictae Congregationi iniuriam, ad restituendum personaliter teneantur ?

R. Attentis omnibus, quae ad rem spectant, non constare de obligatione ». S. Poenit., 9 Maii 1906.

« Quum civitas, quae bonum ecclesiasticum usurpatum in publicos usus emit, istud idem sive per totum, sive per partes, vendibile proponit, utrum novi emptores, qui iam in proprios usus id acquirunt, ad restitutionem teneantur, ob illatam Congregationi spoliatae iniuriam ? — Ac quid, quantum, quomodo restituendum?

R. Teneri huiusmodi emptores ratione rei acceptae, ad restitutionem Congregationi vel saltem Ecclesiae.

Restitutionem vero fieri posse per compositionem, ad quam ab Ordinario admitti poterunt, iuxta facultates eidem a Sacra Poenitentiaria ad triennium concessas in adnexo folio typis impresso ». S. Poenit., 7 Iun 1906.

« 1. Utrum excommunicationi subiaceat qui libere accepit munus alicuius communitatis religiosae, secundum novam gallicam legem, expediendi, vulgo *liquidateur* ?

2. Utrum eamdem excommunicationem incurrat scriba aliquis apud tribunal, vulgo *greffier du tribunal*, si ad id munus suscipiendum moraliter coactus fuerit, ne a sua publica functione deiiceretur ?

3. Utrum unus et alter moriens, non receptis sacramentis Ecclesiae, sepultura ecclesiastica privari, saltem tamquam peccator publicus, debeat ?

4. Quod si, e contra, sacramenta Ecclesiae, recipere valeat et velit, utrum restitutio aliqua ei sit iniungenda, cuinam restituere cogatur, et quantum solvere debeat, praesertim si fertilissimus fuit ei in dicto munere quaestus ?

R. Eos qui sub I, et II, recensentur, excommunicationem non incurrere.

Ad III. Decisionem in singulis casibus spectare ad Ordinarium.

Ad IV. Quoad notarios, ipsos non teneri ad restitutionem. Quoad liquidatores, non satis constare de eorum obligatione ». S. Poenit., 17 Sept. 1906. *Acta S. Sedis,* vol. 40, pag. 249, seqq.

X.

(**Summ.**, P. I, Tr. VI, *De Poenis et Censuris*, § 391, XII).

De Censuris ex Decret. S. C. Concilii 11 Maii 1904 latis in delinquentes in Missarum manualium satisfactione.

Cfr. hac de re quae dabimus infra sub n. XIII.

XI.

(**Summ.**, P. II, Tr. III, § 229, *not.* 10-13).

De Compositionibus quoad bona ecclesiastica.

1.

S. Poenitentiariae indultum pro compositionibus.

Sacra Poenitentiaria de speciali et expressa Apostolica Auctoritate Ordinario *N. N.* ad annum *vel ad quinquennium* duraturam facultatem communicat Christifideles:

qui bona immobilia aut census aut iura Ecclesiae erepta sine eiusdem Ecclesiae venia acquisierunt;

vel acquisita alienaverunt;

vel acquisierunt per emphyteusim;

vel acquisita per emphyteusim liberaverunt;

qui tanquam patroni vindicarunt beneficia ecclesiastica et capellanias;

qui redemerunt legata pia aut canones aut iura irredimibilia;

vel ex redemptione iurium natura sua redimibilium cum damno Ecclesiae lucrati sunt;

qui decimas non solverunt:

et praedictorum omnium heredes et quoscumque successores, quoties ob aliquam ex praedictis causis gubernio aut aliis venditoribus solverunt aut solvere debent non ultra triginta libellarum millia, et si de decimis sermo sit, dummodo debitum hanc summam non superet, et si agatur de emphyteusi aut alio simili contractu, dummodo canon seu praestatio iuxta legem civilem com-

putata respondeat capitali summae quae itidem non excedat triginta libellarum millia, — de speciali gratia admittendi ad compositionem quae aequa videatur, servatis praesertim conditionibus et regulis quae sequuntur:

1. Procedatur de intelligentia aliorum Ordinariorum si quorum intersit, et de consensu eorum qui respectivas causas pias canonice repraesentant, aliorumque canonice interesse habentium.

2. In quantitate aequae compositionis determinanda considerentur:

a) fundorum seu iurium valor realis eo tempore quo compositio initur;

b) pretium emptionis;

c) praesens oratorum status;

d) id in quo ipsi oratores cum damno Ecclesiae ditiores facti sunt;

e) onera pia, quorum si adsint praecipue ratio habenda est. Datur autem Ordinario facultas eadem condonandi ex toto vel ex parte, si eis satisfactum non fuerit, nec non eadem reducendi pro futuro iuxta vires sive ad tempus, sive in perpetuum pro diversa causarum et adiunctorum natura, supplente quantum ad missas et alia suffragia attinet SSmo Domino de thesauro Ecclesiae.

3. Benignior esse potest compositio si pretium solutum vel canon assumptus, citra culpam emptoris vel emphyteutae, superet praesentem valorem fundorum; item pro eis qui coacti affrancarunt; et pro heredibus eorum qui bona vel iura ecclesiastica ut supra iniuste possederunt, sed alias causas pias fundaverunt aut iuvarunt.

4. Ad compositionem adhortandi sunt etiam illi quibus concessum fuit bona aut iura supradicta ad nutum Ecclesiae retinere subscriptis conditionibus alias adsignatis; qui modus consulendi conscientiae fidelium non amplius conceditur.

5. Ordinarius quando agitur de fundis in quibus aliqua sita est ecclesia, vel agitur de rebus sacris mobilibus, oratores oretenus moneat de obligatione qua tenentur faciendi sub directione Ordinarii pro tempore quod poterunt pro sacrarum aedium et templorum conservatione, et res sacras nunquam in usus profanos convertendi seu deputandi, idque debitis modis notificandi suis heredibus et successoribus.

6. Nullum documentum peractae compositionis cuipiam tradatur; quod si illud omnino exigatur, Episcopus per se iis qui se composuerunt, poterit in scriptis id tantum declarare « eos omni

obligatione conscentiae erga ecclesiam ratione fundorum, canonum etc. etc. exemptos et solutos esse ».

7. Per has litteras eidem Ordinario fit quoque potestas hac ipsa ratione providendi etiam illis qui huiusmodi bona et iura acquirere, vendere, liberare, vindicare et redimere postulabunt; et si agatur de decimis, subducta computatione quae supra pro canonibus et praestationibus statuta est: quin ex eo praeter oratores eorumque heredes et successores alii releventur; et quod ad patronos attinet, dimisso prorsus iure patronatus, et quin laesa censeantur iura investitorum, si adsint.

8. Eidem Ordinario conceditur etiam facultas indulgendi iis qui super bonis habent imposita legata pia vel missarum onera ut ea redimere valeant data summa quae, caute et utiliter investita, reditus sufficientes quotannis praebeat pro integro eorumdem onerum adimplemento.

9. Praeterea eadem sacra Poenitentiaria praelaudato Ordinario facultatem concedit sive per se sive per aliam idoneam ecclesiasticam personam ab eo ad hoc in singulis casibus subdelegandam oratores in praemissis culpabiles, postquam ut supra se composuerint, a censuris et poenis ecclesiasticis in quas propterea quomodolibet inciderint, Apostolica Auctoritate absolvendi cum congrua poenitentia salutari et reparatione scandali, meliori quo fieri poterit modo, prudenti iudicio absolventis.

10. In hoc indulto non comprehenditur facultas concedendi impositionem hypothecarum, neque reducendi canonem emphyteusis temporaneae vel nimis onerosae, circa quae recurrendum est in singulis casibus ad S. Sedem.

Item non comprehenditur facultas dispensandi ecclesiasticos viros super irregularitate in quam inciderint ob violatas censuras.

11. Qui ob paupertatem compositionem inire nequeunt, absolvi poterunt ab Ordinario cum obligatione, ut si ad meliorem conditionem devenerint Ecclesiae satisfaciant ac interim scandalum removeant.

Item qui statim nequeunt statutam compositionem solvere, si obligationem emittant de ea opportuno tempore solvenda; remoto interim scandalo.

12. Pecuniae vero summas ex compositione acceptas etiam tenues ipse Ordinarius quamprimum et quam tutissime possit, favore causarum piarum ad quas de iure pertinent, in titulos liberos (*valori al portatore*) quos viri competentes tutos agnoverint investire et ad nutum S. Sedis conservare satagat, neque alienet sine eius-

dem venia neque commutet nisi urgeat necessitas et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem.

Quod si supradictae summae pertineant ad causam piam alterius dioecesis, transmittendae erunt ad eiusdem Ordinarium.

Si eaedem pertineant ad religiosos, requiritur ut eis tradi possint venia S. Sedis in singulis casibus.

Quod si summae spectarent ad causam piam iam extinctam, vel ad ecclesiam in quâ divina officia amplius celebrari non valeant, Ordinarius ipsarum fructus impendat in bonum alterius causae piae, praesertim ecclesiarum, presbyterorum et clericorum pauperum, prout melius in Domino iudicaverit, celebratis tamen missis et ceteris persolutis suffragiis, si quae praefinita fuerint.

13. Circa fundos vero seu iura quorum valor excedit triginta libellarum millia, recurrendum erit ad S. Sedem in singulis casibus.

14. Ordinarius moneat confessarios ut si ad poenitentes in periculo mortis constitutos et in praemissis culpabiles vocentur, prudenter compositionem urgeant: quod si haec obtineri nequeat vel quia tempus non suppetit vel ob alias rationabiles causas, satis erit si aegrotus eam heredibus imponat, vel serio promittat eam initurum, si convaluerit; remoto scandalo.

15. Ordinarius confessariis sibi benevisis, tempore quadragesimae, vel sacrarum missionum, vel urgente paschali praecepto, facultatem concedere poterit absolvendi eos qui compositionem statim inire nequeunt, dummodo iidem serio promittant se intra duos menses ab accepta absolutione recursum habituros ad Ordinarium pro obtinenda compositione, remoto interim scandalo.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae in sacra Poenitentiaria die ...

2.

Facultates Ordinariis Galliae concessae circa bonorum ecclesiasticorum alienationem 21 Sept. 1907.

SSmus D. N. Pius divina providentia PP. X referente me infrascripto Cardinali a Secretis Status, attentis specialibus circumstantiis in quibus nunc Ecclesia catholica in Gallia versatur, fidelium spirituali bono consulere cupiens in iis quae bonorum ecclesiasticorum alienationem respiciunt, facultates quae sequuntur illius nationis Ordinariis concedere dignatus est.

A) — *Facultates de bonis immobilibus.*

I.

1. *Admittendi* ad aequam compositionem, juxta normas quae sequuntur, christifideles qui bona immobilia Ecclesiae erepta sine eiusdem Ecclesiae venia acquisierunt; vel acquisita alienaverunt; et praedictorum haeredes et quoscumque successores.

2. Procedat Ordinarius, in compositione facienda, de intelligentia aliorum Ordinariorum si quorum intersit, et de consensu eorum qui respectivas causas pias canonice repraesentant, aliorumque canonice interesse habentium.

3. In quantitate aequae compositionis determinanda considerentur:

a) fundorum valor realis eo tempore quo compositio initur;

b) praetium emptionis;

c) praesens oratorum status;

d) id in quo ipsi oratores cum damno Ecclesiae ditiores facti sunt;

e) onera pia, quorum, si adsint, praecipue ratio habenda est.

Quoad vero eorumdem onerum redemptionem, condonationem vel reductionem, quatenus opus fuerit, provisum est in sequenti n. 17.

4. Benignior esse potest compositio si pretium solutum, citra culpam emptoris, superet praesentem valorem fundorum; et pro haeredibus eorum, qui bona ecclesiastica ut supra iniuste possederunt, sed alias causas pias fundaverunt aut juvarunt.

5. Ordinarius, quando agitur de fundis in quibus aliqua sita est ecclesia, vel agitur de rebus sacris mobilibus, oratores oretenus moneat de obligatione qua tenentur faciendi, sub directione Ordinarii pro tempore, quod poterunt pro sacrarum aedium et templorum conservatione, et res sacras nunquam in usus profanos convertendi seu deputandi, idque debitis modis notificandi suis haeredibus et successoribus.

6. Pecuniae vero summas ex compositione acceptas, etiam tenues, ipse Ordinarius quamprimum et quam tutissime possit, favore causarum piarum ad quas de jure pertinent, in titulos liberos (*valeur au porteur*) quos viri competentes tutos agnoverint, investire et ad nutum S. Sedis conservare satagat; neque alienet sine eiusdem venia, neque commutet, nisi urgeat necessitas et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem.

Quod si supradictae summae pertineant ad causam piam alterius dioecesis, transmittendae erunt ad eiusdem Ordinarium.

Si eaedem pertineant ad Ordines vel Congregationes religiosas, requiritur ut eis tradi possint, venia S. Sedis in singulis casibus.

Quod si summae spectarent ad causam piam jam extinctam, vel ad ecclesiam in qua divina officia amplius celebrari non valeant, Ordinarius ipsarum fructus impendat in bonum alterius causae piae, praesertim ecclesiarum, presbyterorum et clericorum pauperum, prout melius in Domino judicaverit, celebratis tamen missis et caeteris persolutis suffragiis, si quae praefinita fuerint.

7. Nullum documentum peractae compositionis cuipiam tradatur; quod si illud omnino exigatur, Episcopus iis qui se composuerunt, poterit in scriptis id tantum declarare: *eos omni obbligatione conscientiae erga Ecclesiam ratione fundorum etc., exemptos et solutos esse.*

8. Ad compositionem Ordinarius admittere poterit etiam fideles qui juxta leges civiles per actionem recuperationis (*action en reprise, en revendication, révocation ou en résolution*) in utilitatem propriam vindicarunt bona sive immobilia sive mobilia, Ecclesiae donata pro legatis piis adimplendis, quoties vindicata bona ex integro Ecclesiae restituere nequeant.

II.

9. *Absolvendi*, Apostolica auctoritate, sive per se sive per aliam idoneam ecclesiasticam personam, ad hoc in singulis casibus subdelegandam, oratores in praemissis culpabiles, postquam ut supra se composuerint, a censuris et poenis ecclesiasticis in quas propterea quomodolibet inciderint, cum congrua poenitentia salutari et reparatione scandali, meliori quo fieri poterit modo, prudenti judicio absolventis.

10. Qui ob paupertatem compositionem inire nequeunt, absolvi poterunt cum obligatione ut si ad meliorem conditionem devenerint, Ecclesiae satisfaciant, ac interim scandalum removeant.

Item qui statim nequeunt statutam compositionem solvere si obligationem emittant de ea opportuno tempore solvenda; remoto interim scandalo.

11. Ordinarius moneat confessarios ut si ad poenitentes in periculo mortis constitutos et in praemissis culpabiles vocentur, prudenter compositionem urgeant; quod si haec obtineri nequeat vel quia tempus non suppetit vel ob alias rationabiles causas, satis erit si aegrotus eam haeredibus imponat, vel serio promittat eam initurum si convaluerit, remoto scandalo.

12. Ordinarius confessariis sibi benevisis, tempore quadragesimae, vel sacrarum missionum, vel urgente paschali praecepto, facultatem concedere poterit absolvendi eos qui compositionem statim inire nequeunt, dummodo iidem serio promittant se intra duos menses ab accepta absolutione, recursum habituros ad Ordinarium pro obtinenda compositione, remoto iterim scandalo.

III.

13. *Permittendi* christifidelibus ut bona Ecclesiae acquirere valeant, remoto scandalo et ea conditione ut statim ad compositionem, ut supra faciendam, deveniant.

14. Si agatur de bonis ad Ordinem vel Congregationem religiosam pertinentibus, requiritur consensus Superiorum eiusdem Congregationis.

15. Exceptas tamen voluit Sanctitas Sua ecclesias, seminaria nec non domus episcopales et parochiales, pro quibus emendis ad S. Sedem recurrendum erit in singulis casibus.

16. Ordinarius permittere poterit (imo suadeat) ut fideles qui juxta leges civiles jus habent, actionem recuperationis (*action en reprise, en revendication, en révocation ou en résolution*) exerceant ad hoc, ut pia onera juxta mentem fundatorum adimpleri possint. Datur autem Ordinario facultas concedendi oratoribus, partialem remissionem bonorum recuperatorum, quoties speciales circumstantiae in aliquo casu occurrant, quae juxta prudens eiusdem Ordinarii judicium et conscientiam, id exigant.

IV.

17. *Indulgendi* iis qui super bonis quibuscumque habent imposita legata pia vel missarum onera, ut ea redimere valeant data summa, cuius fructus quotannis redditus sufficientes ac tutos praebeat pro integro eorumdem onerum adimplemento. Quod si aliqua condonatio ex toto vel ex parte, si eis satisfactum non fuerit, vel reductio pro futuro, sive ad tempus sive in perpetuum, concedenda videatur, id Ordinarius facere poterit, omnibus tamen circumstantiis et causis consideratis et perpensis.

B) — *Facultates de rebus mobilibus et conductionibus.*

Insuper eadem Sanctitas Sua praelaudatis Ordinariis infrascriptas concedit facultates, quibus sive per se, sive per vicarium

in spiritualibus generalem, sive per alias idoneas ecclesiasticas personas ad hoc, etiam habitualiter, specialiter subdelegandas, uti licite et libere valeant.

I.

18. *Indulgendi* christifidelibus ut res annoniaras, fructus terrae, res mobiles, vel inter mobiles adnumerandas, ad ecclesias aut loca pia spectantes, et a Gubernio usurpatas, acquirere licite valeant, remoto prudenter scandalo, atque erogata aliqua eleemosyna favore praesertim ecclesiarum seu personarum, ad quas res ipsae spectabant, ab Ordinario sive a subdelegato taxanda, quatenus emerint pretio quod judicio Ordinarii aut subdelegati fuerit minus justo; ita tamen ut si agatur de rebus quae non sint usu consumptibiles, sive quae servando servari possint, earum rerum elenchum Ordinario tradere emptores teneantur, et parati sint eas quandocumque ecclesiis, seu locis piis, recepto soluto pretio restituere; et curando pro viribus, ut supellectiles, vasa ac utensilia sacra in usum aliarum ecclesiarum transferantur, nec in usus profanos assumantur.

II.

19. *Providendi* sub iisdem conditionibus ut supra, et praevia eorum absolutione cum congrua poenitentia salutari, iis qui easdem res jam emerint.

III.

20. *Indulgendi* pariter christifidelibus, ut bona ecclesiastica a Gubernio occupata, vel ab iis qui a Gubernio illa acquisierunt sine licentia S. Sedis, conducere, seu jam conducta retinere valeant, imposita illis aliqua eleemosyna favore personarum seu ecclesiarum, ad quas eadem bona de jure pertinent, quatenus conduxerint pretio quod judicio Ordinarii seu subdelegati fuerit minus justo, et obligatione faciendi quantum poterunt sub directione Ordinarii pro conservatione praesertim sacrarum aedium ac templorum, quae eisdem bonis fuerint adnexa, ac praevia absolutione cum poenitentia salutari quatenus illicite conduxerint, nec non remoto ac reparato scandalo.

21. Quamvis autem optandum maxime sit, ut, hujusmodi conductiones ad breve tempus fiant, Sanctitas Sua declarat non obstare quominus, sic jubente Gubernio seu locatore, conductio fiat ultra triennium, sed tamen infra decennium.

22. Vult autem SS. Pater ut locationes ecclesiarum, seminariorum, domorumque episcopalium et parochialium permitti nequeant nisi in casibus necessitatis vel evidentis Ecclesiae utilitatis.

Contrariis quibuscumque minime non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Vaticanis die, mense et anno praedictis.

R. Card. Merry del Val.

Cfr. *Acta Sanctae Sedis,* Vol. 41, pagg. 202 et seqq.

3.

Litterae S. Poenitentiariae ad Ordinarios Galliarum de compositionibus quoad bona ecclesiastica.

Venerabilibus in Christo Patribus Galliae Ordinariis, salutem et sinceram in Domino caritatem.

Neminem sane latet quanta animi fortitudine et constantia SSmus Dnus Noster Pius divina providentia PP. X sacrosanta Ecclesiae jura adseruerit et iniquas leges postremis hisce annis in Gallia latas reprobaverit ac damnaverit. Idem vero Summus Pontifex apprime sollicitus pro salute animarum, quae suprema lex est et ultimus finis, cui terrena omnia subordinari oportet, memor caritatis Christi Domini, de quo scriptum fuit: « calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet » (1), luculenter ostendit infirmitati debilium, quoad fieri potest, indulgendum esse, ut errantes in viam aeternae salutis revocari queant.

Hunc porro in finem tributae fuerunt, per litteras ab Emo Cardinali a secretis Status datas die 14 Septembris 1907, omnibus et singulis Venerabilibus in Christo Patribus Galliarum Ordinariis amplae facultates pro iis, qui propriae conscientiae consulere cupiant postquam bona Ecclesiae erepta qualicumque titulo acceperint, vel bona ipsa, honestis de causis, acquirere postulent.

Quo autem melius innotescat mens Summi Pontificis in supradictis facultatibus tribuendis, simulque habeatur norma certa eas interpretandi et practice applicandi, Sanctitas Sua huic S. Poenitentiariae speciali mandato commisit, ut cum praelaudatis Galliarum Ordinariis communicaret ea quae sequuntur, quaeque in audientia diei 15 huius mensis ipsa Sanctitas Sua expresse probavit.

---

(1) Is., cap. 42, V. 3.

Nihil videlicet timendum est, ne ex aequa compositione iniustis bonorum Ecclesiae detentoribus concessa ipsius Ecclesiae iura in se pessumdentur seu minuantur. Primum enim per huiusmodi compositionem nullatenus relevantur praecipui spoliatores seu auctores iniquarum legum, quarum vi bonorum Ecclesiae direptio et alienatio consummata fuit. Deinde, tantum abest ut ea compositio obligationem integre restituendi pro ipsis iniustis detentoribus vel diffiteatur vel solum dissimulet, ut eam potius praesupponat, atque ostendat in Ecclesia jus plene vigens eam exigendi. Siquidem qui per benignam compositionem alicuius rei partem condonat, eo ipso ostendit omnimodum sibi esse facultatem de ea re libere disponendi; qui autem compositionem petit vel solummodo acceptat, debitum suum manifeste recognoscit et profitetur.

Quae cum ita sint, sedulo cavendum est ne forte per rigidiorem quamdam agendi rationem, hac in re, suprema Romani Pontificis auctoritas circa bona Ecclesiae temporalia coarctari videatur, atque insuper adiuvetur ipsum consilium impiorum, qui eo demum spectant, ut animas pretioso D. N. J. C. sanguine redemptas in aeternum perdant. Multi enim sunt in Gallia, quorum in mente fidei lumen non penitus extinctum est, qui tamen, impellente temporalis lucri cupidine, bona Ecclesiae directa accipere non dubitarunt. Hi autem si toto poenarum et obligationum rigore urgeri se senserint, harum difficultate territi, potius in peccato insordescere, quam justis S. Matris Ecclesiae quaerimoniis satisfacere eligent. Contingere etiam potest ut, imminente mortis periculo, propinqui seu haeredes morituroruni negent morem gerere postulantibus sacerdotem confessarium, veriti ne eius hortatu morituri ipsi de integra bonorum Ecclesiae restitutione rite disponant; atque ita fiet ut miseri, non obtenta admissorum absolutione ac non sine gravi scandalo e vivis decedant. Contra per benigniorem compositionem dum spirituali debilium bono consulitur, aliqua saltem ex parte resarciuntur Ecclesiae damna, majorque affulget spes fore ut etiam renitentiores, facili reconciliationis conditione allecti, ad salutarem poenitentiam bonamque frugem serius ocius deveniant.

Recolendum quoque est censurarum finem non esse solam criminis vindictam, sed praecipue resipiscentiam delinquentium.

Hinc factum est ut, in similibus adiunctis, Summi Pontifices, licet immutabilia Ecclesiae jura alte proclamaverint, aequam tamen compositionem semper et benignissime permiserint; quaedmamodum peregisse constat, inter alios, Iulium III, anno 1554 cum Anglis; Clementem XI anno 1714 cum Saxonibus; Pium VII, su-

periore saeculo, cum ipsis Gallis; et nuperrime Pium IX ac Leonem XIII cum Italis.

Ceterum normae peculiares in concedenda compositione servandae adeo perspicue definitae sunt in praefatis litteris Emi Cardinalis a secretis Status, ut nulla videantur indigere declaratione. Si qua tamen in praxi oborta fuerit dubitatio, pronum erit recurrere ad hanc ipsam S. Poenitentiariam, quae singulis, uti par est, absque mora faciet satis.

Datum Romae ex S. Poenitentiaria, die 16 Januarii 1909.

S. Card. Vannutelli, poenitentiarius maior.

L. ✠ S. I. Palica, secretarius.

Cfr. *Acta Apost. Sedis*, vol. I, pag. 239 et seq.

4.

De competentia circa compositiones ecclesiasticas. Decisio S. C. Consistorialis 8 Julii 1909.

In Congregatione generali, die 8 Julii 1909 habita propositum fuit sequens dubium: « Utrum facultas admittendi ad compositionem eos, qui bona ecclesiastica quaecumque occuparunt, aut detinent, privative tribuenda sit sacrae Congregationi Concilii, an potius, quando agitur de bonis ad Ordines aut religiosas familias pertinentibus, eadem facultas reservanda sit sacrae Congregationi de Religiosis ».

Hac super re rogatus fuit de suo voto unus ex consultoribus, qui, inter alia, animadvertit, Ecclesiam in concedendis compositionibus intendere primario, quo consulat conscientiae ac spirituali fidelium saluti, et, nonnisi secundario, bono temporali piarum causarum, ecclesiarum et Ordinum religiosorum, quibus bona ipsa spectant; harum autem causarum juribus satis provideri ex eo quod compositio non conceditur, nisi requisito singulis vicibus ipsarum consensu, eoque ab ipsis concesso vel saltem a SSmo suppleto.

His aliisque sedulo perpensis, Emi Patras Sacrae Congregationis Consistorialis supra relato dubio respondendum censuerunt: *affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Facta vero insequenti die relatione SSmo, ipse memoratam resolutionem ratam habuit et confirmavit.

L. ✠ S. Carolus Perosi, substitutus.

Cfr. *Acta Ap. Sedis*, vol. I, p. 576 et seq.

XII.

(**Summ.**, P. III, Lib. II, Tr. I, § 141-144).

Ex Constit. Ap. Leonis XIII. " Officiorum ac munerum „ VIII Kal. Febr. 1897. De Probibitione et censura librorum.

«... Duo facienda duximus, ex quibus norma agendi in hoc genere certa et perspicua omnibus suppetat. Videlicet librorum improbatae lectionis diligentissime recognosci Indicem; subinde, maturum cum fuerit, ita recognitum vulgari iussimus. Praeterea ad ipsas Regulas mentem adiecimus, easque decrevimus, incolumi earum natura, efficere aliquanto molliores, ita plane ut iis obtemperare, dummodo quis ingenio malo non sit, grave arduumque esse non possit. In quo non modo exempla sequimur decessorum Nostrorum, sed maternum Ecclesiae studium imitamur: quae quidem nihil tam expetit, quam se impertire benignam, sanandosque ex se natos ita semper curavit, curat, ut eorum infirmitati amanter studioseque parcat.

Itaque matura deliberatione, adhibitisque S. R. E. Cardinalibus e sacro Consilio libris notandis, edere *Decreta generalia* statuimus, quae infra scripta, unaque cum hac Constitutione coniuncta sunt: quibus idem sacrum Consilium posthac utatur unice, quibusque catholici homines toto orbe religiose pareant. Ea vim legis habere sola volumus, abrogatis *Regulis* sacrosanctae Tridentinae synodi iussu editis, *Observationibus*, *Instructione*, *Decretis*, *Monitis*, et quovis alio decessorum Nostrorum hac de re statuto iussuque, una excepta Constitutione Benedicti XIV *Sollicita et provida*, quam, sicut adhuc viguit, ita in posterum vigere integram volumus ».

Decreta generalia de prohibitione et censura librorum.

TITULUS I — De Prohibitione Librorum.

Caput I — *De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum, aliorumque scriptorum libris.*

1. Libri omnes, quos ante annum MDC aut Summi Pontifices, aut Concilia oecumenica damnarunt, et qui in novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt: iis exceptis, qui per haec Decreta Generalia permittuntur.

2. Libri apostatarum, haereticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes, omnino prohibentur.

3. Item prohibentur acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri.

4. Libri eorundem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, iure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint.

Caput II — *De Editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacrae Scripturae.*

5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur.

6. Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliae versiones Sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae.

Caput III. — *De Versionibus vernaculis Sacrae Scripturae.*

7. Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri; Versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

8. Interdicuntur versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per Societates Biblicas, a Romanis Pontificibus non semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur.

Hae nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur: iis servatis, quae supra (n. 5) statuta sunt.

Caput IV. — *De Libris obscenis.*

9. Libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur.

10. Libri auctorum sive antiquorum, sive recentiorum, quos classicos vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur quos officii aut magisterii ratio excusat: nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut praelegendi erunt.

Caput V. — *De quibusdam specialis argumenti libris.*

11. Damnantur libri, in quibus Deo, aut Beatae Virgini Mariae, vel Sanctis, aut Catholicae Ecclesiae eiusque Cultui, vel Sacramentis, aut Apostolicae Sedi detrahitur. Eidem reprobationis iudicio subiacent ea opera, in quibus inspirationis Sacrae Scripturae conceptus pervertitur, aut eius extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri, qui data opera Ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt.

12. Nefas esto libros edere, legere aut retinere in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliaeque huius generis superstitiones docentur vel commendantur.

13. Libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiae licentia, proscribuntur.

14. Prohibentur pariter libri, qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis vel aliis eiusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur.

Caput XI. — *De Sacris Imaginibus et Indulgentiis.*

15. Imagines quomodocumque impressae Domini Nostri Iesu Christi, Beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novae vero, sive preces habeant adnexas, sive

absque illis edantur, sine Ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur.

16. Universis interdicitur indulgentias apocryphas, et a Sancta Sede Apostolica proscriptas vel revocatas quomodocumque divulgare. Quae divulgatae iam fuerint, de manibus fidelium auferantur.

17. Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur, non pubblicentur absque competentis auctoritatis licentia.

Caput VII. — *De libris liturgicis et precatoriis.*

18. In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare praesumat: si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur.

19. Litaniae omnes, praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et praeter Litanias de Beata Virgine, quae in sacra Aede Lauretana decantari solent, et Litanias Sanctissimi Nominis Iesu iam a Sancta Sede approbatas, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii.

20. Libros, aut libellos precum, devotionis, vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae, aliosque huiusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo praeter legitimae auctoritatis licentiam publicet: secus prohibiti habeantur.

Caput VIII. — *De Diariis, foliis et libellis periodicis.*

21. Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico iure proscripti habeantur.

Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de huiusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere.

22. Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, in huiusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam, nisi suadente iusta et rationabili causa, publicet.

Caput IX. — *De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.*

23. Libros sive specialibus, sive hisce Generalibus Decretis proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica,

aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates.

24. Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos Romani Pontifices Sacram Indicis Congregationem praeposuere. Eadem nihilominus potestate gaudent, tum Suprema Sancti Officii Congregatio, tum Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subiectis. Pro Urbe tantum, haec facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro.

25. Episcopi aliique Praelati iurisdictione quasi episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valeant. Quod si iidem generalem a Sede Apostolica impetraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex iusta et rationabili causa concedant.

26. Omnes qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se praecepto teneri huiusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant.

Caput X. — *De denunciatione pravorum librorum.*

27. Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum, qui doctrina praevalent, perniciosos libros Episcopis, aut Apostolicae Sedi denunciare; id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios; Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum doctrinae laude florentium.

28. Expedit ut in pravorum librorum denunciatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam, quoad fieri potest, causae exponantur ob quas liber censura dignus existimatur. Iis autem ad quos denunciatio defertur, sanctum erit, denunciantium nomina secreta servare.

29. Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros, aliaque scripta noxia in sua Dioecesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant. Ad Apostolicum iudicium ea deferant opera vel scripta, quae subtilius examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum, supremae auctoritatis sententia requiri videatur.

TITULUS II. — De Censura Librorum.

Caput I. — *De Praelatis librorum censurae praepositis.*

30. Penes quos potestas sit sacrorum bibliorum editiones et versiones adprobare vel permittere ex iis liquet, quae supra (n.° 7) statuta sunt.

31. Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere: quod si ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id numquam fiet, nisi obtenta prius sacrae Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea praescriptis.

32. Quae ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis praepositae, publicari nequeunt.

33. Idem dicendum de Collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum: hae nimirum Collectiones edi nequeant, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscuiusque Congregationis praescriptis.

34. Vicarii et Missionarii Apostolici Decreta sacrae Congregationis Propagandae Fidei praepositae de libris edendis fideliter servent.

35. Approbatio librorum, quorum censura praesentium Decretorum vi Apostolicae Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci in quo publici iuris fiunt.

36. Regulares, praeter Episcopi licentiam, meminerint teneri se, sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato, cui subiacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur.

37. Si Auctor Romae degens librum non in Urbe, sed alibi imprimere velit, praeter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii Apostolici, alia non requiritur.

Caput II. — *De censorum officio in praevio librorum examine.*

38. Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatae pietatis et doctrinae viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem.

39. De variis opinionibus atque sententiis (iuxta Benedicti XIV praeceptum) animo a praeiudiciis omnibus vacuo, iudicandum sibi esse censores sciant. Itaque nationis, familiae, scholae, instituti affectum excutiant, studia partium seponant. Ecclesiae sanctae dogmata, et communem Catholicorum doctrinam, quae Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, atque Doctorum consensu continentur, unice prae oculis habeant.

40. Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius, in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat.

Caput III. — *De libris praeviae censurae subiiciendis.*

41. Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subiicere libros, qui divinas Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Ius Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit.

42. Viri e clero saeculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant.

Iidem prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.

Caput IV. — *De Typographis et Editoribus librorum.*

43. Nullus liber censurae ecclesiasticae subiectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris praeferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, iustas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit.

44. Noverint Typographi et Editores librorum novas eiusdem operis approbati editiones, novam approbationem exigere, hanc insuper textui originali tributam, eius in aliud idioma versioni non suffragari.

45. Libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma.

46. Quicumque librorum venditores, praecipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes neque vendant, neque commodent, neque retineant: ceteros prohibitos

venales non habeant, nisi a Sacra Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant nisi prudenter existimare possint, ab emptore legitime peti.

Caput V. — *De poenis in Decretorum Generalium transgressores statutis.*

47. Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicae, libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Literas nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, Romano Pontifici speciali modo reservatam.

48. Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros, vel earundem adnotationes vel commentarios imprimunt aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.

49. Qui vero cetera transgressi fuerint, quae his Decretis Generalibus praecipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo moneantur; et si opportunum videbitur, canonicis etiam poenis coerceantur.

« Praesentos vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere, decernimus: irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declarantes, contrariis non obstantibus quibuscumque... ».

XIII.

(**Summ.**, P. III, Lib. II, § 191).

De Satisfactione Missarum Decreta Novissima S. C. Concilii.

Tria hic recensemus S. C. Concilii decreta juxta ordinem chronologicum, cum declarationibus nonnullis ab eadem S. Congregatione datis ad dubia quae circa Decreta illa proposita fuerunt. De his interim consulatur commentarium plane egregium editum a cl. Ioanne Bapt. Ferreres S. I., cui titulus in versione italica: *Ciò che devesi fare e schivare nella celebrazione delle Messe manuali*, etc.

1.

Decretum S. C. C., 25 maii 1893.

Vigilanti studio convellendis eradicandisque abusibus missarum celebrationem spectantibus iugiter incubuit haec S. C., pluraque edidit decreta, quibus omne hac in re damnabile lucrum removeri voluit, piasque testantium voluntates et obstrictam benefactoribus fidem ad amussim servari religioseque custodiri mandavit.

Quapropter ad cohibendam pravam quorumdam licentiam qui ad ephemerides, libros aliasque merces facilius cum clero commutanda missarum ope utebantur, nonnulla constituit, eaque, Pio PP. IX fel. rec. approbante, edi et Ordinariis nota fierit curavit ut ab omnibus servarentur. Propositis namque inter alia sequentibus dubiis:

« I. an turpe mercimonium sapiat, ideoque improbanda et poenis « etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda sit ab Episcopis « eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui adhibitis « publicis invitamentis et praemiis, vel alio quocumque modo mis- « sarum eleemosynas colligunt, et sacerdotibus, quibus eas cele- « brandas committunt, non pecuniam, sed libros aliasve merces « rependunt;

« II. an haec agendi ratio ideo cohonestari valeat, vel quia, « nulla facta imminutione, tot Missae a memoratis collectoribus ce- « lebrandae committuntur, quot collectis eleemosynis respondeant, « vel quia per eam pauperibus sacerdotibus eleemosynis missarum « carentibus subvenitur;

« III. an huiusmodi eleemosynarum collectiones et erogationes « tunc etiam improbandae et coercendae, ut supra, sint ab Epi- « scopis, quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis per- « mutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, « sed in piarum institutionum et bonorum operum usum vel incre- « mentum impenditur;

« IV. an turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi atque « etiam coercendi, ut supra, sint ii, qui acceptas a fidelibus vel « locis piis eleemosynas missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus, « aliisque earum collectoribus, sive recipiant, sive non recipiant « quidquam ab iisdem praemii nomine;

« V. an turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi et « coercendi, ut supra, sint ii qui a dictis bibliopolis, et mercatori- « bus recipiunt pro missis celebrandis libros aliasve merces, harum « pretio sive imminuto sive integro;

« VII. an liceat Episcopis sine speciali S. Sedis venia ex elee-
« mosynis missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere
« solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consu-
« latur, quando praesertim ea propriis reditibus careant ».

In peculivri conventu anni 1874 S. C. resolvit:

« Ad I. Affirmative.

« Ad II. Negative.

« Ad III, IV e V. Affirmative.

« Ad VII. Negative, nisi de consensu oblatorum ».

Sed cum postremis hisce annis constiterit, salutares huiusmodi dispositiones ignorantia aut malitia saepius neglectas fuisse, et abusus hac in re valde lateque invaluisse, Emi Patres S. C. Tridentini interpretes ac vindices, rebus omnibus in duplici generali conventu mature perpensis, officii sui esse duxerent, quod pridem decretum erat in memoriam plenamque observantiam denuo apud omnes revocare, et opportuna insuper sanctione munire.

Praesenti itaque decreto statuunt, ut in posterum si quis ex sacerdotali ordine contra enunciata decreta deliquerit (1), suspensioni a divinis S. Sedi reservatae et ipso facto incurrendae obnoxius sit: clericus autem sacerdotio nondum initiatus eidem suspensioni quoad susceptos ordines similiter subiaceat, et inhabilis

---

(1) Prae oculis habenda heic sunt quae sapienter animadvertit cl. p. Ferreres (l. c. § IX, 96-97): « L'ignoranza della proibizione (inquit doctus Theo-
« logus), o delle pene del decreto *Ut debita* benchè sia crassa e supina, e pro-
« babilmente anche affettata, scusa dall'incorrere in tali pene, però le due ultime
« specie di ignoranza non scuserebbero dall'incorrere nella censura della Cost.
« *Ap. Sed.*, nè tampoco in quelle del decreto *Vigilanti*. La ragione è perchè nel
« decreto *Ut debita* (e non nella Cost. *Ap. Sed.*, nè nel decreto *Vigilanti*) si
« pongono quelle parole — *Violare praesumpserit aut scienter tradendo — per-*
« *fringere ausus fuerit* — che limitano le pene ai casi di trasgressione *diret-*
« *tamente* volontaria, e con *conoscenza certa della censura;* due cose che, secondo
« il retto criterio degli autori, non esistono se v'ha ignoranza, benchè questa
« sia crassa e probabilmente anche affettata. Di qui si deduce, che quantunque
« le proibizioni degli articoli 8, 9, 10 e 11 del decreto *Ut debita,* includano
« tutte quelle del decreto *Vigilanti*, con tutto ciò, questo decreto non ha perduto
« la sua forza, poichè saranvi casi in cui violando le prescrizioni comuni ad
« amendue i decreti, si incorrerà nelle pene in virtù del decreto *Vigilanti*, nelle
« quali non si incorrerebbe, se soltanto il decreto *Ut debita* avesse forza di
« legge per aver abrogato il *Vigilanti.*

« Crediamo tuttavia probabile, che non si tarderà a dare qualche dichia-
« razione, o concessione nel senso che le pene del decreto *Vigilanti*, non si
« incorreranno, se non alla maniera di quelle del decreto *Ut debita*, cioè a dire
« con conoscenza certa della legge e della pena ».

praeterea fiat ad superiores ordines recipiendos: laici demum excommunicatione latae sententiae Episcopis reservata obstringantur.

Praeterea cum experientia docuerit, mala quae deplorantur ex eo potissimum originem viresque ducere, quod in quorumdam privatorum manus maior missarum numerus congeritur quam iusta necessitas exigit, ideo iidem Emi Patres, inhaerentes dispositionibus a Romanis Pontificibus, ac praesertim ab Urbano VIII et Innocentio XIII in const. *Cum saepe contingat,* alias datis, sub gravi obedientiae praecepto decernunt ac mandant, ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum aut utcumque ad missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cuiuslibet anni missarum onera, quae reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis tradant iuxta modum ab iis definiendum. Ordinarii autem acceptas missarum intentiones cum adnexo stipendio primum distribuent inter sacerdotes sibi subiectos qui eis indigere noverint: alias deinde aut S. Sedi, aut aliis Ordinariis committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus aliarum dioeceseon, dummodo sibi noti sint, omnique exceptione maiores, et legitima documenta edant inter praefixum congruum tempus quibus de exacta earumdem satisfactione constet.

Denique, revocatis quibuscumque indultis et privilegiis usque nunc concessis quae praesentis decreti dispositionibus utcumque adversentur, S. Congregatio curae et officio singulorum Ordinariorum comittit, ut praesens decretum omnibus ecclesiasticis suae iurisdictioni subiectis, aliisque quorum ex praescriptis interest, notum sollicite faciant, ne quis in posterum ignorantiam allegare, aut ab huius decreti observantia se excusare quomodolibet possit: et insuper ut sive in sacra Visitatione sive extra sedulo vigilent, ne abusus hac in re iterum inolescant.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII per intrascriptum S. Congregationis Praefectum, Sanctitas Sua hoc Emorum Patrum decretum ratum habuit confirmavit atque edi mandavit, contrariis qnibuscumque minime obstantibus.

2.

Decretum S. C. C. 11 maii 1904.
De observandis et evitandis in missarum manualium satisfactione.

Ut debita sollicitudine missarum manualium celebratio impleatur, eleemosynarum dispersiones et assumptarum obligationum

obliviones vitentur, plura etiam novissimo tempore S. Concilii Congregatio constituit. Sed in tanta nostrae aetatis rerum ac fortunarum mobilitate et crescente hominum malitia, experientia docuit cautelas vel maiores esse adhibendas, ut piae fidelium voluntates non fraudentur, resque inter omnes gravissima studiose ac sancte custodiatur. Qua de causa Emi S. C. Patres semel et iterum collatis consiliis, nonnulla statuenda censuerunt, quae SSmus D. N. Pius PP. X accurate perpendit, probavit, vulgarique iussit, prout sequitur.

Declarat in primis Sacra Congregatio manuales missas praesenti decreto intelligi et haberi eas omnes quas fideles oblata manuali stipe celebrari postulant, cuilibet vel quomodocumque, sive brevi manu, sive in testamentis, hanc stipem tradant, dummodo perpetuam fundationem non constituant, vel talem ac tam diuturnam ut tamquam perpetua haberi debeat.

Pariter inter manuales missas accenseri illas, quae privatae alicuius familiae patrimonium gravant quidem in perpetuum, sed in nulla Ecclesia sunt constitutae, quibus missis ubivis a quibuslibet sacerdotibus, patrisfamilias arbitrio, satisfieri potest.

Ad instar manualium vero esse, quae in aliqua ecclesia constitutae, vel beneficiis adnexae, a proprio beneficiario vel in propria ecclesia hac illave de causa applicari non possunt; et ideo aut de iure, aut cum S. Sedis indulto, aliis sacerdotibus tradi debent ut iisdem satisfiat.

Iamvero de his omnibus S. C. decernit: 1. neminem posse plus missarum quaerere et accipere quam celebrare probabiliter valeat intra temporis terminos inferius statutos, et per se ipsum, vel per sacerdotes sibi subditos, si agatur de Ordinario dioecesano, aut Praelato regulari.

2. Utile tempus ad manualium missarum obligationes implendas esse mensem pro missa una, semestre pro centum missis, et aliud longius vel brevius temporis spatium plus minusve, iuxta maiorem vel minorem numerum missarum.

3. Nemini licere tot missas assumere quibus intra annum a die susceptae obligationis satisfacere probabiliter ipse nequeat; salva tamen semper contraria offerentium voluntate, qui aut brevius tempus pro missarum celebratione sive explicite sive implicite ob urgentem aliquam causam deposcant, aut longius tempus concedant, aut maiorem missarum numerum sponte sua tribuant.

4. Cum in decreto *Vigilanti* diei 25 mensis Maii 1893 statutum fuerit « ut in posterum omnes et singuli ubique locorum benefi-

« ciati et administratores piarum causarum, aut utcumque ad mis-
« sarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine
« cuiuslibet anni missarum onera, quae reliqua sunt, et quibus
« nondum satisfecerint, propriis Ordinariis tradant iuxta modum ab
« iis definiendum » ; ad tollendas ambiguitates Emi Patres declarant ac statuunt, tempus his verbis praefinitum ita esse accipiendum, ut pro missis fundatis aut alicui beneficio adnexis obligatio eas deponendi decurrat a fine illius anni intra quem onera impleri debuissent : pro missis vero manualibus obligatio eas deponendi incipiat post annum a die suscepti oneris, si agatur de magno missarum numero ; salvis praescriptionibus praecedentis articuli pro minori missarum numero, aut diversa voluntate offerentium.

Super integra autem et perfecta observantia praescriptionum quae tum in hoc articulo, tum in praecedentibus statutae sunt, omnium ad quos spectat conscientia graviter oneratur.

5. Qui exuberantem missarum numerum habent, de quibus sibi liceat libere disponere (quin fundatorum vel oblatorum voluntati quoad tempus et locum celebrationis missarum detrahatur), posse eas tribuere praeterquam proprio Ordinario aut S. Sedi, sacerdotibus quoque sibi benevisis, dummodo certe ac personaliter sibi notis et omni exceptione maioribus.

6. Qui missas cum sua eleemosyna proprio Ordinario aut S. Sedi tradiderint ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevari.

Qui vero missas a fidelibus susceptas, aut utcumque suae fidei commissas, aliis celebrandas tradiderint, obligatione teneri usque dum peractae celebrationis fidem non sint assequuti ; adeo ut si ex eleemosynae dispersione, ex morte sacerdotis, aut ex alia qualibet etiam fortuita causa in irritum res cesserit, committens de suo supplere debeat, et missis satisfacere teneatur.

7. Ordinarii dioecesani missas, quas ex praecedentium articulorum dispositione coacervabunt, statim ex ordine in librum cum respectiva eleemosyna referent, et curabunt pro viribus ut quamprimum celebrentur, ita tamen ut prius manualibus satisfiat, deinde iis quae ad instar manualium sunt. In distributione autem servabunt regulam decreti *Vigilanti*, scilicet « missarum intentiones primum distribuent inter sacerdotes sibi subiectos, qui eis indigere
« noverint ; alias deinde aut S. Sedi, aut aliis Ordinariis committent,
« aut etiam, si velint, sacerdotibus extra-dioecesanis dummodo sibi
« noti sint omnique exceptione maiores », firma semper regula art. 6 de obligatione, donec a sacerdotibus actae celebrationis fidem exegerint.

8. Vetitum cuique omnino esse missarum obligationes et ipsarum eleemosynas a fidelibus vel locis piis acceptas tradere bibliopolis et mercatoribus, diariorum et ephemeridum administratoribus, etiamsi religiosi viri sint, nec non venditoribus sacrorum utensilium et indumentorum, quamvis pia et religiosa instituta, et generatim quibuslibet, etiam ecclesiasticis viris, qui missas requirant, non taxative ut eas celebrent sive per se sive per sacerdotes sibi subditos, sed ob alium quemlibet, quamvis optimum, finem. Constitit enim id effici non posse nisi aliquod commercii genus cum eleemosynis missarum agendo, aut eleemosynas ipsas imminuendo: quod utrumque omnino praecaveri debere S. Congregatio censuit. Quapropter in posterum quilibet hanc legem violare praesumpserit aut scienter tradendo missas ut supra, aut eas acceptando, praeter grave peccatum quod patrabit, in poenas infra statutas incurret.

9. Iuxta ea quae in superiore articulo constituta sunt decernitur, pro missis manualibus stipem a fidelibus assignatam, et pro missis fundatis aut alicui beneficio adnexis (quae ad instar manualium celebrantur) eleemosynam iuxta sequentes articulos propriam, numquam separari posse a missae celebratione, *neque in alias res commutari aut imminui,* sed celebranti ex integro et in ispecie sua esse tradendam, sublatis declarationibus, indultis, privilegiis, rescriptis sive perpetuis sive ad tempus, ubivis, quovis titulo, forma vel a qualibet auctoritate concessis et huic legi contrariis.

10. Ideoque libros, sacra utensilia vel quaslibet alias res vendere aut emere, et associationes (uti vocant) cum diariis et ephemeridibus inire ope missarum, nefas esse atque omnimo prohiberi. Hoc autem valere non modo si agatur da missis celebrandis, sed etiam si de celebratis, quoties id in usum et habitudinem cedat et in subsidium alicuius commercii vergat.

11. Item sine nova et speciali S. Sedis venia, (quae non dabitur nisi ante constiterit de vera necessitate, et cum debitis et opportunis cautelis), ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent, non licere quidquam detrahere ut ipsorum decori et ornamento consulatur.

12. Qui autem statuta in praecedentibus articulis 8, 9, 10 et 11, quomodolibet aut quovis praetextu perfringere ausus fuerit, si ex ordine sacerdotali sit, suspensioni *a divinis* S. Sedi reservatae et ipso facto incurrendae obnoxius erit; si clericus sacerdotio nondum initiatus, suspensioni a susceptis ordinibus pariter subiacebit, et insuper inhabilis fiet ad superiores ordines assequendos; si vero laicus, excommunicatione latae sententiae Episcopo reservata obstringetur.

13. Et cum in const. *Apostolicae Sedis* statutum sit excommunicationem latae sententiae Summi Pontifici reservatae subiacere « colligentes eleemosynas maioris pretii, et ex iis lucrum captantes, « faciendo eas celebrare in locis ubi missarum stipendia minoris « pretii esse solent » S. C. declarat, huic legi et sanctioni per praesens decretum nihil esse detractum.

14. Attamen ne subita innovatio piis aliquibus causis et religiosis publicationibus noxia sit, indulgetur ut associationes ope missarum iam initae usque ad exitum anni a quo institutae sunt protrahantur. Itemque conceditur ut indulta reductionis eleemosynae missarum, quae in beneficium Sanctuariorum aliarumve piarum causarum aliquibus concessa reperiuntur, usque ad currentis anni exitum vigeant.

15. Denique quod spectat missas beneficiis adnexas, quoties aliis sacerdotibus celebrandae traduntur, Eminentissimi Patres declarant ac statuunt, eleemosynam non aliam esse debere quam synodalem loci in quo beneficia erecta sunt.

Pro missis vero in paroeciis aliisque ecclesiis fundatis eleemosynam, quae tribuitur, non aliam esse debere quam quae in fundatione vel in successivo reductionis indulto reperitur in perpetuum taxata, salvis tamen semper iuribus, si quae sint, legitime recognitis sive pro fabricis ecclesiarum, sive pro earum rectoribus, iuxta declarationes a S. C. exhibitas in *Monacen.* 25 Iulii 1874 et *Hildesien.* 21 Ianuarii 1898.

In *Monacen.* enim « attento quod eleemosynae missarum quo- « rundam legatorum pro parte locum tenerent congruae paro- « chialis, Emi Patres censuerunt licitum esse parocho, si per se « satisfacere non possit, eas missas alteri sacerdoti committere, « attributa eleemosyna ordinaria loci sive pro missis lectis sive « cantatis ». Et in *Hildesien.* declaratum est, « in legatis missarum « aliqua in ecclesia fundatis retineri posse favore ministrorum et « ecclesiarum inservientium eam redituum portionem quae in li- « mine fundationis, vel alio legitimo modo, ipsis assignata fuit « independenter ab opere speciali praestando pro legati adimple- « mento ».

Denique officii singulorum Ordinariorum erit curare ut in singulis ecclesiis, praeter tabellam onerum perpetuorum et librum in quo manuales missae quae a fidelibus traduntur ex ordine cum sua eleemosyna recenseantur, insuper habeantur libri in quibus dictorum onerum et missarum satisfactio signetur.

Ipsorum pariter erit vigilare super plena et omnimoda executione

praesentis decreti: quod Sanctitas Sua ab omnibus inviolabiliter servari iubet, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

3.

Decretum S. C. Concilii, 22 Maii 1907.

Recenti Decreto « *Ut debita* » diei XI mensis Maii MDMIV, haec S. Congregatio, varias complexa leges ante iam latas de Missarum oneribus religiose adimplendis, adiectis opportunis declarationibus interpositâque severa sanctione, providere studuit ut res omnium sanctissima summo apud omnes in honore esset, periculumque amoveretur, ne quis ullo modo piis fidelium voluntatibus quidquam detraheret. Hae tamen quum essent Sedis Apostolicae curae et Episcoporum sollicitudines, non defuerunt abusus ac legis violationes, super quae sacra eadem Congregatio excitandam denuo censuit Antistitum vigilantiam.

Constat enimvero, haud paucos, non obstantibus notissimis canonicis praescriptionibus, minime dubitasse de Missarum accepta stipe suo marte demere aliquid, retentâque sibi parte pecuniae, ipsas Missas aliis celebrandas committere, ea forte opinione ductos, id sibi licere vel ob assensum sacerdotis, animo plus minus aequo recipientis, vel ob finem alicuius pii operis iuvandi, exercendaeve caritatis.

Fuerunt etiam qui contra toties inculcatas leges, praesertim contra num. 3.^{m} eiusdem Decreti, hoc genus industriae sibi adsciverunt ut Missarum numerum, quem possent maximum, undique conquisitum colligerent. Quo haud semel factum est, ut ingens earum copia manibus privatorum hominum fuerit coacervata; ideoque manserit obnoxia periculo, quod quidem, remotâ etiam humana malitia, semper imminet rebus privatae fidei commissis.

Denique sunt reperti qui, a lege discedentes expressa num. 5.° Decreti, Missas celebrandas commiserint, non modo copiosius quam liceret largiri privatis, sed etiam inconsideratius; quum ignotis sibi presbyteris easdem crediderint, nominis titulive alicuius specie decepti, vel aliorum commendationibus permoti, qui, nec eos plane nossent, nec assumpti oneris gravitatem satis perspectam haberent.

Talibus ut occurratur disciplinae perturbationibus utque damna gravissima, quae violationem Decreti « *Ut debita* » consequi solent, pro viribus propulsentur, haec S. Congregatio, iussa faciens SSmi D. N. Pii Papae X, Episcopos omnes aliosque Ordinarios admonet, ut curam omnem et vigilantiam adhibeant in re tanti momenti, edo-

ceantque clerum et administratores piorum legatorum, quanta ex inobservantia et contemptu legis pericula proveniant; quo onere ipsorum conscientia gravetur; quam temere arbitrium suum legibus anteponant, quas diurna rerum experientia ad rei augustissimae tutelam collocavit; qua denique sese culpa obstringant; quibus poenis obnoxii fiant.

At malo radicitus extirpando Emi Patres necessarium insuper censuerunt huc usque praescriptis nova quaedam addere. Itaque re discussa primum in Congregatione diei 23 mensis Martii 1907, ac denuo in sequenti die 27 Aprilis, sub gravi conscientiae vinculo ab omnibus servanda haec statuerunt:

I. Ut in posterum quicumque Missas celebrandas committere velit sacerdotibus, sive saecularibus sive regularibus extra diocesim commorantibus, hoc facere debeat per eorum Ordinarium, aut ipso saltem audito atque annuente.

II. Ut unusquisque Ordinarius, ubi primum licuerit, suorum sacerdotum catalogum conficiat, describatque Missarum numerum, quibus quisque satisfacere tenetur, quo tutius deinceps in assignandis Missis procedat.

III. Denique si qui vel Episcopi vel sacerdotes velint in posterum Missas, quarum exuberet copia, ad Antistites aut presbyteros ecclesiarum quae in Oriente sitae sunt mittere, semper et in singulis casibus id praestare debebunt per S. Congregationem Propagandae Fidei.

His autem omnibus ab infrascripto Secretario relatis eidem SSmo D. N. in audientia diei 28 mensis Aprilis, Sanctitas Sua deliberationes Emorum Patrum ratas habuit et confirmavit, easque vulgari iussit, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

4.

Declarationes S. C. Concilii circa Decreta « Ut debita » et « Recenti ».

A) — ALIPHAN, 19 Decembris 1904.

Circa interpretationem Decreti super Missas manuales.

Beatissime Pater:

Episcopus Aliphanus humiliter petit solutionem sequentium dubiorum, quae sese referunt ad Decretum *Ut debita sollicitudine,* editum a S. Congr. Concilii, die 11 Maji 1904.

I. An Missae, quae ex onere perpetuo inhaerent ecclesiae, monasterio, confraternitatibus aut locis piis quibuscumque; sed in nulla ecclesia sunt constitutae, ita ut a quolibet sacerdote pro administratorum arbitrio ubivis applicari possint, accenseri debeant inter fundatas vel potius inter manuales ad effectum decreti?

II. An sacerdotes, quibus a rectoribus seu administratoribus ecclesiarum committitur satisfactio unius aut plurium legatorum Missarum, in ecclesia fundatorum possint pro suo arbitrio committere earum Missarum celebrationem aliis sacerdotibus cum minori eleemosyna etiam extra ecclesiam propriam?

III. An sacerdotes fruentes capellaniis fundatis sive ecclesiasticis sive laicalibus possint aliis sacerdotibus Missas suarum capellaniarum celebrandas committere statuta eleemosyna suo arbitrio?

IV. An Episcopus possit sub censuris latae sententiae compellere sacerdotes, beneficiatos et administratores locorum piorum in fine cujuslibet anni ad sibi tradendas Missas, quibus infra annum non satisfecerint, et sub iisdem poenis illis prohibere ne mittant extra dioecesim?

DIE 19 DECEMBRIS 1904.

Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres praedictis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. Habendas esse ad instar manualium.

Ad II. Non posse.

Ad III. Negative, et servandas esse dispositiones articuli XV decreti.

Ad IV. Contra transgressores articuli IV citati decreti Episcopum procedere posse in particulari, servatis de jure servandis, etiam cum censuris.

VINCENTIUS, Card. Episc. Praenest., praefectus.

L. ✠ S. Caietanus De Lai, secretarius.

B) — SANCTI DEODATI, 27 Februarii 1905.

Dubia de Missarum stipendiis.

BEATISSIME PATER:

Episcopus Sancti Deodati ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humillime exponit;

I. Mos invaluit in sua dioecesi ut Vicarii apud parochos in domo curiali degentes pensionem non argento exsolvant, sed Missae suae

quotidianae, sive lectae sive cantatae eleemosynam parocho dimittant. Quaeritur utrum mos ille licite possit retineri.

II. Vigore plurium indultorum idem Episcopus Orator concedere potest sacerdotibus suae dioecesis facultatem recipiendi eleemosynam vel pro secunda Missa, vel pro Missis dierum festorum in Gallia suppressorum, dummodo supradicta eleemosyna pro suae dioecesis operibus piis applicetur. Porro vestigiis trium suorum antecessorum inhaerens idem Orator Episcopus concessit sacerdotibus, ut quaecumque sit eleemosynae quantitas, ad Cancellariam episcopalem non mittatur nisi eleemosyna synodalis, id est Lib. 1.50. Quaeritur an haec Episcopi concessio sit legitima.

DIE 27 FEBRUARII 1905.

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative,* dummodo et quousque excessus in modo aut alius abusus non oriatur, super quo Ordinarii erit vigilare.

Ad II. *Negative.*

† VINCENTIUS, Card. Episc. Praenest., praefectus.

L. ✠ S. Caietanus De Lai, secretarius.

C) — LEOPOLIEN, 27 Februarii 1905.

Quoad interpretationem Decreti « De Observandis ».

BEATISSIME PATER:

Archiepiscopus Leopoliensis Ruthenorum relate ad decretum S. C. Concilii, diei 11 Maii 1904, quoad Missas manuales, humiliter petit solutionem sequentium dubiorum:

I. An juxta art. 2, termini persolutionis statui possint:

Usque	ad	10	Missas	1	mensis.
»	»	20	»	2	»
»	»	40	»	3	»
»	»	60	»	4	»
»	»	80	»	5	»
»	»	100	»	6	»

et ita pro quibuslibet 20 Missis unum mensem addendo.

II. An hi termini intelligantur seorsim quoad quemlibet stipendium offerentem, vel etiam intelligi possint cumulative quoad omnes aliqua occasione, v. gr.: in aliqua solemnitate offerentes: ita ut

si tunc stipendia offeruntur a 100 oblatoribus a quolibet pro una Missa, omnes hae Missae in termino sex mensium persolvi debeant.

III. An in casu art. 7 pro sacerdotibus qui ab Ordinario stipendia accipiunt, termini currant non a die quo primarii offerentes stipendia dederunt, sed ex concessione Apostolicae Sedis a die quo Ordinarius ipsis stipendia tribuit.

IV. An ista stipendia, etsi primario a pluribus offerentibus data, tamen in casu art. 7, tamquam ab uno scilicet Ordinario oblata censenda sint.

V. An liceat Ordinario omnibus his Missis communem generalem intentionem (ad intentionem dantium) praescribere etsi a primaris offerentibus speciales intentiones praescriptae fuissent.

DIE 27 FEBRUARII 1905.

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. Rem relinqui discreto judicio et conscientiae sacerdotum juxta Decretum et regulas a probatis doctoribus traditas.

Ad II. *Affirmative* ad primam partem: *negative* ad secundam dummodo aliter non constet de voluntate oblatorum:

Ad III. *Affirmative,* id est, obligationem incipere a die, quo sacerdotes Missas celebrandas ab Ordinario recipiunt.

Ad IV. Episcopus curet, ut, quatenus fieri possit, Missae, a pluribus receptae, a pluribus sacerdotibus tempore debito satisfiant.

Ad V. Sufficere ut sacerdotes celebrent juxta mentem Ordinarii: qui tamen intentionem pro singulis offerentibus efformare debet juxta regulas a probatis Theologiae moralis auctoribus traditas. Melius tamen esse si patefiant sacerdotibus intentiones praescriptae.

† VINCENTIUS, Card. Ep. Praenest., praefectus.
L. ✠ S. Caietanus De Lai, secretarius.

D) — CONGREGATIO SPIRITUS SANCTI, 27 Februarii 1905.

Postulata super Decreto «De observandis».

BEATISSIME PATER:

Superior Generalis Congregationis a Spiritu Sancto, humiliter postulat:

I. An ad art. 7 Decreti *De observandis* diei 11 Maii 1904, sub nomine Ordinariorum veniant quoque Praelati Regulares pro suis respectivis subditis.

II. An Episcopi dioecesani et Praelati Regulares, qui aliis Episcopis seu Praelatis Regularibus Missas cum sua eleemosyna celebrandas tradiderint, ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevati censeantur; an potius obligatione teneantur usque dum peractae celebrationis fidem sint assequuti.

DIE 27 FEBRUARII 1905.

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative* ad primam partem: *negative* ad secundam.

† VINCENTIUS, Card. Ep. Praenest., praefectus.

L. ✣ S. Caietanus De Lai, secretarius.

E) — BREDANEN, 25 Februarii 1905.

Dubiorum super eleemosynis Missarum.

Per summaria precum.

I. In dioecesi Vicarii (adjutores parochorum) in domo parochi tamquam ejus familiares degunt communi utentes victu. Parochis pro Vicarii victu et servitio salarium modicum ex ecclesiae reditibus solvitur: quod ferendis his expensis impar est. Unde consuetudine introductum est ut, pro victu et servitio, Vicarii parochis in cumulo cedant fructus missarum pinguiarum et Vicariis tribuatur stipendium ordinarium Missae lectae unius floreni. In hoc casu stipendii ordinarii augmentum solvitur parocho pro victu et servitio, ita tamen ut ex stipendiis pinguioribus non plus retineatur quam honesta compensatio postulat.

II. Ad providendum honestae suae sustentationi, parochi in pluribus dioecesis locis Missas non in determinata Ecclesia fundatas, anniversaria necnon alias Missas manuales, quae per annum a fidelibus offeruntur quaeque parochi eorumve Vicarii celebrare nequeunt, e suggestu publicant et alibi celebrari curant, retenta sibi parte stipendii pro administratione et publicatione. Ita v. gr. pro Missis, quae ad S. Congregationem quovis mense mittuntur ad f. 0.60, a fidelibus saepe offertur stipendium unius floreni. Quoad Missas fundatas et anniversaria, quae per annum offeruntur, haec praxis fere communis est ac populo haud raro nota. Quoad alias Missas manuales hic usus solummodo viget in parochiis ubi cum consensu

Ordinarii e suggestu publicatum est partem stipendii, nisi fideles obstent, retentum iri pro sustentatione parochi Missasque aliis sacerdotibus dicendas traditum iri.

III. Una alterave adest parochia, ubi Vicarii omnes fere Missas ad intentionem parochi celebrare debent, qui eis praestet victum et servitium, dum ipsi ex aerario ecclesiae determinatam obtinent pensionem.

« Dubitatur num triplex haec consuetudo a decreto S. C. Concilii, diei 11 Maii 1904, *De observandis etc.*, sit reprobata ».

Resp. — Attentis omnibus ad I et III consuetudinem sustineri.

Ad. II. *Non sustineri et ad mentem.*

F) — SOCIETATIS SS. SALVATORIS, 27 februarii 1903.

Circa decretum « De observandis ».

Beatissime Pater:

P. Pancratius Pfeiffer, Procurator Generalis Societatis Divini Salvatoris, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humillime exponit:

Societas Divini Salvatoris quotannis magnum numerum recipit S. Missarum, quibus ipsa per suos sacerdotes persolvendis impar esse solet. Hucusque Societas fruebatur privilegio, quo obligationibus Missarum persolvendarum, exceptis Missis urgentibus, infra sex menses satisfacere posset; quas vero per suos sacerdotes celebrare non poterat, eas tradere sibi liceret S. C. Visitationis Apostolicae cum stipendio reducto unius libellae, tradita quarta parte harum Missarum cum stipendiis suis integris. Cum Societas, quae indiget quam maxime auxilio amicorum et benefectorum, Missas per litteras plerumque oblatas sine gravi incommodo et damno refutare nequeat, humilis Orator enixe supplicat:

I. Ut praefata Societas etiam in posterum quasvis Missas accipere possit, etiamsi praevideat futurum esse ut per suos sacerdotes eas celebrare nequeat.

II. Ut obligationibus S. Missarum infra tres menses satisfacere possit, exceptis urgentibus et iis quas accepit statim persolvendas.

III. Ut attestatio Missarum acceptarum, licet nondum persolutarum, a Societate scripto data, Societatem ipsam ad omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevet.

IV. Denique supplicat idem humilis Orator ut Societas S. Missarum partem aliquam a Sancta Sede statuendam in utilitatem Collegi Mariani Romani ejusdem Societatis, retinere possit.

DIE 27 FEBRUARII 1903.

S. Concilii Tridentini Interpres, vigore facultatum a SSmo Dno Nostro Pio PP. X sibi tributarum, propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative,* vetita tamen studiosa collectione, ita nempe ut accipere possit Missas sponte oblatas, minime vero ab Episcopis aut sacerdotibus eas quarere.

Ad II. Pro gratia juxta petita.

Ad III. Pro Missis S. Sedi, Episcopis dioecesanis aut Superioribus Generalibus Ordinum seu Congregationum Religiosarum datis, *affirmative.* Pro Missis privatis sacerdotibus commissis *negative,* et servetur dispositio Decreti *De servandis.*

Ad IV. Pro gratia retinendi duas pro singulis centenis. Praesentibus ad quinquennium valituris.

† VINCENTIUS, Card. Ep. Praenest., praefectus.
L. ✠ S. Caietanus De Lai, secretarius.

G) — TARRACONEN, 8 Martii 1905.

REMUNERATIONIS PRO COLLECTIONE MISSARUM.

Statuitur taxa trium pro centum favore collectoris et distributoris Missarum ex officio.

FACTISPECIES. — Ex diuturno tempore in archidioecesi Tarraconensi quidam sacerdos, Ordinarii auctoritate, manuales Missas colligit ac sacerdotibus distribuit, sibi retinendo quinque pro centum in retributionem laboris, in emptionem librorum rationum atque in damni compensationem, si forte monetas adulteratas aliquando recipiat. Hujusmodi collector singulis annis pro 4.850 circiter Missis collectis Archiepiscopo rationem reddit, qui praeterea dioecesano Missarum acervo ob stipendii penuriam pro Missis celebrandis non parvas pecuniarum summas, quibus ipse libere uti potest, applicat. Modo actualis Missarum collector, ob decretum H. S. C. *De observandis et evitandis,* 11 Maii 1904 anxietate affectus, saltem ad tempus postulat facultatem retinendi dictam stipendii partem; quod Archiepiscopus enixis precibus commendat.

RESOLUTIO. — Emi Patres S. Congregationis Concilii, re mature discussa, die 8 Martii 1905, respondendum censuerunt:

Pro gratia ad quinquennium, retinendi tria pro centenis facto verbo cum SSmo.

H) — CADURCEN, 17 Jun. 1905.

Satisfactionis Missarum.

« Il Vescovo di Cahors (in Gallia) espose alla S. C. che nel Santuario di *Roc-Amadour* sogliono da lungo tempo soddisfarsi ogni anno le messe manuali facendosi celebrare a sei cappellani, addetti pure alle missioni della diocesi, con intenzione generale per tutti gli oblatori, ridottone il numero alle messe quotidiane dei prefati cappellani, i quali per altro possono, benchè raramente, applicare per qualcuno che lo richiegga per sè. Aggiunge che quest'uso mette capo al 1716, ed è come un quasi contratto intervenuto fra il Santuario ed il popolo, il quale è informato di questo uso da un'ordinanza vescovile affissa all'ingresso della chiesa, ed a due altri siti o stazioni abitate da pellegrini; ed i preti stessi che ricevono le elemosine lo avvertono a quegli oblatori che sembrano d'ignorarlo. Chiedeva per ciò se quest'uso potesse continuarsi; ovvero fosse opposto al recente decreto *De observandis et evitandis.*

« Domandate al Vescovo più esatte spiegazioni, questi riferì che le messe in media sono 4200 all'anno, e lo stipendio di ciascuna messa, per la gran maggioranza, è di due franchi; per un certo numero, di una somma minore; per pochissime, di maggior somma. Per conseguenza si versano in media annualmente fr. 8400 per 4200 messe, e si celebrano messe 1980 da sei cappellani.

« Esaminato accuratamente il caso, nei pieni comizi del 17 giugno 1905, la S. C. rescrisse:

Ad mentem.

De hoc rescripto S. C. C. cfr. *Monitore Ecclesiastico,* vol. 17, pagg. 367 seqq., ubi Emus Gennari haec scribit: « Nel caso la S. C. ha rescritto *Ad mentem*, con che non ha condannato assolutamente l'uso; ma ha prescritte quelle condizioni che valgano ad impedire ogni possibile abuso ».

I) — S. C. C., 9 septemb. 1907.

De licita Missarum distributione in Oriente etiam per Delegatos Apostolicos et per Superiores religiosos.

Proposti alla S. C. del Concilio i dubbi:

I. Se i Delegati Apostolici siano compresi nella disposizione dell'art. III del decreto *Recenti* 22 maggio 1907, col quale è vie-

tato d'inviare direttamente messe « Ad Antistites et presbyteros ecclesiarum, quae in Oriente sitae sunt »;

II. Se i Superiori degli Ordini ed istituti religiosi possano mandare direttamente ai loro soggetti esistenti in Oriente intenzioni di Messe con le rispettive elemosine.

S. Congregatio respondit:

Ad I. Negative; ita ut nempe mitti possint ad praefatos Rmos Delegatos missarum intentiones cum respectiva eleemosyna, ut eas distribuant dumtaxat Praelatis et sacerdotibus Delegationis suae.

Ad II. Affirmative et taxative pro religiosis subditis suis, non vero pro ceteris.

SSmus Dnus Noster in audientia diei 9 Septembris 1907, audita relatione infrascripti Secretarii S. C. Concilii, benigne ratam habuit et approbavit resolutionem S. Congregationis, et insuper mandavit ut pro ceteris omnibus servetur dispositio decreti.

† Vincentius Card. Ep. Praenest., praefectus.
C. De Lai, secretarius.

Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 41, pag. 145 et seqq.

XIV.

(**Summ.**, P. III, Lib. III, Tr. III, § 301, *not.* 3).

An hereticus, qui reversus ad fidem rebaptizatur, debeat confiteri quae admisit ab ultima confessione ante repetitum baptismum?

Quae paucis attingit Auctor circa quaestionem de confessione a neo-conversis rebaptizatis peragenda, ut rite aestimentur, atque una simul, si fieri potest, aditus praecludatur concertationibus, quibus hac de re inter se digladiantur Theologi, nonnulla heic animadvertenda sunt.

I. Quatuor sunt documenta, quae circa praesentem controversiam a S. Univ. Inquisit. hactenus prodiere.

1m Documentum spectat ad casum certi cujusdam Caroli Ferdinandi Wippermann de Rostock in Ducatu Muxlemburgh, e secta Lutheranorum, de quo dubitabatur, utrum baptismus eidem collatus validus necne esset. Re per S. O. Clementi XI P. M. delata, die 17 Junii 1715, ad dubium: « An dictus Wippermann sit rebaptizandus? et quatenus affirmative: an absolute vel sub conditione? et quatenus affirmative (i. e. sub conditione): an confessio praepo-

nenda sit vel postponenda baptismo conferendo sub conditione? SSmus, auditis votis Emissimorum dixit: Carolum Ferdinandum esse rebaptizandum sub conditione, et, collato baptismo, ejus praeteritae vitae peccata confiteatur, et ab iis sub conditione absolvatur ». (Collect. S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 286, Edit. 2ª).

2m Documentum respicit dubium propositum ab Episcopo Philadelphiae circa professionem fidei ac absolutionem haereticorum dum convertuntur; cui Emi DD. Fer. IV die 20 Julii 1859 decreverunt dandam esse instructionem, juxta quam « triplex in conciliandis haereticis distinguitur procedendi methodus: 1. Si Baptismus absolute conferatur, nulla requiritur abjuratio nec absolutio, eo quod omnia abluit sacramentum regenerationis. 2. *Si Baptismus sit sub conditione iterandus, hoc ordine procedendum erit*: a) *abjuratio seu fidei professio.* b) *Baptismus conditionatus.* c) *Confessio sacramentalis cum absolutione conditionata.* 3. Quando denique validum judicatum fuerit Baptisma, sola recipitur abjuratio seu fidei professio quum absolutio a censuris sequitur ». (Collectan. S. C. de Prop. Fide, Edit. 2ª, vol. I, n. 1178).

3m Documentum respicit postulatum Archiepiscopi Westmonasteriensis et Episcoporum Angliae circa Decretum Synodi Provincialis Westmonasteriensis sub cap. XVI, n. 8, ubi sermo est de abjuratione Protestantium adultorum, et de baptismate sub conditione eis conferendo, et additur: « Confessio etiam sacramentaliter semper in tali casu est exigenda ». « Quaeritur: An debeat juxta Synodi Provincialis decretum a S. Sede probatum, Confessio sacramentalis a neo-conversis in Anglia exigi, et an debeat esse integra. Et ad utramque dubii partem EEmi respondendum esse censuerunt (die 17 Decembris 1868): Affirmative; et dandum esse decretum latum sub Fer. V, die 17 Junii anni 1715 ». (Acta S. Sedis, vol. IV, pagg. 323 et seqq.; Collectan, S. C. de Prop. Fide, Edit. 2ª, vol. II, n. 1338).

4m Documentum exhibet dubium S. Officio propositum: « An catechumeni confiteri possint sacramentaliter antequam baptizentur sive absolute, sive conditionaliter »; cui dubio EEmi PP. Inquisitores responderunt (die 2 Dec. 1874): « Quoad confessionem ante baptismum absolute conferendum, *negative*: quod si nihilominus catechumenus velit sese confiteri, instruatur, id nullatenus haberi posse sub ratione Sacramenti, cum nequeat absolutio impertiri, nec teneri missionarium ad secretum servandum. Si vero agatur de iis qui debent baptizari sub conditione, tunc poterunt ad majorem functionis ecclesiasticae facilitatem prius audiri sacramentaliter

quoad eorum culparum accusationem; deinde post collationem baptismi sub conditione Confessarius, iterum reassumptis per summa capita cum poenitente iis de quibus jam accusationem fecerit, absolvat sacramentaliter pariter sub conditione ». (Collectan. S. C. de Prop. Fid., Edit. 2ª, vol. II, n. 1426).

II. Age nunc: ut horum documentorum S. O. vis et ratio in propatulo collocetur, illud praeprimis recolendum est, quod DD. tradunt generatim de declarationibus, quae a SS. RR. CC. prodeunt: videlicet declarationes has quandoque *formaliter* esse *particulares,* sed *aequivalenter* universales omnino esse; quando nimirum ratio decreti valet aequaliter pro omnibus, utpote quia decisio pendet ab interpretatione legis, quae universalis est, omnesque obligat. (Cfr. Weruz, *Ius Decret.,* tom. I, n. 145, Edit. 2ª).

III. Quo quasi fundamento posito, quod spectat in specie ad responsum S. C. 17 Decembris 1868 ad Episcopos Angliae, fatendum quidem est, declarationem hujusmodi *formaliter* esse particularem, videlicet pro Anglis neo-conversis qui sub conditione rebaptizantur; ast *aequivalenter* universalem esse, quatenus ratio, qua S. Congregatio S. O. permota fuit ad dandum responsum illud, non quidem ex specialibus Anglorum adjunctis petita fuit; sed potius ex universali principio, quod omnes indiscriminatim casus afficit eorum qui, ob dubium valorem prioris baptismi, sub conditione rebaptizantur. Porro id multiplici ex capite luculenter evincitur. Scilicet:

a) in primis ex ipsa agendi ratione S. Officii, uti ex hujus responsis seu Instructionibus in lucem editis constat.

Ac 1º quidem *negative;* quatenus in responso ad postulatum Archiepiscopi Westmonasteriensis nullum, ne levissimum quidem, indicium prostat, ex quo argui possit, a S. Congregatione S. O. rationem habitam fuisse specialium adjunctorum, in quibus Angli neo-conversi versabantur. Nimirum S. O. per Decret. 17 Decemb. 1868 sancivit quidem, ab Angliae neo-conversis integram peccatorum confessionem persolvendam esse. Ast de rationibus quibus permotus fuit ad illud decretum dandum, Sacer Ordo penitus conticescit. Porro nemo diffitebitur, rationes hujusmodi alias esse potuisse, quam quae ab Angliae Episcopis in supplici libello, cui per Decretum praedictum S. Univ. Inquisitio respondet, proferuntur; idque eo vel magis affirmandum, quo leviores se produnt rationes, quae ex specialibus Anglorum adjunctis depromebantur. Cfr. Gury-Ballerini, *Comp. Th. Mor.*, II, 419, not. (*a*), pag. 282, Edit. 4ª.

2° *Positive.* Etenim, si prae oculis habeantur Instructiones binae, quae a S. O. prodierunt, tum ad Episcopum Philadelphiae die 20 Julii 1859, tum ad dubium propositum die 2 Dec. 1872, dubitari nequit, quin praxis hujusmodi, exigendi nempe a rebaptizatis integram confessionem, generatim in more posita penes S. O., atque jamdudum ab hoc servata sit, uti videre est praesertim ex Decreto 17 Junii 1715, quod in casu Caroli Ferdinandi Wippermann latum fuit. Quam ob rem responsum S. O., datum Archiepiscopo Westmonasteriensi circa neo-conversos in Anglia, non aliter accipiendum est nisi ut applicatio ad casum particularem Anglorum praxis illius quae in casibus quibuscumque id genus jugiter a S. O. servata est. Et re quidem vera responsio S. O. 17 Dec. 1868 ad Episcopos Angliae innititur decreto diei 27 Junii 1715, ad quod expressis verbis appellat. Porro, cum decretum hoc, latum in casu Caroli Ferdinandi Wippermann, non ad Angliàm sed ad Germaniam referatur, aperte evincit, aliud responsum diei 17 Dec. 1868 non spectare solum ad specialia Angliae adjuncta, ut Ballerinius ipse fatetur; simulque ostendit, S. Officium implicite censuisse, in Decreto anni 1715 non de particulari facto, sed de causa ipsa in genere judicatum esse, ut scite animadvertit Lehmkuhul (*Theol. Mor.* II, n. 321).

b) Ex ratione teologica. Scilicet: 1° Ultima et fundamentalis ratio praxis hujusmodi, juxta quam ii, de quorum baptismatis valore dubitatur, generatim obbligationibus Christianorum propriis et in specie obligatione confitendi peccata ipso jure divino obstringuntur, ex eo repetenda est, quod nempe, semel admissà sententia contraria, quae dubie baptizatos eximit ab hujusmodi obligationibus, aditus pateret hallucinationibus gravissimis quibus, non sine maximo religiosae societatis detrimento, privati homines facillime abriperentur. Requidem vera, si ratio habeatur subjectivae dispositionis animi qua quisque comparatus est, ac prae oculis simul habeantur peculiaria personarum adjuncta, pene dixerim innumera quae, sive ob ignorantiam, sive ob inordinatam passionum vim, in animum vehementer influere possunt; nil mirum, si ex praedicta sententia facile occasionem quis accipiat dubitandi de proprii baptismi valore; atque ita pedetentim viam sibi sternat primo quidem ab submovendum, deinde ad funditus convellendum fundamentum obligationum quarumlibet, quae christianorum propriae sunt, ut tandem ad eas a se procul omnino abjiciendas pertingat. Nec refert, utrum jure id, an injuria fiat, hoc est, utrum solida necne sit ratio dubi-

tandi de valore baptismi. Agitur enim heic de hallucinationibus, quae non sinunt quempiam in re serio et objective expendenda consistere, et in quibus ut plurimum res eo redit, ut privato et subjectivo hallucinati hominis judicio eadem tandem resolvatur. Fatendum enimvero est, in casibus idgenus ab homine hallucinato existimari rectum et prudens esse judicium a se de objecto prolatum, quamvis judicium hoc, utpote solido fundamento forsitan destitutum, imprudens plane sit. Ceterum hallucinationes hujusmodi in subjecta materia, de qua agimus, absolute possibiles esse, nemo sanus inficiabitur, nec propterea est cur multis id persequamur.

Accedit, ejusmodi hallucinationum periculum, nedum possibile, sed etiam in praesenti materia probabilissimum esse. Quandoquidem, ceteris praetermissis, tum anteactis temporibus semper extiterint, tum hodiedum quoque non desint plures ex baptizatorum numero, qui, vesanis cupiditatibus acti, obligationibus ex certo baptismo susceptis nuntium remiserint. Porro, si, ad plures quod attinet, apostasia hujusmodi locum habere potuit, quamvis probe ii sciverint, ob defectionem istam a se jura omnia, humana et divina, foede proculcari; quanto facilius id accideret, si altas in animis radices ageret persuasio de obbligationum quae christianorum propriae sunt, nullitate, quando de baptismi valore dubitari merito posset? Equidem ad hujusmodi dubium in se ipsis ciendum vel fovendum haud infrequenter apostatae illi omni ope contenderent, nempe ut apostasiam suam tum secum ipsis, tum coram Ecclesia cohonestarent.

At, praeter possibilitatem atque probabilitatem harum hallucinationum, quae, pro casuum diversitate, plus minusve imputabiles esse possunt, ut gravitas quoque periculi hujus, apprime ostendatur, fac sedulo animadvertas, dubium, de quo supra, animum pervadere posse cujuslibet baptizati hominis, sive clericus ille sit, sive laicus, sive tandem religiosus. Porro triplex hoc baptizatorum genus, ex quo, tota quanta est, coalescit Ecclesia, in omnimoda firmitate *status* ex lege tum canonica, tum positivo-divina constitutum est ob officia quibus adstringitur ex causa permanente; eujusmodi est ex una parte character indelebilis sive baptismi, sive sacrae Ordinationis, quo quis obligationem suscipit Deo in Ecclesia ejus serviendi vel ministrandi; ex altera parte religiosa professio qua quis per tria vota perpetua se obligat ad perfectionem sectandam. Agejam: semel ac quis in animum induxerit suum, in probabili dubio circa baptismum, sive quoad jus sive quoad factum, statim evanescere obligationes, quae Christianorum propriae sunt, jam, ad praxim quod spectat, is facile prosilire posset ad id consilii

capessendum, quod logice ex sententia praedicta profluit: videlicet, is jure tandem suo se uti censebit, si, posito illo dubio, perinde se gerat quasi numquam baptismum susceperit, neque Ecclesiae subditus sit. Hoc autem semel admisso, quisque facile intelligit, triplicis status, de quo modo diximus, firmitatem, cui, veluti cardini ostium, societas religiosa innititur, nutare vel etiam funditus convelli; quod certe in publicum, idque gravissimum, vergeret ejusdem societatis detrimentum (1).

Atqui his malis, eorumdemque periculo Christus Dominus, qui Societatis religiosae aeque ac legis de confessione peragenda auctor est, dicendus plane est remedium suppeditasse, nisi per blasphemiam dicere velis, ipsum in re gravissima, quae publicum ejusdem societatis bonum afficit, defecisse. Porro remedium unicum ad tot tantorumque malorum pericula propulsanda, ex dictis in hoc situm est, ut scilicet, quamdin dubium de valore baptismi perdurat, « *standum sit pro valore actus* seu baptismi, atque adeo obligationes omnes quae aliquo nexu cum eodem consociantur, in suo vigore maneant. Quare cum post baptisma non aliud in Ecclesia supersit Sacramentum, quo Deo peccatores reconciliari possint, praeter sacramentum poenitentiae quo peccata integre manifestanda sunt, ab hac obligatione solvi, *ex ipso divino jure* nec debent nec possunt, ii omnes qui, baptismate in haeresi suscepto, de cujus nullitate non constat, in Ecclesiae Catholicae sinum redeunt ». (Acta S. Sedis, vol. IV, pag. 323 et seq.).

2. Hoc enimvero principium: « in dubio, nedum negativo sed etiam positivo, standum esse pro valore actus », nisi de ejusdem nullitate constet, et manere obligationes quae ex actu illo profluunt, hoc, inquam, principium adoptatum est etiam in casibus dubii de valore tum Sacrae Ordinationis, tum professionis religiosae, tum denique Matrimonii; quae quidem tria, plane ut baptismus, conditionem stabilem et permanentem, seu *statum* in personis constituunt. (Cfr. Vermesch, *De Relig. Inst.,* tom. I, p. I, c. 1, § 2, nn. 5 et seqq.; *Acta S. Sedis,* vol. I, pag. 328 et seqq.; vol, II,

(1) Ad incomoda haec gravissima non satis animadverterunt quidam ex recentioribus Theologis, qui indiscriminatim affirmare non dubitant, dubie baptizatos, perdurante dubio, ab obligationibus Christianorum propriis solutos esse. Verum enimvero si res ita se haberet, cur non item affirmandum esset etiam de ordinatis, de conjugatis et de Religiosis professis, eos nempe solutos esse ab obligationibus quae sive a S. Ordinatione, sive a matrimonio, sive a professione religiosa profluunt, quando dubium aliquod rationabile de horum validitate suboritur? Attamen id communi DD. doctrinae penitus refragatur.

pag. 443 et seqq.: Ballerini-Palmieri, *Op. Th. Mor.*, vol. IV, Edit. 3ª, nn. 50 et seqq.; Gasparri, *Tract. Can. De Matrim.*, Edit. 3ª, vol. I, n. 18). Ac in specie ad casum quod spectat dubii de valore matrimonii jam initi, recolendum est, ecclesiasticam jurisprudentiam semper pronuntiavisse, pro valore standum esse; adeo ut juribus quoque conjugalibus, in casu dubii insolubilis, conjuges omnino uti queant. (Cfr. Bucceroni, *Inst. Th. Mor.*, II, n. 1032, Edit. 5ª). Qua in re fac animadvertas luculentissimum exemplum prostare interpretationis juris divini, ex quo indissolubilitas Matrimonii repetenda est; ita ut haec prorsus permaneat et cum eadem simul vigeant jura quoque et obligationes Matrimoniales etiam quando de matrimonii valore dubitatur.

Equidem neminem latet, hisce in casibus ad adstruendam existentiam obligationum, quae, non obstante supradicto dubio insolubili, ex jure vel naturali vel divino aut ecclesiastico ab illis actibus solemnibus profluunt, in medium afferri principium *possessionis*; vi cujus, in dubio, possidet jus S. Ordinationis, professionis seu matrimonii; quam ob causam tria haec favore juris gaudere dicuntur. Sed si heic dumtaxat sistendum sit, neque enucleatius principium illud evolvatur, ut in propatulo collocetur vera et suprema ratio quae in illo implicite delitescit cur nempe in dubio melior sit conditio possidentis, idest, vel S. Ordinationis, vel professionis, vel Matrimonii; (dicam plane quod sentio) mens haud omnino acquiesceret; quia concipi vix ac ne vix quidem potest quomodo tandem entia impersonalia, hujusmodi sunt Ordinatio, professio et matrimonium, respective subjectum juris esse queant; ita ut, perinde ac personae, juribus ex possessione manantibus instruantur. (Cfr. Cavagnis, *Elem. Iur. publ. natur. et Eccl.*, Edit. 2ª, cap. 1, § 6-8). Quare subjectum juris hujusmodi, vi cujus, perdurante dubio, possidet Matrimonium, sive professio, sive S. Ordinatio, extra haec collocandum est: videlicet suprema ratio, cur tandem hisce in casibus, non obstante dubio, standum sit pro valore actus, et proinde pro existentia obligationum quae ex actu resultant, sita est in jure, quo Societas tum domestica, tum religiosa, itemque religiosa instituta gaudent, ne, extante illo dubio, gravissimis perturbationibus exponantur: quod quidem jus praevalet omnino juri privati alicujus, qui in casibus dubii putaret sibi fas esse ab obligationibus resilire, quibus vi Ordinationis, seu professionis vel matrimonii obstringitur. (Cf. Ballerini-Palmieri, loc. cit., n. 52). His ergo in casibus locum habet quaedam velut jurium collisio, in qua jus majus seu validius praevalet. Porro praevalentia haec juris majoris seu potioris unice repe-

tenda est ex principio seu ex jure quo constituuntur et legem accipiunt S. Ordinatio, Matrimonium et religiosa professio, videlicet ex jure naturali, divino-positivo, et partim etiam ex jure ecclesiastico, ex quo pleraeque oriuntur obligationes, quae praesertim S. Ordinationi et professioni religiosae adnexae sunt.

Age ergo: si in casibus dubii hactenus recensitis circa Matrimonium, S. Ordinationem et professionem religiosam in confesso est apud omnes, standum esse pro valore actus, quamdiu contrarium certo non constet, et nullatenus propter dubium nutare obligationes quae ex illis actibus solemnibus manant vi proprii juris quo iidem reguntur, idque ea nempe de causa, ut aditus praecludatur gravissimis perturbationibus, scandalis et praejudiciis quae in contraria hypothesi late in societatem domesticam et religiosam redundarent; a pari, imo multo magis id affirmandum est de casu dubii circa valorem baptismi, qui divino jure regitur. Dixi: multo magis; nemo enim non videt, juxta ea quae superius disputavimus, fore ut prae ceteris casibus perniciosiora evaderent consectaria in religiosam societatem, eaque latius paterent, semel ac adstrueretur, in casu dubii de baptismi valore evanescere obligationes quae propriae christianorum sunt. Quae cum ita sint, rursus merito inferimus, in casu dubii de valore baptismi, ex *ipso divino jure* quo baptisma institutum fuit et regitur, standum esse pro valore actus, obligationesque quibus certo baptizati obstringuntur, generatim vigere, quamdiu dubium perdurat.

3. Notandum, quae modo diximus, coarctanda non esse ad casum dumtaxat in quo circa baptismum obtinet dubium *juris* seu circa valorem; sed etiam quandoque extendenda esse ad casum, in quo quaestio agitur de *facto,* utrum videlicet baptismus utcumque collatus aut susceptus fuerit. Qua in re, ut ambiguitatibus aditus praecludatur, probe animadvertendum est, etiam ad baptismum quod spectat, plane ut in casu de matrimonio dubio, principium illud vigere, nimirum factum collationis seu susceptionis baptismi, sicut generatim quodlibet aliud factum, non praesumi, sed probandum esse. Quare in dubio *negativo,* hoc est, quando de baptismatis collatione aut susceptione probabilia indicia non prostant, collatio seu susceptio non praesumitur; proindeque hisce in adjunctis nullus superest locus quaestioni de obligationibus quibus homines dubie baptizati obnoxii sint. Quin imo in dubio etiam *positivo,* videlicet quando rationabile motivum adest, ex quo argui *probabiliter* possit, baptisma revera collatum fuisse, haud ita tamen ut de collatione hac certitudo habeatur aut violenta praesumptio: in hoc casu adhuc

existimo, minime urgendas esse obligationes quae ex suscepto baptismate manant, idque ob generale principium: *in dubio possidet libertas.* Verumtamen haud inficiandum, rerum adjuncta quandoque hujusmodi occurrere posse, ut etiam quando agitur de facto circa collactionem baptismi, ea praesto sint indicia, quibus illud jure merito ut *certum praesumatur.* Hinc in Jure Canonico sancita est haec regula (III, Decret. Greg. IX, cap. 43 in fin): « Certe de illo, « qui natus de christianis parentibus, et inter christianos est fide- « liter conversatus, tam violenter praesumitur, quod fuerit bapti- « zatus, ut haec praesumptio pro certitudine sit habenda, donec evi- « dentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur ». Scilicet hisce in casibus baptismus, de cujus existentia quaeritur, haud infrequenter possessionem pro se ostendere merito potest. Quo posito, jura possessionis servanda sunt, donec de contrario perspicue constet; plane ut in casu de matrimonio, de cujus existentia dubitatur. (Cfr. Gasparri, *De Matrim.,* vol. I, nn. 18-19, Ed. 3ª; Ballerini-Palmieri, *Op. Th. Mor.,* vol. IV, n. 761, Ed. 3ª).

4. Ceterum fatendum quidem est, in casibus dubii hactenus enarratis, in quibus ex una parte collatio baptismi jus sibi vindicat possessionis, ex parte altera dubium in utroque casu non mere negativum sed positivum est, sub conditione iterandum esse baptismum, ne in discrimen aeterna hominis salus vocetur. Falsa enim nostra existimatio objectivam rei veritatem non mutat: praesumptio autem de baptismi seu valore seu collatione falso supposito inniti potest. Attamen ex hoc quis perperam inferret, antequam conditionate iteretur baptisma, exulare interim obligationes manantes ex priori baptismo, de quo quaestio agitur. Nam in utroque casu supra enarrato *jus possessionis* quo gaudet baptismus, sive quoad valorem sive quoad factum collationis, *certum* omnino est, vel ut certum praesumitur. Atqui hujusmodi *certitudo possessionis* per *dubium* positivum circa *valorem* nullatenus impetitur aut enervatur; neque, quod consequens est, per idem dubium extinguitur obligatio quae ex *certa possessione* profluit. Non enim certitudo illa idem habet objectum quod a dubio hoc attingitur; seu, aliis verbis, certitudo et dubium eamdem rem, non tamen sub eodem respectu considerant. Certitudo enim illa respicit *possessionem* una cum juribus seu obligationibus hinc manantibus; dubium vero, non quidem possessionem, sed tantum *valorem* respicit. Igitur nullo modo probanda sunt quae de argumento hoc scribit theologus recens, ceteroquin doctissimus et primi subsellii, quae ita se habent: « Possessio prioris baptismi probabiliter *dubia* est; secus iterari non

posset baptismus. Ex illa igitur *dubia* possessione *certa* obligatio erui nequit. Ceterum, si illa praecedentis baptismatis *possessio* tantae est vis, ut imponat *certam* obligationem confessionis: Ergo nullatanus tunc simil admittere potest iteratam baptismi collationem ». Scilicet heic una simul confunduntur quae plane distinguenda sunt: qua posita rerum confusione, fit, ut, quod nonnisi de certo quodam speciali casu dubii baptismi affirmandum est, perperam aptetur omnibus generatim casibus, in quibus utcumque de baptismate dubitatur. Et re sane vera: multifarium est dubium, quod circa baptismum occurrere potest. Primus casus est in quo de baptismi valore aut collatione *negative* dubitatur. Alter casus est in quo dubium est *positivum*. Rursus quoad utrumque casum distinguendum est. Nam 1. fieri potest, ut dum de baptismi valore aut collatione dubitatur, ille jam in *possessione certa* sit. Vel 2. e contrario contingere potest, ut, dum de baptismo utcumque dubitatur, hic *nullatenus possideat*. Vel 3. tandem casus occurrere potest, in quo haec ipsa *possessio dubia sit*. Age ergo: quando baptismus *nullatenus possidet,* in hoc casu, sive dubium negativum sit, sive positivum, jam diximus, urgeri non posse obligationes quae ex baptismate profluunt; quia in dubio factum non praesumitur, sed probandum est, atque adeo in dubio possidet libertas. Patet autem, idem plane dicendum esse in casu, in quo *dubia* est baptismi *possessio*. At vero quando baptismo favet *certa possessio,* jura possessionis hoc in casu, ob rationes quas supra attulimus, servanda omnino sunt; atque una simul *certae* sunt etiam *obligationes* quae ex baptismate manant: utpote quia, semel admisso quod cum possessione praedicta connectitur *praesumptio,* quae *certum* baptismi *valorem, certamque* hujus *collationem* supponit, absonum plane et contradictorium esset, respuere obligationes, quae cum ipsis intimo nexu sociantur. Attamen fatendum est, praesumptionem istam (quae cum possessione certa in qua est baptismus, confundenda non est), falsam esse posse; et supposita falsitatis hujus *possibilitate,* in tuto salus hominis aeterna non est. Quare cum, ubi agitur de fine absolute obtinendo, in dubiis via tutior sit eligenda; prono alveo fluit, non obstante certitudine tum possessionis in qua est baptismus, tum simul obligationum ex hoc manantium, eumdem sub conditione prorsus iterandum esse.

5. Hactenus de obligatione generatim, qua dubie baptizati legibus Christianorum propriis subduntur. Nunc quaestio attingenda de effectibus, quos in illis eaedem leges progignunt.

Ut quaestionis status rite intelligatur, in primis recolendum est,

leges, ratione *obligationis,* dividi in leges *morales* seu *praeceptivas,* quae solum ad sui observationem; *pure poenales,* quae solum ad poenam subeundam; et *mixtas,* quae ad utrumque obligant; ratione autem *effectus,* vel esse *simpliciter prohibentes,* quae actum reddunt malum et illicitum; vel prohibentes et simul *irritantes,* quae actum non solum illicitum, sed etiam invalidum reddunt. (Cfr. Noldin, *Summ. Th. Mor.,* I, 90).

His positis, animadverto, dubie baptizatos, quamdiu dubium *juris* vel *facti* perdurat, legibus Ecclesiae sive *praecipientibus* sive *simpliciter prohibentibus*, in *utroque* foro obligari; quod quidem ex iis, quae hactenus demonstrata sunt, satis superque conficitur. Dixi: *in utroque foro;* quia tralatitium in jure est, extante rei dubio, praesumptionem pro veritate haberi in utroque foro. (Cfr. D'Annibale, *Summ. Th. Mor.,* part. I, § 208; § 206, not. 48; De Lugo, *De Inst.,* 23, 110) (1).

Quod vero spectat leges Ecclesiae *irritantes,* cum hujusmodi leges praesumptioni, quae factum ceu verum supponit, innitantur, hae, perdurante dubio, quoad dubie baptizatos in utroque pariter foro vim prorsus habere dicendae sunt. Quare qui *vere* et *objective* baptizati sunt, licet de eorum baptismo *subjective* dubitetur, quatenus sunt membra Ecclesiae, legibus hujus subduntur: ideoque, si actum posuerint ab irritantibus legibus vetitum, hic jam ab initio *per se* (2) semper invalidus est, licet nonnisi deinceps certo detegatur, validum baptisma fuisse.

Ast vero, cum praesumptio cedere debeat veritati, si deinceps pateat, eos qui *subjective* dubie baptizati erant, fuisse *objective* invalide baptizatos; actus quem jam forte posuerint contra legem irritantem, *ab initio objective* validus semper fuit, quamvis qui illum actum posuerunt, certe peccaverint contra legem ipsam irritantem, quatenus haec *prohibens* est. Porro multiplex doctrinae hujus afferri potest ratio: 1. quia hujusmodi effectus legum irritantium quae in praesumptione fundantur, ut nempe pertingant ad ipsam *objecti-*

---

(1) Ex his patet quantopere a veritate abludant quae tradit Genicot (*Th. Mor.,* vol. II, n. 488, in nota pag. 542, Edit. 4ª).

(2) Nos heic loquimur de efficacia quae *per se* legibus ecclesiasticis inest, de eo quod *efficere posset* Ecclesia vi legum suarum irritantium supra eos qui *vere* et *objective* baptizati sunt, de quorum tamen baptismo *subjective* dubitatur. Utrum vero Ecclesia, *ad factum* quod spectat, hanc legum suarum irritantium efficaciam urgeat reapse in casu praedicto, alia est quaestio quae agitatur inter DD., et a qua expendenda nos in praesenti abstinemus. Cfr. Wernz, *Ius Decret.,* tom. IV, n. 507, in notis 28, 30, 33.

vam rerum veritatem, ita ut, etiam depulso deinde dubio, et huic suffectâ certitudine de invaliditate baptismi, actus nihilominus sit ab initio invalidus; hujusmodi, inquam, effectus legum irritantium necessarius nullatenus est pro religiosae societatis incolumitate; sed pro hac satis est ut, tantum perdurante dubio, irritationis efficacia, praesumptioni innixa, exevatur. 2. Quin imo impossibilis plane esset hujusmodi effectus, ut nempe quis *objective* ligetur legibus irritantibus Ecclesiae in dubio tantum *subjectivo* baptismatis quando hoc *objective* re vera invalidum est. Siquidem objectivam rerum veritatem, ab ipso divino jure statutam, leges Ecclesiae mutare nequeunt; neque constat, jus divinum hanc Ecclesiae contulisse potestatem supra illos qui baptismali charactere *objective* carent. Apposite ad rem hanc scribit cl. Wernz (*Ius. Decret.*, tom. IV, n. 508, not. 33): « Difficulter intelligitur quomodo quis *vere* et *objective* ligetur legibus irritantibus Ecclesiae, licet *dubia* tantum *subjectiva* existant de ejus baptismo, atque ipse forte *objective careat charactere baptismali*, qui ex jure divino est unicum fundamentum (1) dependentiae alicujus hominis ut *subditi* a legibus ecclesiasticis. Pariter dubie baptizatus, qui confessus est peccata sua, per *absolutionem sacramentalem* ab iisdem non absolvitur, si *vere* et *objective* non fuit baptizatus; nam homo non baptizatus non est capax aliorum sacramentorum. Hinc tandem alii melius applicant principium *praesumptionis*, quod tamen cedere debet *veritati*, contra quam Ecclesia nihil statuere potest, si *uterque*, qui habebatur dubie baptizatus, tandem *certo* invenitur non baptizatus. « Huc usque cl. Canonista. Ceterum efficacia illa legum Ecclesiae irritantium in dubie baptizatis, juxta modum praedictum qui *praesumptionem* consequitur, ex dictis est necessario admittendus, quin exinde sequatur, illos *revera* et *objective* baptizatos esse debere.

Ut quae hactenus diximus, exemplo illustrentur, finge casum de matrimonio. Titius dubie baptizatus contrahit cum muliere infideli seu non baptizata. Hoc matrimonium ex dictis est nullum ob disparitatis cultus impedimentum. Hinc rursus contrahit Titius cum christiana muliere: et hoc alterum matrimonium, perdurante dubio circa baptismum Titii, in utroque foro validum censendum est. Sed fieri demum potest, ut deinde certo detegatur, Titium numquam fuisse valide baptizatum. Praesumptio statim locum cedit veritati. Hinc hoc alterum matrimonium Titii nullum apparet, validumque *vere* fuit primum matrimonium initum cum muliere infideli. Titio

(1) Sed vide quae dicturi sumus hac de re infra sub n. 6.

propterea redeundum est, alterâ relicta, ad primam uxorem, quae unice nunc apparet et est vera ejus uxor.

6. Post ea quae hactenus disputavimus, reliquum est, ut triplici difficultati occuramus.

Ac primo quidem objicies: Ecclesiam nonnisi in subditum legem ferre, judiciumve exercere; subditum autem Ecclesiae fieri hominem per spiritualem regenerationem, i. e per baptismum validum; etenim per invalidum baptismum spiritualis regeneratio nullatenus obtinetur. Quare, eos de quorum baptimate dubitatur, quatenus positivum est dubium, probabile est, invalide baptizatos fuisse; proindeque probabile quoque est, Ecclesiae nec membra, neque subditos illos esse.

Respondeo. Recolendum est, quod fuse jam demonstravimus, standum esse pro valore baptismi, ideoque dubie baptizatos obligationibus Christianorum propriis obnoxios esse, quamdiu dubium perdurat, in duplici casu: videlicet, tum in dubio *juris*, quando *certo* constat, baptismum esse *utcumque* collatum; superest tamen dubium, utrum in illo ministrando servata fuerint quae jure divino ad validam collationem requiruntur; tum in dubio *facti*, scilicet non qualicumque, sed quando specialia quidem deficiunt documenta, quae directe baptismi collationem testentur; nihilominus ex adjunctis, ex. gr. quia quis « natus de christianis parentibus inter Christianos fideliter conversatus est », certo praesumitur baptismi collatio.

Hisce positis, objectioni facillime respondetur, adhibita distinctione: videlicet Ecclesiam nonnisi in subditos judicium exercere seu legem ferre; subditos autem ejusdem evadere homines *vel* vi baptismatis quod *vere* et *objective* susceperint, *vel* vi baptismatis jure divino ex possessione *certo praesumpti, concedo*: subditos Ecclesiae evadere homines vi *dumtaxat* baptismi *vere* et *objective* collati, minime vero *etiam* vi baptismi ex possessione certo praesumpti, *nego*.

Instabis: ex doctrina modo tradita illud prono alveo flueret, nimirum sufficere baptismum *existimatum* seu *putativum*, quamvis *objective* invalidum, ut quis subditus Ecclesiae sit. Atqui « unio in societatem debet fieri per actum validum; etenim actus invalidus nullos producit juris effectus, nec in casu verificatur limitans clausula: *nisi expresso et speciali jure de contrario caveatur*. Nullibi enim Deus expressa et speciali lege etiam baptismo *putativo* eumdem effectum tribuit atque baptismo valido; Ecclesia vero ejusmodi effectum supplere plane nequit, quoniam ad ipsam non spectat,

conditionem *jure divino revera* necessariam, ut quis sit membrum et subditus Ecclesiae, actu quodam putativo supplere ». Hactenus cl. Wernz (*Ius Decret.* tom. I. n. 103, not. 81. Edit. 2a).

Respondeo. Missam facimus quaestionem quae in instantia attingitur, et de qua inter Theologos controvertitur, videlicet, utrum baptismus existimatus seu putativus sufficiat ut quis sit de *corpore* Ecclesiae.

Ad praesentem controversiam quod propius attinet, illud sat erit animadvertere, quod monet ipse cl. Wernz (loc. cit. not. 78), « notionem *subditi* Ecclesiae latius patere quam *membri* corporis Ecclesiae: multi enim sunt vere subditi Ecclesiae, velut haeretici, schismatici, excommunicati, qui membra Ecclesiae *simpliciter* non jam existunt ». Fatendum quidem, inter haereticos, schismaticos etc., qui vere baptizati sunt, et homines dubie baptizatos, quos supra descripsimus, essentiale interesse discrimen; quatenus illi ob indelebilem baptismi characterem, in anima impressum, licet ab Ecclesia *simpliciter* extorres, non tamen absolute et *omni ex parte* sunt extra Ecclesiam, et ad Ecclesiam *quadantenus* semper pertinere consentur: e contrario dubie baptizati, si *vere* et *objective* baptismum non receperint, charactere hujusmodi spirituali destituuntur; et sub hoc respectu infidelibus non baptizatis sunt aequiparandi. Attamen ab his distinguuntur ex eo, quod, quamvis signo *invisibili* et *spirituali* destituuntur; *certum* tamen est, eosdem, secus ac infideles, praeseferre signum *aliquatenus sensibile* unionis et subjectionis erga Ecclesiam; quatenus circa eosdem, in utroque casu supra recensito, vel signum hujusmodi *adhibitum fuit*, *quando utcumque* baptizati fuerunt; vel jure *praesumitur certo adhibitum* fuisse, quando scilicet ea adjuncta locum habent quae supra descripsimus. Porro esto quidem, quod signum hujusmodi sensibile in dubie baptizatis *objective* invalidum esse possit, nullumque characterem seu signum spirituale in subjecti anima impresserit: attamen de hoc *subjective*, juxta hypothesim, dubitatur. Hinc, non obstante hoc dubio, inficiandum plane est, per signum illud sensibile, qualecumque sit, nullos produci posse juris effectus, seu in specie, in casu de quo agimus, *subjectionem* erga Ecclesiam; quandoquidem *iure possessionis* et quidem ex lege divina seu ex *praesumptione* quae juri divino innititur, validus actus collationis baptismi censetur. Quapropter Ecclesia, non quidem proprio marte, seu actu quodam putativo supplet conditionem, jure divino necessariam, ut quis ejus subditus sit: sed, dum in praedictis casibus validum praesumit baptismum, *recognoscit* et *ratam habet* conditionem *ab ipso divino*

jure statutam. Etenim eadem divina seu Christi Domini lex, quae baptismum statuit ceu conditionem necessariam ut quis Ecclesiae subditus sit; statuit una simul, uti supra ostendimus, baptismum, praesumptum ceu validum in duplici casu praedicto, esse conditionem sufficientem, ut quis sit quadantenus, quamdiu dubium perdurat, subditus Ecclesiae, et obbligationibus Christianorum propriis geeratim obnoxius. Quae cum ita sint, in re de qua agimus, nullus omnino superest locus clausulae limitanti « *nisi expresso et speciali jure de contrario caveatur* »; quandoquidem dubie baptizati, supra descripti, *jam comprehenduntur in lege*, quae pro vere et objective baptizatis a Christo Domino lata est; et per hanc legem utrique, seu dubie seu vere baptizati, in eodem censu habentur quod spectat subjectionem erga Ecclesiam; nec proinde dubie baptizatorum subjectio erga Ecclesiam est exceptio, de qua expresso et speciali jure cavendum fuisset. (Cfr. Noldi,n *Summ. Th. Mor.* III, n. 226; Lehmkuhl, *Th. mor.* II, n. 322).

At enim objicies: heic legem divinam, quae *certo* et *valide* baptizatos subjicit Ecclesiae, nonnisi per interpretationem ad *dubie* baptizatos *extendi*; proindeque interpretationem istam, ratiocinio theologico innixam, non esse *comprehensivam*, quae nimirum mentem seu voluntatem divini legistatoris in lege contentam explicet et exhibeat; sed potius esse *extensivam* seu *ampliativam*, vi cujus lex extenditur ad casum, qui in lege non continetur, seu, aliis verbis, voluntas legislatoris extenditur ad casum qui in lege haud exprimitur. Atqui monent DD., interpretationem *extensivam* minus proprie interpretationem esse, atque adeo « solam interpretationem *comprehensivam* sive *declarativam*, quae est explicatio legis dubiae et obscurae secundum proprium verborum sensum, revera esse interpretationem; interpretationem vero extensivam minus proprie vocari aut dici *legis explicationem*, quia secundum proprietatem verborum data non est, sed aliquam mutationem legis habet admixtam, ... per *extensionem ultra proprium* sensum verborum ab initio in lege non contentam ». (Cfr. Wernz, *Ius Decret.* tom. I, Tit. IV, n. 128, II, Edit. 2ª). Ex his pronum est inferre, per interpretationem, a nobis in casu duplici dubie baptizatorum allatam, non quidem proprium legis divinae sensum exhiberi circa subjectionem ejusmodi hominum erga Ecclesiam; sed potius, mutatione inductâ in lege, pro voluntate legislatoris in lege non expressa, interpretationem nostram seu nostram mentem obtrudi, et hanc lectoribus, perinde ac dispositionem juris divini, perperam venditari.

Respondeo. Quae in hac objectione congesta sunt, facile explodes, si cum cl. Bucceroni (*Inst. Th. Mor.*, n. 177, Edit. 4ª), distinguas « duplicem velut speciem extensivae interpretationis: nempe alteram, qua dispositio legis extenditur ex interpretatione *congruitatis*; alteram, qua dispositio legis *extendi debet* ex interpretatione *necessitatis*; quae altera non tam debet dici *extensio* quam *mera comprehensio*. Et sane extensio legis alia est necessaria, alia congruentialis. Illa est omnino requisita ad justitiam vel rectitudinem; haec vero non ita, sed tantum est voluntaria, quia licet possit lex multa alia juste comprehendere, tamen minor comprehensio sufficit ad justitiam legis et proprietatem verborum, cum ratione etiam legis servandam ». Porro quae modo obiecta sunt contra interpretationem a nobis allatam circa jus divinum quoad conditionem necessariam ut quis Ecclesiae subditus sit, vim quidem haberent, si in casu de quo agimus, sermo esset de interpretatione *voluntaria*, sine qua nempe posset adhuc conservari prudens legis dispositio: nullam vero vim habent ubi, ut in casu nostro de hominibus dubie baptizatis, agitur de *necessaria* extensione, quae omnino requiritur ut servetur prudens dispositio legis, seu ut periculum evidens amoveatur, ne lex publico religiosae societatis bono perquam infensa evadat; cujusmodi revera esset, uti constat ex dictis, Christi Domini lex, nisi homines dubie baptizatos Ecclesiae, simulque obligationibus Christianorum propriis subjecisset.

7. Dices: Si ii, de quibus dubitatur, an valide baptizati sint, iisdem generatim obstringuntur obligationibus, quae Christianorum propriae sunt; cur non item eisdem quoque juribus ac ceteri christiani, potiri ac frui deberent? Atqui hoc plane absonum est. Ergo.

Respondeo. Inter obligationes, quibus afficiuntur illi de quorum baptismi valore dubitatur, ea praeprimis recensenda est, quae in hoc consistit, ut ii sibi baptisma certo validum procurent. Quamdiu obligationi huic non satisfacerint, ii procul dubio non in eadem conditione versantur ac ceteri Christifideles. *Juribus* enim *personalibus*, quibus utcumque dubie baptizati instruuntur, respondet *officium* seu obligatio vitandi quidquid injuriam religioni et detrimentum sibi aut proximo inferret. Porro utriusque mali hujus periculum vix ac ne vix quidem vitari posset, quando quis, persistente dubio de sui baptismatis valore, jurium personalium christiani hominis exercitium sibi vindicare generatim et indiscriminatim praesumeret. Quod ut pateat, adumbrationem praemittimus jurium personalium hujusmodi. Haec in duplicem classem dividuntur, quatenus dupliciter i. e. *passive* et *active*, christianus homo par-

ticipat potestatem Ecclesiae, magisterii, ordinis et jurisdictionis. Ac 1) *passive*; quatenus christianus jus habet, ut Christi doctrinam rite edoceatur, et pericula fidei, quoad ejus fieri potest, ab eo arceantur; ut sacramenta sibi fideliter administrentur, et sacramentalibus quoque non defraudetur; ut ad statum clericalem vel religiosum sibi aditus pateat; ut in rebus litigiosis praesidium judiciorum ecclesiasticorum implorare ipsi liberum sit; ut demum generatim illorum jurium particeps efficiatur, quae ex actuali communione cum Ecclesia profluunt, cujusmodi est ex. gr. jus ecclesiasticae sepulturae. 2) *Active*; quatenus vi sacerdotii interni in exercitium influit potestatis ecclesiasticae, et remotius saltem suas partes confert *a*) quoad magisterium, sive in doctrina fidei tradenda, sive in eadem adversus infideles et haereticos propugnanda; *b*) quod sacrum ministerium, ipsum opera sua adjuvando, ex. gr. non solum preces fundendo pro salute Ecclesiae, pro ordinandis, pro conversione peccatorum, sed etiam per bonorum actuum sacrificia, quibus se Deo consecrat; ac demum *c*) quoad disciplinam, quatenus in multis quae ad disciplinam Ecclesiae pertinent, cooperari permittitur, uti videre est in admissione laicorum ad concilia, in institutione testium synodalium, in participatione laicorum in administrando peculio ecclesiastico et in provisione beneficiorum, non quidem eadem conferendo, sed ad ea praesentando si quando jus habeat etc. Cfr. Aickner, *Comp. Juris Eccl.*, Edit. 9ª, § 60; D'Annibale, *Summ. Th. Mor.* I, n. 108, Edit. 3ª).

Iamvero ex his quisque plane intelligit, ex personalibus juribus Christianorum, qua talium, plura esse, quae ab homine dubie baptizato exerceri non possunt sine injuria religionis et gravissimi damni periculo; quod certo obtineret quando quis, persistente dubio de sui baptismi valore, sacramenta ex. gr. suscipere aut ministrare praesumeret cum eorumdem frustrationis periculo; quandoquidem in confesso sit apud omnes, saltem ad sex sacramenta quod spectat, ad eorumdem validam et licitam collationem aut susceptionem tum in ministro, tum in subjecto baptisma certo validum requiri. Quare neganda est paritas inter *jura* et *obligationes*; cum hae generatim ac ut plurimum adimpleri queant sine injuria contra religionem et quin damni periculum consequatur. Diximus: generatim ac ut plurimum; quia inter obligationes recensentur nonnullae, uti ex. gr. obligatio annuae confessionis et communionis paschalis, quae executioni mandari nequeunt, nisi prius baptismus certo validus suscipiatur. Quare merito Reuter (*Theol. Mor.*, part. IV, n. 118), scribit: « Hinc talis (i. e. is de cujus baptismi valore dubitatur) debet, *in*

quibus potest, se gerere, etiam stante dubio, tamquam Christianum » (1).

Quae cum ita sint, ad quaestionem propositam ita distinguimus: Homo dubie baptizatus iisdem juribus frueretur ac reliqui Christifideles, *si et quatenus* jura illa personalia in collisionem non veniant com aliis juribus praevalentibus et contrariis, quibus forte elidantur, et prae quibus silere debeant aut suspendi, *concedo*; secus, *nego*. Cfr., Card. Gennari, *Quistioni Teol. Mor.*, n. 406.

8. Tandem quod attinet in specie ad obligationem qua adstringuntur ii qui conditionate rebaptizantur, ad confessionem integram peccatorum quae forte ab ultima confessione admiserint ante repetitum baptisma, quaeri potest, quomodo obligatio hujusmodi componi possit cum ipsa Sacramenti poenitentiae natura, quae ex divina institutione postulat, ut illius materia esse nequeant nisi peccata post validum baptismum admissa?

Respondeo. Ex S. Officii Instructionibus, quas (n. 1, 2, 4), attulimus, in neo-conversis rebaptizandis et reconciliandis hic ordo servandus est: 1° Abjuratio seu fidei professio praemittenda est; 2° Baptismus sub conditione conferendus; 3° Confessio sacramentalis peragenda et absolutio conditionate danda.

His praemissis, dico: extante dubio de prioris baptismi valore, fieri quidem posse, ut peccata, a neo-converso ab ultima confessione admissa, revera patrata fuerint post baptismum valide collatum; quo in casu materia *idonea* Sacramenti Poenitentiae haberetur. Esto quidem quod haec peccata materia *certa* Sacramenti

---

(1) Ut pateat quid de quaestione hac universa sentiat Reuter, integrum afferimus insignis hujus Theologi textum qui ita se habet: « Quaeres: An adultus, qui in dubio de Baptismi valore, rebaptizatus est, teneatur confiteri mortalia, in quae post Baptismum dubium lapsus est? Respondet P. La Croix hic n. 323, videri probabile, quod non teneatur; quia, priusquam baptizaretur, certo non tenebatur confiteri peccata ante commissa, sed obligatio sequitur post Baptismum confitendi peccata subsequentia: hic autem dubius est, proinde libertas manet in possessione. Verum, etsi hoc recte dici posset, in dubio, an quis sit baptizatus; *si tamen dubium sit de Baptismi certo collati valore*, oppositum videtur dicendum; quia baptismus *est in possessione, et potius validus, quam invalidus praesumitur, et hinc talis debet, in quibus potest, se gerere, etiam stante dubio, tamquam christianum: gauderetque, si moreretur ante iteratum Baptismum, ecclesiastica sepultura.* Non teneretur tamen, quae confessus est post Baptismum, nunc dubium, iterum confiteri post iteratum sub conditione Baptismum; quia ea sunt remissa vi Sacramenti Poenitentiae, si prior Baptismus valuit; si non valuit, remissa sunt per Baptismum validum, postea collatum ».

non sint, cum fieri etiam possit, ut peccata illa validum baptisma antecesserint. Ast rursus in hac hypothesi, ut reverentia debita sacramento servetur, nonnisi sub conditione datur absolutio. Porro neminem praeterit, fieri quandoque posse, ut etiam quando materia est *incerta*, possit et debeant conferri conditionate absolutio, nempe quando rationabilia prostant motiva, ut Theologi docent. Ergo quemadmodum Sacramenti poenitentiae natura non impedit, quominus illud in hisce rerum adjunctis ministrari conditionate possit et debeat, ut scilicet meliori quo fieri potest modo, poenitentis saluti consulatur; ita etiam in casu de quo agimus, neo-conversorum nimirum qui sub conditione rebaptizantur, Sacramenti ejusdem natura non obstat, quominus illis conferri conditionate possit et debeat.

At inquies: certo non constare, peccata illa homin's rebaptizati per Sacramentum poenitentiae dimitti.

Respondeo, non constare quidem, *vi absolutionis* peccata illa certo dimitti. Verumtamen: 1° post datam seu acceptam absolutionem, morali certitudine constat, eadem fuisse dimissa; quae certitudo ante absolutionem adeptam nullatenus haberi poterat, tum quia secundus bapt'smus, ob probabilitatem valoris prioris baptismi, invalidus esse potuit, ac proinde impar peccatis illis dimittendis; tum etiam quia superesse potest dubium aliquod de perfecta caritate, vi cujus peccatorum remissio, etiam sine actuali Sacramenti poenitentiae susceptione obtinetur. Hisce positis, conditionata absolutio supervacanea non censebitur saltem ad moralem certitudinem obtinendam circa remissionem peccatorum. Ad haec 2° aliud quoque emolumentum ex confessione et absolutione hujusmodi conditionata parietur, ut nempe adultus sub conditione rebaptizatus eximatur deinceps ob onere confitendi rursus peccata illa, si forte deinceps i. c., post collationem conditionati baptismi detegatur, revera validum extitisse priorem baptismum.

Atque haec satis sint de ratione theologica, ex qua luculenter quam maxime, nisi totus fallor, eruitur, eos, de quibus dubitatur an valide baptizati sint, iisdem plane obligationibus generatim adstringi, quae Christianorum propriae sunt; nec non in specie obligatione integram confessionem peragendi obnoxios esse illos neoconversos qui sub conditione rebaptizantur (1).

---

(1) Cl. Sabetti, (*Comp. Th. Mor.*, tract. XV, p. 1, c. II, n. 725, q. 3), haec scribit: « Adverte casum alicujus catholici, qui sub conditione esset rebaptizandus, propterea quod prudenter dubitatur de validitate praecedentis Baptismi,

c) Ceterum haec omnia confirmantur pluribus S. Officii resolutionibus, praesertim circa matrimonium dubie baptizatorum; quarum resolutionum ratio intrinseca, sive canonica, sive theologica, ex hactenus dictis nova velut mutuata luce clarescit. (Cfr. Wernz, *Ius Decret.*, tom. IV, n. 508, not. 33, pag. 770, Edit. 1ª). Scilicet:

1. S. C. Univ. Inquis., 9 Septembris 1868, ad quaesitum Vic. Apost. Japonensis: « Utrum in casu dubii de valore baptismi, qui ita baptismum susceperunt (agebatur de antiquis Christianis Japoniae iterum iuventis) ut christiani vel infideles adhuc considerandi

---

non esse solvendum eodem modo, quia rationes datae nequeunt ad ipsum extendi, et ideo in praecedenti solutione quaestio restricta fuit *ad haereticos neo-conversos*. Quare hujusmodi catholicus neque ad generalem confessionem totius vitae obligari posset. neque ad ea peccata confitenda quae ab ultima confessione commisit» Hactenus p. Sabetti. Fatemur catholicum rebaptizandum, de quo loquitur cl. Theologus, ad totius vitae generalem confessionem peragendam non teneri. Ratio est: quia in casu supponitur, ipsum pluries, aut saltem semel in anno, sacramentaliter confessum fuisse. Posita autem probabili prioris baptismi valore, probabile item est, hujusmodi confessiones validas extisisse. Legi propterea divinae de peccatorum confessione peragenda catholicus, de quo sermo, *probabiliter* satisfecit, quod satis est ut subducatur ab onere confessiones illas iterandi. Ast vero prorsus inficiandum est, quod deinde subdit p. Sabetti, videlicet haud teneri adultum catholicum, conditionate rebaptizandum, ad ea confitenda peccata quae ab ultima confessione commisit; neque hoc in casu esse haereticis neo-conversis sub conditione rebaptizandis aequiparandum. Rationes enim quas supra attalimus, contrarium luculenter evincunt. Hae siquidem *universales* sunt, et, quia tales, indiscriminatim utrumque casum, tum acatholicorum neo-conversorum, tum catholicorum complectuntur. Quin imo, qui vim probe perpendat rationum hujusmodi, is plane perspiciet, easdem multo magis ad catholicos conditionate rebaptizandos extendi; quandoquidem *consectaria* illa *gravissima*, summopere Ecclesiae infesta, pertimescenda ex hypothesi qua neo-conversus rebaptizandus ab onere confessionis peragendae exi meretur, multo magis *possibilia* et *probabilia* forent, si semel sanciretur in casu, de quo sermo, exemptio catholici adulti rebaptizandi tum generatim ab obligationibus quae catholicorum propriae sunt, tum in specie ab obligatione confidendi peccata quae ab ultima confessione admisit. Porro fallitur omnino p. Sabetti, quando affirmat, rationes a se datas pro casu acatholici neo-conversi non posse extendi ad casum catholici sub conditione rebaptizandi. Etenim rationes a p. Sabetti datas huc tandem redeunt, videlicet ad sola praescripta a S. Officio, et a duplici Conc. Plen. Baltim. II et III. Atqui praescripta hujusmodi nihil aliud praestant praeter applicationem ad casum neo-conversorum illarum rationem, quae *universales* sunt pro quolibet casu, uti diximus; nullatenus vero, ne implicite quidem, innuunt, hasce rationes nullatenus ad catholicos rebaptizandos extendi, et ad solos neo-conversos haereticos coarctari. Sed haec innuisse in praesenti sufficiat». Cfr. interim responsum S. O. 9 Sept. 1868 ad quaes. Vic. Ap. Japoniae, de quo mox dicemus.

sunt? » respondit: « Ad 1, generatim loquendo ut christiani habendi sunt ii, de quibus dubitatur, an valide baptizati fuerint ». (Collectan., S. Sedis, n. 1334, Edit. 2ª).

2. Quod spectat obligationes Christianorum proprias et in specie circa matrimonium, eadem S. C., 4 Febr. 1891, ad Vic. Apost. Japonium respondit: « Qui valide aut *dubie baptizati* fuerint, ii subsunt impedimentis etiam *jure ecclesiastico* dirimentibus..... (si) una pars valide aut *dubie*, altera vero invalide baptizata fuerit..., matrimonium erit nullum ». (Cfr. Collectan., S. Sedis, n. 1746, Edit. 2ª).

3. Obligationibus christianorum propriis dubie baptizatos affici nedum in dubio *juris*, sed etiam in dubio *facti*, palam declaravit S. Inquis. die 7 Julii 1880. Nam ad sequentia dubia: « 1° An matrimonium dubie baptizati cum non baptizata estne validum..... 3° Matrimonium duorum dubie baptizatorum estne validum, etiamsi sint consanguinei vel affines?.... 6° Utrum sive dubium sit juris, sive facti (scilicet de baptismo recepto) conclusiones debeant esse eaedem respectu matrimoniorum? » S. C. respondit: « Ad 1m matrimonium habendum esse uti invalidum ob impedimentum cultus disparitatis..... Ad 3m matrimonium habendum esse uti invalidum ob impedimentum consanguinitatis vel affinitatis.... Ad 6m praevio diligenti examine in singulis casibus, et persistente adhuc dubio sive *juris* sive *facti*, eadem debent esse conclusiones respectu matrimoniorum ». (Collectan., S. Sedis, n. 1536, Ed. 2ª; Gasparri, Tr. Can. *De Matrim.*, vol. I, n. 691, Edit. 3ª).

4. Hac in re collationem vel non collationem baptismi quoad dubie baptizatos ex principio praesumptionis definiendam esse S. O. adseruit in responso ad sequens dubium, propositum ab Episcopo Savanensi in Stat. Unitis Amer., Sept.: « 1. Num in ordine ad matrimonii contracti validitatem vel nullitatem collatio vel non collatio baptismi, dum ignoratur, ex principio praesumptionis definienda sit »; eadem S. C., Fer. IV, 1 August. 1883, reposuit: « Ad 1m affirmative, peracta tamen investigatione in singulis casibus ». (Collectan., S. Sedis, n. 1605, Edit. 2ª; Gasparri, loc. cit., n. 692).

5. Dubie baptizatos legibus Ecclesiae *irritantibus* persistente dubio, *in utroque foro*, interno et externo, subjici, edixit S. O., 20 Julii 1840, in specie facti causae viri certi cujusdam, sectae Anglicanae addicti, qui cum muliere Anabaptista matrimonium contraxerat. « Dummodo constet de non collatione baptismi mulieris anabaptistae, primum matrimonium (viri sectae Anglicanae tunc addicti) fuisse nullum: secundum vero (cum muliere Lutherana con-

tractum), dummodo nullum aliud impedimentum obstet, fuisse validum ». Atqui (animadvertit cl. Wernz, loc. cit., tom. IV, n. 508, not. 33) « in specie facti illius causae expressis verbis dicitur, *rationem* quoque gravem *existere dubitandi* de validitate baptismi viro collati a ministro sectae Anglicanae. Hinc S. C. Inq., matrimonium illius Anglicani *dubie* baptizati cum muliere Anabaptista, si illa *certo baptizata non fuit*, declaravit *fuisse invalidum, non validum* ». Ubi fac animadvertas « in hoc responso (pergit idem cl. Wernz, loc. cit.), talem *nullitatem* tanto rigore substineri a S. C. Inq., ut secundum matrimonium illius viri Anglicani declaravit *fuisse validum*. Ergo impedimentum *ligaminis* ex primo matrimonio *certo* non censebatur obstare; nam S. C., in viro Anglicano (et consequenter in muliere quoque Anabaptista) supposuit jus novas nuptias *valide* ineundi ».

Quae cum ita sint, quando S. O. quoad eos qui in dubio rebaptizantur, obligationem quoque urget confessionis integrae peragendae, dicendum plane est, illud sibi maxime constare, ejusque agendi rationem hac in re esse omnino consonam principiis universalibus quae Suprema Congregatio circa dubie baptizatos jugiter sectata est.

IV. At enim inquies opinionem, quae dubie baptizatos ab obligatione confessionis peragendae eximit, probabilem esse.

Respondeo, *speculative*, concedo, vel transeat; *practice*, nego: quatenus nempe in praxim deducta, opinio illa gravissimum cieret incommodum, religiosae societati quam maxime infensum, uti vidimus, quo videlicet *firmitas status* tum Baptismi, tum S. Ordinis, tum professionis religiosae penitus everteretur. *Practice* ergo opinio illa, quidquid sit de speculativa ejus probabilitate, impingit in legem *certam,* ex jure tum naturali, tum etiam, in re de qua agimus, divino manantem, quae praecipit ut periculum praecaveatur detrimenti quod publico bono adversaretur. (Cfr. De Lugo, *De Iust. et Iure,* Disp. X, n. 189; Viva, *Damnat. Thes.* ad propp. 17, 18, Alex. VII, et ad prop. 1, Innoc. XI, n. V.; Gury-Ballerini, *Th. Mor. Comp.,* vol. I, n. 78, not. *b*; cl. Bucceroni, *Inst. Th. Mor.,* vol. I, nn. 116, 117, 127).

V. Ex his pronum est colligere, S. O. in responso ad Archiepiscopum Westmonasteriensem (17 Dec. 1868) circa neo-conversos in Anglia *cautissime* dixisse simpliciter *affirmative*, additis tantum his verbis: « et dandum esse Decretum latum sub Fer. V die 17 Iunii anni 1715 »; scilicet ne forte quis existimaret, tenorem responsi ex specialibus Anglorum adjunctis potius quam ex universaliori ra-

tione, quae omnes indiscriminatim casus dubie baptizatorum afficiat, repetendum esse.

VI. Quaeres: quomodo quae hactenus disputavimus, concilientur cum iis quae in not. cit. § 301, tradit D'Annibale; qui ceteroquin Adsessoris munere apud S. O. perfunctus, potuit certe, Documenta S. Officii consulendo, mentem cognoscere S. Congregationis?

Respondeo. Iosephus D'Annibale, antequam ad munus Adsessoris S. O. eveheretur, jam pridem sibi praeformaverat opinionem, quam in *Summula* loc. cit. circa neo-conversorum confessionem profitetur. Prima enimvero editio *Summulae* in lucem prodiit annis 1874-76 Reate. Porro in hujus editionis vol. III, § 183, not. 9, pag. 130, ab Auctore eadem prorsus dicuntur atque adeo ipsissimis verbis, quae in Editione tertia loc. cit. leguntur. Ex his colliges, Iosephum D'Annibale opinionem suam circa argumentum, de quo agimus, prima vice nullatenus hausisse ex documentis in Archivio S. O. delitescentibus, quae illi nondum comperta erant. Siquidem nonnisi anno labente 1884, die 14 Novembris, ad munus Adsessoris S. Ô. a Leone XIII P. M. evectus fuit. Hoc autem in munere nonnisi brevissimo tempore, hoc est, vix solido quadriennio permansit D'Annibale; quandoquidem anno 1889, in Consistorio diei 11 Februarii, in collegium Patrum Cardinalium cooptatus est; ac tandem supremum diem obiit die 17 Iulii an. 1892, quo nimirum anno Romae prodivit volumen III^{m} Editionis 3^{ae} *Summulae;* « *di cui* (Auctor ipse) *emendò l'ultimo foglio di stampa qualche giorno prima di morire* », uti in *Biografia del Cardinale Giuseppe D'Annibale* (Roma, Scuola Tipografica Salesiana, 1908) testatur Paulus De Sanctis, Archiepiscopus olim Sardicensis, qui, arctissimo amicitiae foedere cum D'Annibale conjunctus, hujus familiari consuetudine usus est. Porro, hisce positis, nemini mirum esse videatur, si dixerimus, Iosephum D'Annibale, quamdiu etiam Adsessoris S. O. munus retinuit atque deinceps, ignorasse plane documenta quaecumque tandem ea sint, quae in Archivio adservantur et quae apprime circa praesentem controversiam S. Officii mentem patefacere possent; neque occasionem umquam eidem obtigisse eadem documenta agnoscendi: quandoquidem haec, in tabulario diligentissime adservata, ut plurimum in propatulo non collocantur, neque, ut ajunt, *resumuntur*. nisi quando circa hoc vel illud argumentum quaestio aliqua generalis dirimenda proponitur, vel casus aliquis particularis resolvendus occurrit; quod non quotidie, sed data tantum occasione contingit.

Ceterum, si, posthabita hac in re Iosephi D'Annibale auctori-

tate, ex aliorum testimonio conjicere velis quaenam mens fuerit S. O. in responso diei 17 Decembris 1868, liceat appellare ad virum alterum Eminentissimum, qui, diu in SS. RR. CC. versatus, singulari enituit prudentia et juris canonici peritia, nec non peculiari in quaestionibus enodandis acumine inclaruit. Raphaelem, dico, Monaco La Valletta, qui primum *Adsessoris* per plures annos, usque ad diem 13 Martii 1868, deinde, inter Patres Cardinales adiectus, *Secretarii* munere apud S. O. usque ad obitum, idest ab anno 1884 usque ad diem 14 Iulii 1896, perfunctus est. Porro certo certius est, virum hunc doctissimum illam constanter tenuisse ac palam professum esse sententiam, videlicet, in casibus quibuscumque neo-conversorum qui sub conditione rebaptizantur, confessionem sacramentalem, eamque integram, exigendam esse; et neo-conversos hujusmodi ad illam peragendam teneri. Hoc, inquam, mihi certissime constat ex testimonio conlegae olim mei praestantissimi apud S. Poenitentiariam Apostolicam, nunc vero Secretarii S. C. Concilii, scilicet Illmi et Rmi P. D. Basilii Pompilj; cujus viri prudentia omnibus perspecta apprime est, et quîcum Emus Monaco La Valletta familiariter admodum agere consueverat.

VII. Ad recentiores vero Theologos quod spectat, qui circa responsum S. O. ad Episcopos Angliae interpretationem a Iosepho D'Annibale propositam amplexati sunt, recolendus heic est prae ceteris Antonius Ballerini, praesertim ob agendi rationem plane singularem quam hac in re sectatus est tum in Opere Theologico Morali, tum in Adnotationibus, quibus Gurianum Compendium locupletavit. Scilicet Theologus hic celeberrimus, ob acumen ingenii, solidum judicium, et praeclaram eruditionem inter summorum Theologorum Moralistarum nomina jure optimo cooptatus, ut ipsi innotuit responsum S. O. diei 17 Decembris 1868, primo oculorum obtutu vim rationemque ejusdem perpexisse videtur. Haec enim palam fassus est, videlicet:

1. « Pro sententia generatim affirmante obligationem » confessionis in casibus omnium indiscriminatim neo-conversorum, qui sub conditione rebaptizantur, « accessisse S. Inquisitionis responsum 17 Decembris 1868 »; (Cfr. *Opus Th. Morale,* vol. II, n. 99, Edit. 3ae; et *Adnotation,* ad n. 419, vol. II, Comp. Gury, pag. 290, quaest. 3, Edit. 4ae) (1).

---

(1) Sat erit heic semel monuisse, ad citationes quod spectat ex adnotationibus, quibus Gurianum Compendium a Ballerinio locupletatum fuit, nos uti editione quarta, quae prodiit ex Typographia Polygl. S. C. De Prop. Fide anno

2. Responsum S. O. 17 Dec. 1868. « non spectare solum ad specialia Angliae adjuncta » ; idque « evinci ex praecedenti responso anni 1715 cui innititur » et quod « non ad Angliam sed ad Germaniam » refertur; (Cfr. *Adnot. cit.*, pag. 290, 292 Comp. Gury) ;

3. « Doctrinam » in Compendio Gury expositam « antecedenti decreto minus consonam apparere » (Cfr. *Adnot. cit.*, pag. 291);

4. Supposita speculativa Gurianae doctrinae probabilitate, vi cujus item speculative dubia evaderet in casu nostro obligatio confessionis, si nihilominus, ad praxim quod spectat, juxta Decretum S. O. retinenda plane sit contraria sententia quae obligationem illam generatim affirmat; hoc in casu fatetur Ballerinius, immo contra *Vindicias* plane contendit « id effici non posse nisi vi alicujus principii, quod in casu tutiorem partem necessario sequendam esse statuat ». « Non enim (subdit) attribuenda S. Inquisitioni est declaratio, vi cujus obligatio speculative *dubia* », posita probabilitate sententiae quae illam negat », nullo accedente altiori principio, per se certa sit, seu « *nulla dici non possit* ». Hisce positis, Ballerinius postulat a *Vindiciis* ut hujusmodi altius principium exponant, rationemque intrinsecam afferant seu theologicam seu canonicam, quae evincat « confessionis obligationem in casu non esse dubiam » (Cfr. *Adnot. cit.*, pag. 291).

Re huc deducta, jam prima fronte videretur Ballerinius, vir emunctae naris a Iosepho D'Annibale merito nuncupatus (in Proem. Ed.is 1ae *Summulae*), jam videretur, inquam, divinare et velle lectori exponere hoc altius principium, vi cujus opinio, ut ut speculative probabilis, tamen practice improbabilis omnino est, quippe cum, si in praxim traduceretur, in publicum religiosae societatis detrimentum vergeret; atque adeo lumine hujus principii ductus, illam inire viam, quae ad veram presentis quaestionis solutionem recta perducit. Verumtamen, quod sane dolendum est, Ballerinius in ipso primo investigationis limine in scopulum gravissimum impegit; ac, tum praejudicio abreptus quod jam in mente sibi praeformaverat circa practicam doctrinae Gurianae probabilitatem, tum praesertim ob falsam interpretationem seu applicationem certae cujusdam doctrinae, ceteroquin verissimae, quam S. Alphonsus tradit, in transversum actus, ad erroneam conclusionem tandem devenit.

1877; quae quidem editio, secus ac subsequentes editiones, quae ad hanc usque diem ex eadem Typographia prodivere, adnotationes Ballerinianas, non jam mancas et aliena manu obtruncatas, sed integras plane exhibet, quales ex ipso Ballerinii calamo prima vice prodierunt.

Re quidem vera, affirmat Ballerinius, quod et fatemur omnes, nempe statum quaestionis hunc esse: « Num confessio, eaque integra a neophyto sit exigenda ». (Cfr. *Adnot. cit.*, pag. 291). Ast subdit immediate: « Atqui si de confessionis integritate agitur, ecce occurrit nobis S. Alphonsus, inquiens (*Hom. Apost.* Tr. 16, n. 29): « *Nemo tenetur ad leges dubias... Nec obstat hic dicere, quod in Sacramentorum materia non possimus sequi opiniones solum probabiles: quia hoc procedit cum agitur de valore Sacramenti; secus de* (confessionis) *integritate* ». Verum enimvero quisque facile intelligit, casum, de quo disputat S. Alphonsus loc. cit., toto coelo differre a casu de quo nos disputamus: quandoquidem S. Doctor disserit de casu, in quo, sartâ tectâque manente divina lege confessionis, hujusque obligatione, posthaberi potest materialis integritas, quin essentialia elementa ad valorem Sacramenti requisita ullimode periclitentur. Et sane quaestionem instituit Ligorius: « An teneamur confiteri non solum circumstantias species mutantes, an etiam notabiliter aggravantes ». Et respondet, tres hac de re opiniones probabiles adesse; ac demum de tertia opinione id absolute negante, quam communiorem et probabiliorem vocat, haec scribit: « Talis lex confitendi circumstantias aggravantes, est dubia, et nemo tenetur ad leges dubias... Nec obstat hic dicere, quod in Sacramentorum materia non possimus sequi opiniones solum probabiles, quia hoc procedit eum agitur de valore Sacramentorum, secus de integritate: et in quantum ad valorem, certum est sufficere integritatem formalem ». Ergo hoc in casu, juxta S. Alphonsum, circumstantia mere aggravans reticeri potest, quin integritas formalis confessionis seu valor sacramenti periclitetur. Ast e contrario in casu neophyti rebaptizati quaestio agitur praecipue de ipsa confessione peragenda, seu de Sacramento ipso Poenitentiae suscipiendo; non vero quaestio solum fit, utrum hoc vel illud peccatum, haec vel illa aggravans circumstantia manifestanda sit; paucis, non quaeritur tantum utrum confessio debeat esse materialiter integra, sed imo quaeritur praecipue, utrum ipsa simpliciter confessio sacramentalis sit a neophytis rebaptizatis peragenda. Quo posito, semel ac constiterit, vi altioris principii tutiorem partem hac in re esse sequendam, ac proinde confessionem a neophytis illis prorsus peragendam esse, jam quisque videt, locum nullum superesse applicationi praefatae doctrinae, quam S. Alphonsus rectissime tradit; sed potius confessionem faciendum esse juxta modum quem Christus Dominus praestituit. Atqui Christus voluit, sacramentalem confessionem formaliter integram esse debere.

Equidem hinc divino praecepto nullimode satisfaceret neophytus rebaptizatus, si vel genericam tantum confessionem perageret, vel unum alterumve peccatum dumtaxat, reliquis reticitis, confiteretur. Itaque in casu confessio neophyti integra esse debet. Quod ergo S. Alphonsus rectissime affirmat de uno casu, Ballerinius applicat ad casum plane diversum, in quo applicatio illa locum habere nullatenus potest. Porro, hac semel posita praepostera interpretatione seu applicatione doctrinae a S. Alphonso traditae, Ballerinius vel a primo disputationis seu investigationis limine, ut dixi, aditum sibi praeclusit ad veritatem detegendam, et praeceps ruere debuit in manifestam contradictionem. Et re quidem vera, Ballerinius ille, qui jam expressis verbis fassus erat, pro sententia Gurianae opinioni opposita accessisse S. Inquisitionis decretum diei 17 Dec. 1868; opinionem vero Gurianam minus consonam huic decreto apparere; qui insuper aperte declaraverat, praefatum decretum non spectare solum ad specialia Angliae adjuncta; quique demum disertissime ostenderat, causas seu rationes ab Episcopis Anglis in supplici libello ad S. O. allatas, impares plane per se generatim fuisse ad decretum, de quo sermo, provocandum (Cfr. *Adnot.* ad n. 419 Comp. Gur.); hic idem, inquam, Ballerinius tandem, velut palinodiam caneus, concludit, nonnisi « propter speciales rationes datum fuisse illud Decretum », et « ad specialia Angliae adjuncta coarctari. Ceterum Ballerinius, semel devius a recta semita, qua ad veritatem in praesenti quaestione assequendam pertingere facile potuisset, contradictionem hujusmodi vitare amplius non poterat, si debitam reverentiam et obsequium erga S. O. decretum salva consistere voluit. Atque haec de Ballerinio animadvertenda censuimus, ne scilicet tanti viri nomine et auctoritate, in re de qua agimus, facile quis abutatur.

VIII. Ceterum, ut de diverticulo redeamus in viam, si revera decisio S. O. 17 Dec. 1868, non quidem ex specialibus Anglorum adjunctis repetenda est, sed praecipue pendet ab interpretatione legis divinae quae universalis est, omnesque obligat; jam sponte sua oboritur quaestio, utrum nimirum decisio illa sit lex universalis, aut universale praeceptum?

Respondeo. Recolendum est, quod supra diximus (n. II), videlicet decreta seu decisiones SS. RR. CC. quandoque esse *formaliter* particulares, licet *aequivalenter* universales sint, quando nimirum ratio decreti seu decisionis aequaliter pro omnibus valet, quia decisio pendet ab interpretatione legis, quae universalis est, atque omnes obligat. Hisce positis, quamvis in Decreto S. O. 17 Dec. 1868,

necnon in reliquis quas supra (sub n. 1) recensuimus, ejusdem Sacri Ordinis instructionibus vel decisionibus practica juris divini interpretatio circa obligationem confessionis, in re de qua agimus, exhibeatur, atque adeo hoc sub respectu declarationes illae *aequivalenter* universales sint; nihilominus *formaliter* non sunt nisi *particulares, nec* proinde in illis *lex generalis* aut *universale praeceptum* continetur; quod non satis adimadverterunt plures Theologi, qui de hoc argumento pertractarunt. Re sane vera: Decreta seu Instructiones S. O., ut pluries diximus, *implicite* continent aut subaudiunt interpretationem, *necessariam* quidem et proinde *comprehensivam* juris divini, quod casus omnes neophytorum, quod spectat confessionem, complectitur. Ast probe notandum, hanc esse interpretationem juris divini *dubii* et *obscuri*, non vero *clari* et *manifesti*. Etenim decisiones illae seu responsa S. O. data sunt occasione dubiorum, quae identidem huic S. Congregationi a particularibus personis proposita fuerunt. Iamvero, haec dubia orta certe non sunt ex *subjectiva* ignorantia legis *objective* et in se *clarae;* sed fundabantur in ipsa *obscuritate objectiva verborum legis;* ita ut ipsi viri docti magno numero diversas easque inter se contrarias hac de re interpretationes in medium protulerint.

Atqui, ut scribit cl. Wernz (*Ius Decret.*, tom. I, 145, Edit. II) « lex *clara* propter ignorantiam et dubia *particularium* personarum non denuo universae Ecclesiae est promulganda; aliter autem est dicendum de promulgatione declarationis legis *vere* et *objective obscurae* et *dubiae* ». (Cfr. idem Wernz, ibid., n. 100, III; cl. Bucceroni, *Inst. Th. Mor.*, vol. I, n. 176, Edit. V; et D'Annibale, *Summ. Th. Mor.* P. I, n. 184, not. 5). Quibus positis, cum de ratione legis sit promulgatio, restat ut videamus, num interpretatio juris divini, quae in citt. decretis S. O. *practice* et implicite continetur, universae Ecclesiae sufficienter promulgata fuerit, ut lex generalis dici possit, aut universale praeceptum. Iam age: instructiones, responsa et Decreta S. O., hactenus edita, charactere universalis promulgationis prorsus destituuntur. Etenim responsum seu decretum 27 Iunii 1716 pro casu particulari datum est; et antequam ab Ephemeride *Acta S. Sedis* in vulgus ederetur, universa Theologorum natio illud plane ignorabat. Item instructio 20 Iul. 1859 data est particulari personae, hoc est, ad postulatum Episcopi Philadelphiae. Rursus responsum 17 Dec. 1868 datum est Episcopis Anglis pro neo-conversis ejusdem nationis. Tandem responsum 2 Dec. 1874 datum est ad dubium propositum, et nonnisi meram instructionem continet. Porro in hisce S. O. documentis decisiones seu responsa

hujusmodi nullibi expresse dicuntur ferri nomine R. Pontificis pro universa Ecclesia, atque adeo ab universa Ecclesia esse servanda. Quapropter, deficiente promulgatione pro Ecclesia universa, prono alveo fluit, declarationes illas seu Decreta S. O. rationem legis generalis seu universalis praecepti nullimode praeseferre.

Ceterum in confesso est apud omnes, R. Pontificem, tum simpliciter in *exercitio* supremae suae auctoritatis, sive magisterii sive jurisdictionis, tum in *plenitudine* exercitii utriusque vel alter utrius potestatis, liberrimum esse. Quare sicut R. Pontifex potest *magisterium* suum exercere quin semper illud *supremo* perfectionis gradu exerceat; ita potest *jurisdictionem* suam, nedum per legem *generalem,* sed etiam *inferiori* quodam *gradu,* praetermissa generali lege, seu per particulare praeceptum seu decretum, sive immediate *per se,* sive per sacram aliquam Congregationem exercere. (Cfr. Palmieri, *De Rom. Pontif.* Proleg. § XX in fin., Edit. I, thes. 32, schol. II; Franzelin, *De Div. Trad.* Ed. 2ª, pagg. 77-78 in not. et pag. 119, Coroll. 5; Wernz, *Ius Decret.* tom. I, n. 99, not. 54, Edit. II).

IX. At enim inquies, quae hactenus diximus, nullatenus componi posse cum Litteris S. C. de Prop. Fide 10. Iulii 1869, ad Archiepiscopum Quabecensem (*Canadà*), ubi haec in rem habentur: « Quoad dubium ab A. T. propositum, sacramentalem confessionem attingens a neo-conversis exigendam, observandum occurrit, responsum elapsi anni, licet Episcopis Angliae tantummodo rogantibus datum, *universalem legem continere,* proindeque non solum in Anglia, sed in aliis etiam regionibus obligare. Hinc patet, quod nullatenus permitti potest ut praedictae decisioni contraria sententia doceatur. Romae, ex Aedibus S. C. P. F. die 10 Iulii 1869. Al. C. Bernabò Praef. — Ioannes Simeoni Secretarius ». (Cfr. Collect. S. C. De Prop. Fide, 1907, Edit. II, vol. II, pag. 19, sub num. 1338, not. 1).

Resp. Ad difficultatem enodandam satis erit haec animadvertere, videlicet:

1. Generatim nullatenus spectare ad S. C. de Prop. Fide munus proferendi judicium de vi et ratione decretorum seu resolutionum, quae a S. O. prodeunt.

2. Ceterum in Actis, in Archivio S. Congregationis de Prop. Fide adservatis, quae mihi licuit diligenter consulere, ne minimum quidem vestigium extat, ex quo conjici queat, responsum Emi Barnabò ad Archiepiscopum Quabecensum in Congregatione quam *generalem* vocant, EEmorum PP. Cardinalium, qui Congregationi

de Prop. Fide addicti sunt, propositum, discussum, aut utcumque adprobatum in antecessum fuisse.

3. Item nullum in eodem Archivio indicium prostat. responsum illud datum fuisse, consulto Pontifice Maximo.

4. Probabile est, seu fas est conjicere, quod ceteroquin ex Actis praedictis nullatenus constat, in responso ad Archiepiscopum Quabecensem transmittendo tractationem seu consultationem praehabitam fuisse in peculiari conventu, vulgo *Congresso,* Officialium S. Congregationis, adstantibus Emo Cardinali Praefecto et Secretariis; et in peculiari ejusmodi conventu tenorem responsi quodammodo praeformatum fuisse.

5. Certo certius est, quod mihi testatus est ipse Archivii praeses, qui *Collectaneam* digessit, editam jussu S. Congregationis de Prop. Fide anno 1893, nimirum huic *Collectaneae* insertas non fuisse Litteras Emi Barnabò ad Archiepiscopum Quabecensem, hac de causa, quia nempe responsum illud haberi non potest ceu responsum S. Congregationis. Equidem in altera editione *Collectaneae* quae prodiit anno 1907, praedictae Litterae referuntur, ast nonnisi in notula ad calcem paginae 19. voluminis II[i] apposita, velut merum historicum documentum.

6. Responsum Emi Card. Barnabò primo vulgatum non fuit nisi operâ privati scriptoris in periodico, cui titulus *Analecta Ecclesiastica,* anno 1899; cujus quidem periodici editor seu moderator, Rmus D. Felix Cadene, prout hic mihi expressis verbis testatus fuit Romae anno 1906, exemplar responsi Emi Barnabò nonnisi a certo quodam Officiali Curiae Archiepiscopalis Quabecensis acceperat, quicum idem Cadene nescio quo necessitudinis vinculo junctus erat.

Quae cum ita sint, quisque facile intelligit, vim, auctoritatemque responsi Emi Barnabò penitus hac in re evanescere. Non enim, uti constat ex dictis, perinde haberi potest ac responsum seu declaratio Congregationis *generalis;* neque eidem suprema accessit Romani Pontificis auctoritas, neque nomine aut jussu ejusdem Pontificis Maximi datum aut promulgatum fuit. Quamobrem responsum illud in eodem ferme censu habendum est ac aliud quodcunque responsum a privatis personis datum, quod facile deprehenditur multiplici ex capite claudicare. Re quidem vera: vel 1: in illo responso supponitur, jam ab Ecclesia in antecessum propositam seu promulgatam authentice fuisse legem generalem de confessione a neophytis peragenda; et in hac hypothesi responsum Cardinalis Barnabò, uti patet ex dictis, falso supposito la-

borat. Vel 2: in responso illo supponitur, decreta seu responsa S. Officii circa neophitorum confessionem habenda esse ceu totidem documenta, quae authentice jus divinum interpretantur; proindeque ad generalem legem hac in re constituendam opus non esse nova promulgatione praeter illam, quae jam in ipsis christianae rei exordiis ab Apostolis facta fuit; et ideo solam eorumdem decretorum notitiam sufficere, ut, asque nova promulgatione, quotquot eadem cognoverint, ad ea servanda obligentur: et rursus in hac hypothesi seu suppositione plura sunt quae aequivocationi innituntur, aut falsitate omnimoda laborant. Sane: ceteris praetermissis, sufficiat recolere quod jam supra (n. III b. 6) praemonuimus, nimirum ex responsis, sive decretis sive instructionibus hactenus a S. O. circa neophitorum confessionem editis, nullum omnino prostare, quod interpretationem juris divini *directe, immediate* et *formaliter* exhibeat: bene vero eadem decreta seu responsa *directe* non esse nisi *disciplinaria* responsa in casibus particularibus, aut *disciplinares* normas seu instructiones in casibus id genus servandas. Iamvero, esto quidem quod hujusmodi decreta seu instructiones *practice* supponant rationem theoreticam, cui innituntur, ex jure divino manantem; atque adeo ex illis decretis seu instructionibus *mediate,* idest, ratiocinio theologico prorsus argui seu inferri possit proprie dicta juris divini interpretatio, *necessaria* quidem et *comprehensiva,* quae in illis *practice* exhibetur. Attamen hoc id unum evincit, illa decreta seu responsa S. Officii *aequivalenter* generalia esse, atque adeo per eadem illos obstringi, qui vim illationis praedictae seu ratiocinii theologici probe perspexerint et plane assequuti sint: nullatenus vero probat, per eadem decreta generalem legem *formaliter* constitui; quia, uti pluries diximus, interpretatio juris divini, quae nonnisi *indirecte, implicite* et mere *practice* in responsis seu instructionibus S. O. continetur, est interpretatio juris seu legis *per se dubiae* et *obscurae,* quae proinde interpretatio eget nova *promulgatione,* ut generalem legem aut universale praeceptum constituat. (Cfr. Franzelin, *De Div. Tradit,* etc. thes. 12, Schol. I. Princip. I. Coroll. 5 in fin. Edit. 2ª; Thes. VIII, II in not. pag. 77 et seqq.; Palmieri, *De Rom. Pontif.* Thes. 28, V. Edit. I; *De Peccato Orig.* etc., Thes. 22. Sch. pagg. 293 et seqq. Edit. an. 1904; Wernz, *Ius Decret.,* tom. IV, n. 698 in not. 40, pagg. 1024 et seqq. Edit. I).

Haec de responso Cardinalis Barnabò ad Archiepiscopum Quabecensem satis sint. Quae quidem eo unice spectant, ut sua cuique rei veritas constet, ac ut justis limitibus coerceatur et pro merito

aestimetur auctoritas praefati documenti, quod forte nimis confidenter a nonnullis Theologis in praesenti controversia in medium affertur. Ceterum, si S. Doctori De Ligorio vel ipsa responsa S. Poenitentiariae quandoque posthabere, oppositaeque opinioni adhaerere licuit (Vid. *Th. Mor.* lib. 6, n. 556; cfr. Gury-Ballerini, *Comp. Th. Mor.* II, n. 573, not. *a.* et num. 589, not. *a.* Edit. 4); multo magis fas heic erit, Emi Barnabò valedicere asserto; quod, uti liquet ex dictis, nullo modo haberi potest ceu S. Congregationis responsum.

Atque haec circa cit. § 301, not. 3, *Summulae,* pro rei gravitate, fusiori calamo pertractanda censuimus, alias, si opus fuerit, rem amplificaturi.

XV.

(**Summ.,** P. III, Lib. III, Tr. III, § 319).

Decreta S. Officii De facultatibus Sacerdotum navigantium quoad audiendas confessiones.

1.

Decret. S. O.. 4 Apr. 1900.

In Congregatione Generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita fer. IV, die 4 Aprilis 1900, quum disceptatum fuisset super facultate Sacerdotum iter transmarinum facientium excipiendi Fidelium ejusdem itineris comitum sacramentales Confessiones, Emi ac Rmi DD. Cardinales in universa Christiana Republica Inquisitores Generales, ad omnem in posterum hac super re dubitandi rationem atque anxietatibus occasionem removendam, decreverunt ac declararunt: Sacerdotes quoscumque transmarinum iter arripientes, dummodo *a proprio Ordinario* Confessiones excipiendi facultatem habeant, posse *in navi* toto itinere durante Fidelium secum navigantium Confessiones excipere, quamvis forte inter ipsum iter transeundum, vel etiam aliquandiu consistendum sit diversis in locis diversorum Ordinariorum jurisdictioni subjectis.

Hanc autem Emorum Patrum resolutionem SSmus D. N. Leo div. prov. PP. XIII per facultates Emo D. Cardinali S. Officii Secretario impertitas, benigne adprobare et confirmare dignatus est.

I. Can. Mancini, S. R. et U. Inquisit. Notarius.

2.

Decret. S. O. Fer. IV, 23 August. 1905.

In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis Emi ac Rmi Dñi decreverunt: Sacerdotes quoscumque maritimum iter arripientes, dummodo vel *a proprio Ordinario, ex cujus dioecesi discedunt,* vel *ab Ordinario portus in quo in navim conscendunt,* vel etiam *ab ordinario portus cujuslibet intermedii, per quem in itinere transeunt,* sacramentales confessiones excipiendi, quia digni, scilicet, atque idonei recogniti ad tramitem Conc. Trident. sess. XXIII, cap. XV *de Ref.,* facultatem habeant vel obtineant; posse toto itinere maritimo durante, sed *in navi tantum,* quorumcumque fidelium secum navigantium confessiones excipere, quamvis inter ipsum iter navis transeat, vel etiam aliquandiu consistat diversis in locis diversorum Ordinariorum jurisdictioni subjectis.

Sequenti vero feria V, die 24 ejusdem mensis et anni, SSmus D. N. Pius PP. X decretum Emorum PP. adprobavit.

I. Can. Mancini, S. R. et U. I. Notarius.

3.

Decret. S. O. Fer. IV, 12 Decembris 1906.

In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis Emi ac Rmi Dñi decreverunt: Supplicandum SSmo ut concedere dignetur sacerdotes navigantes, de quibus supra (*Vid. Decret. 20 Aug. 1905*), quoties, durante itinere, navis consistat, *confessiones excipere posse tum fidelium qui quavis ex causa ad navem accedant,* tum *eorum qui, ipsis forte in terram obiter descendentibus confiteri petant,* eosque *valide ac licite absolvere posse etiam a casibus Ordinario loci forte reservatis, dummodo tamen — quod ad secundum casum spectat — nullus in loco vel unicus tantum sit sacerdos adprobatus et facile loci Ordinarius adiri nequeat.*

Sequenti vero feria V, die 13 ejusdem mensis et anni, SSmus D. N. Pius PP. X annuit pro gratia juxta Emorum Patrum suffragia.

Petrus Palombelli, S. R. et U. I. Notarius.

(Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 32, pag. 760, et vol. 40, pag. 24 et seq.).

XVI.

(**Summ.**, P. III, Lib. III, Tr. IV, § 406).

De Missis celebrandis et Communione recipienda in nocte Nativitatis Domini.

S. Off. Feria V, die 1 Augusti 1907.

SSmus D. N. D. Pius divina providentia PP. X, in solita audientia R. P. D. Adsessoris S. Officii impartita, ad fovendam fidelium pietatem eorumque grati animi sensus excitandos pro ineffabili Divini Verbi Incarnationis mysterio, motu proprio benigne indulgere dignatus est ut in omnibus et singulis sacrarum virginum monasteriis clausurae legi subiectis aliisque religiosis institutis, piis domibus et clericorum seminariis, publicum aut privatum Oratorium habentibus cum facultate Sacras Species habitualiter ibidem asservandi, sacra nocte Nativitatis D. N. I. C. tres rituales Missae vel etiam, pro rerum opportunitate, una tantum, servatis servandis, posthac in perpetuum quotannis celebrari Sanctaque Communio omnibus pie petentibus ministrari queat. Devotam vero huius vel harum Missarum auditionem omnibus adstantibus ad praecepti satisfactionem valere eadem Sanctitas Sua expresse declarari mandavit.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Petrus Palombelli, S. R. U. I. Notarius.

De hoc indulto cfr. Ferreres in comment. *La Communione frequente e quotidiana* in Append. III, versionis italicae.

XVII.

(**Summ.**, P. III, Lib. III, Tr. IV, § 407).

Declaratio S. R. C. de Sacra Synaxi in Oratoriis privatis distribuenda.

Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X in audientia habita 8 Maii 1907 ab Ecmo, et Rvmo, Dno Cardinali Seraphino Cretoni S. R. C. Praefecto statuere ac declarare dignatus est, ut in

Indultis Oratorii privati intelligatur inclusa facultas Sacram Communionem distribuendi iis omnibus Christifidelibus qui Sacrificio Missae adsistunt: salvis juribus parochialibus. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Ex Secretaria S. R. Congregationis eadem die 8 Maii 1907.

D. Panici, Archiepiscopus Laodic., secretarius.

(*Acta S. Sedis*, vol. 40, p. 587).

XVIII.

(**Summ.**, P. III, Lib. III, Tr. IV, § 408).

De quotidiana SS. Eucharistiae Sumptione.

1.

Decretum S. C. C. 20 Dec. 1905.

Sacra Tridentina Synodus, perspectas habens ineffabiles, quae Christifidelibus obveniunt, gratiarum divitias, sanctissimam Eucharistiam sumentibus (*Sess. 22, cap. 6*), ait: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent.* Quae verba satis aperte produnt Ecclesiae desiderium ut omnes Christifideles illo coelesti convivio quotidie reficiantur, et pleniores ex eo sanctificationis hauriant effectus.

Huiusmodi vero vota cum illo cohaerent desiderio, quo Christus Dominus incensus, hoc divinum Sacramentum instituit. Ipse enim nec semel nec obscure necessitatem innuit suae carnis crebro manducandae suique sanguinis bibendi, praesertim his verbis: *Hic est panis de coelo descendens; non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt: qui manducat hunc panem vivet in aeternum* (Ioan., VI, 59). Ex qua comparatione cibi angelici cum pane et manna facile a discipulis intelligi poterat, quemadmodum pane corpus quotidie nutritur, et manna in deserto Hebraei quotidie refecti sunt, ita animam christianam caelesti pane vesci posse quotidie ac recreari. Insuper quod in oratione Dominica exposci iubet *panem nostrum quotidianum*, per id SS. Ecclesiae Patres fere una-

nimes docent, non tam materialem panem, corporis escam, quam panem eucharisticum quotidie sumendum intelligi debere.

Desiderium vero Iesu Christi et Ecclesiae, ut omnes Christifideles quotidie ad sacrum convivium accedant, in eo potissimum est ut Christifideles, per sacramentum Deo coniuncti, robur inde capiant ad compescendam libidinem, ad leves culpas quae quotidie occurrunt abluendas, et ad graviora peccata, quibus humana fragilitas est obnoxia, praecavenda: non autem praecipue ut Domini honori, ac venerationi consulatur, nec ut sumentibus id quasi merces aut praemium sit suarum virtutum (S. August., *Serm.* 57, *in Matth. De Orat. Dom.,* v. 7). Unde S. Tridentinum Concilium Eucharistiam vocat *antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur* (Sess. 13, cap. 11).

Hanc Dei voluntatem priores Christifideles probe intelligentes, quotidie ad hanc vitae ac fortitudinis mensam accurrebant. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis* (*Act.,* II, 42). Quod saeculis posterioribus etiam factum esse, non sine magno perfectionis ac sanctitatis emolumento, Sancti Patres atque ecclesiastici Scriptores tradiderunt.

Defervescente interim pietate, ac potissimum postea Ianseniana lue undequaque grassante, disputari coeptum est de dispositionibus, quibus ad frequentem et quotidianam Communionem accedere oporteat, atque alii prae aliis maiores ac difficiliores, tamquam necessarias, expostularunt. Huiusmodi disceptationes id effecerunt, ut perpauci digni haberentur qui SS. Eucharistiam quotidie sumerent, et ex tam salutifero sacramento pleniores effectus haurirent; contentis ceteris eo refici aut semel in anno, aut singulis mensibus, vel unaquaque ad summum hebdomada. Quin etiam eo severitatis ventum est, ut a frequentanda coelesti mensa integri coetus excluderentur, uti mercatorum, aut eorum *qui essent matrimonio coniuncti.*

Nonnulli tamen in contrariam abierunt sententiam. Hi, arbitrati Communionem quotidianam iure divino esse praeceptam, ne dies ulla praeteriret a Communione vacua, praeter alia a probato Ecclesiae usu aliena, etiam feria VI in Parasceve Eucharistiam sumendam censebant, et ministrabant.

Ad haec Sancta Sedes officio proprio non defuit. Nam per decretum huius Sacri Ordinis, quod incipit *Cum ad aures,* diei 12 mensis Februarii 1679, Innocentio Pp. XI adprobante, errores huiusmodi damnavit et abusus compescuit, simul declarans omnes cuiusvis coetus, mercatoribus atque coniugatis minime exceptis, ad Com-

munionis frequentiam admitti posse, iuxta singulorum pietatem et sui cuiusque Confessarii iudicium. Die vero 7 mensis Decembris anni 1690, per decretum *Sanctissimus Dominus noster* Alexandri Pp. VIII, propositio Baii, purissimum Dei amorem absque ullius defectus mixtione requirens ab iis qui ad sacram mensam vellent accedere, proscripta fuit.

Virus tamen Ianseniauum, quod bonorum etiam animos infecerat, sub specie honoris ac venerationis Eucharistiae debiti, haud penitus evanuit. Quaestio de dispositionibus ad frequentandam recte ac legitime Communionem, Sanctae Sedis declarationibus supervixit; quo factum est ut nonnulli etiam boni nominis Theologi, raro et positis compluribus conditionibus, quotidianam Communionem fidelibus permitti posse censuerint.

Non defuerunt aliunde viri doctrina ac pietate praediti, qui faciliorem aditum praeberent huic tam salubri Deoque accepto usui, docentes, auctoritate Patrum, nullum Ecclesiae praeceptum esse circa maiores dispositiones ad quotidianam, quam ad hebdomadariam aut menstruam Communionem; fructus vero uberiores longe fore ex quotidiana Communione quam ex hebdomadaria aut menstrua.

Quaestiones super hac re diebus nostris adauctae sunt et non sine acrimonia exagitatae; quibus Confessariorum mentes atque fidelium conscientiae perturbantur, cum christianae pietatis ac fervoris haud mediocri detrimento. A viris idcirco praeclarissimis ac animarum Pastoribus SSmo Dno Nostro Pio Pp. X enixae preces porrectae sunt, ut suprema Sua auctoritate quaestionem de dispositionibus ad Eucharistiam quotidie sumendam dirimere dignaretur; ita ut haec saluberrima ac Deo acceptissima consuetudo non modo non minuatur inter fideles, sed potius augeatur et ubique propagetur, hisce diebus potissimum, quibus Religio ac fides catholica undequaque impetitur, ac vera Dei caritas et pietas haud parum desideratur. Sanctitas vero Sua, cum Ipsi maxime cordi sit, ea qua pollet sollicitudine ac studio, ut christianus populus ad Sacrum convivium perquam frequenter et etiam quotidie advocetur eiusque fructibus amplissimis potiatur, quaestionem praedictam huic Sacro Ordini examinandam ac definiendam commisit.

Sacra igitur Concilii Congregatio in plenariis Comitiis diei 16 mensis Dec. 1905 hanc rem ad examen accuratissimum revocavit, et rationibus hinc inde adductis sedula maturitate perpensis, ea quae sequuntur statuit ac declaravit:

1. Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus Christifidelibus cuiusvis

ordinis aut conditionis pateat; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad S. Mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

2. Recta autem mens in eo est, ut qui ad sacram mensam accedit non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.

3. Etsi quam maxime expediat ut frequenti et quotidiana Communione utentes, venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se nunquam in posterum peccaturos: quo sincero animi proposito, fieri non potest quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant.

4. Cum vero Sacramenta Novae Legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, maiorem tamen producant effectum quo maiores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco curandum est ut sedula ad sacram Communionem praeparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditionem ac officia.

5. Ut frequens et quotidiana Communio maiori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet ut Confessarii consilium intercedat. Caveant tamen Confessarii ne a frequenti seu quotidiana Communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat.

6. Cum autem perspicuum sit ex frequenti seu quotidiana S. Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idcirco Parochi, Confessarii et Concionatores, iuxta probatam Catechismi Romani doctrinam (Part. II, c. 63), christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur.

7. Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusvis generis promoveatur; pro quibus tamen firmum sit decretum *Quemadmodum* diei 17 mensis Decembris 1890 a S. Congr. Episcoporum et Regularium latum. Quam maxime quoque promoveatur in clericorum Seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio; item in aliis christianis omne genus ephebeis.

8. Si quae sint Instituta, sive votorum solemnium sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus, vel etiam calendariis,

Communiones aliquibus diebus affixae et in iis iussae reperiantur, hae normae tamquam mere *directivae* non tamquam *praeceptivae* putandae sunt. Praescriptus vero Communionum numerus haberi debet ut quid minimum pro Religiosorum pietate. Idcirco frequentior vel quotidianus accessus ad eucharisticam mensam libere eisdem patere semper debebit, iuxta normas superius in hoc decreto traditas. Ut autem omnes utriusque sexus religiosi huius decreti dispositiones rite cognoscere queant, singularum domorum moderatores curabunt, ut illud quotannis vernacula lingua in communi legatur intra Octavam festivitatis Corporis Christi.

9. Denique post promulgatum hoc Decretum omnes ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et quotidianam communionem abstineant.

Relatis autem his omnibus ad SSmo D. N. Pium Pp. X per infrascriptum S. C. Secretarium in audientia diei 17 mens. Decembris 1905, Sanctitas Sua hoc Emorum. Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi iussit, contrariis quibuscumque minime obstantibus. Mandavit insuper ut mittatur ad omnes locorum Ordinarios et Praelatos Regulares, ad hoc ut illud cum suis Seminariis, Parochis, institutis religiosis et sacerdotibus respective communicent, et de executione eorum quae in eo statuta sunt S. Sedem edoceant in suis relationibus de dioecesis seu instituti statu.

Vincentius, Card. Ep. Praenest., praefectus.
Caietanus De Lai, secretarius.

2.

Decretum Urbis et Orbis 14 Febr. 1906.

De Indulgentiis per quotidianam Communionem lucrandis.

Sanctissimo Domino Nostro Pio Pp. X vel maxime cordi est, ut efficacius in dies propagetur uberioresque edat virtutum omnium fructus laudabilis illa ac Deo valde accepta consuetudo, qua fideles, in statu gratiae rectaque cum mente, ad sacram Communionem quotidie sumendam accedant. Quamobrem supplicia plurimorum vota ab Eminentissimo Viro Cardinali Casimiro Gennari delata benigne libenterque excipiens, iis plane cunctis qui memoratam consuetudinem habent, aut inire exoptant, specialem merito gratiam elargiri statuit.

Clemens porro Pp. XIII f. r. per decretum hujus sacri Ordinis, sub die 9 Decembris 1763 « omnibus Christifidelibus *qui frequenti peccatorum confessione animum studentes expiare, semel saltem in ebdomada ad Sacramentum Poenitentiae accedere, nisi legitime impediantur, consueverunt, et nullius lethalis culpae a se post praedictam ultimam Confessionem commissae sibi conscii sunt, indulsit ut omnes et quascumque Indulgentias consequi possint, etiam sine actuali confessione quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa Indulgentias jubilaei, tam ordinarii quam extraordinarii aliasque ad instar jubilaei concessas, pro quibus assequendis, sicut et alia opera injuncta, ita et sacramentalis Confessio tempore in earum concessione praescripto peragatur* ».

Nunc vero Beatissimus Pater Pius X omnibus Christifidelibus, qui in statu gratiae et cum recta piaque mente quotidie Sancta de altari libare consuescunt, quamvis semel aut iterum per hebdomadam a Communione abstineant, praefato tamen f. r. Clementis Pp. XIII indulto frui posse concedit, absque hebdomadariae illius Confessionis obligatione, quae ceteroquin ad Indulgentias eo temporis intervallo decurrentes rite lucrandas necessaria extaret. Hanc insuper gratiam Eadem Sanctitas Sua futuris quoque temporibus fore valituram clementer declaravit. Contrarius quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 14 Februari 1906.

A. Card. Tripepi, praef.

D. Panici, Archiep. Laodicen., secretarius.

Cfr. Ferreres, *Comment. cit.* « La Communione frequente e quotidiana », ecc.

XIX.

(**Summ.**, P. III, Lib. III, Tr. IV, § 411).

De S. Communione infirmis non jejunis.

1.

Decretum S. C. C. 7 Dec. 1906.

Post editum de frequenti et quotidiana SS. Eucharistiae sumptione decretum die 20 mensis Decembris 1905... quaesitum est, si quo forte modo consuli posset aegrotis diuturno morbo labo-

rantibus et eucharistico Pane haud semel confortari cupientibus, qui naturale jejunium in sua integritate servare nequeant. Quare supplices ad hoc preces delatae sunt SSmo D. N. Pio PP. X; qui, re mature perpensa auditoque consilio S. Congregationis Concilii, benigne concessit, ut infirmi, qui jam a mense decumberent asque certa spe ut cito convalescant, de confessarii consilio SSmam Eucharistiam sumere possint semel aut bis in hebdomada, si agatur de infirmis qui degunt in piis domibus, ubi SSmum Sacramentum adservatur, aut privilegio fruuntur celebrationis Missae in Oratorio domestico; semel vero aut bis in mense pro reliquis, etsi aliquid per modum potus antea sumpserint, servatis de cetero regulis a Rituali Romano et a S. Rituum Congregatione ad rem praescriptis.

Praesentibus valituris, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, die 7 mensis Decembris 1906.

† Vincentius Card. Episc. Praenestinus, praefectus.

C. De Lai, secretarius.

(Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 39, p. 603).

2.

Decretum S. C. C. 6 Mar. 1907.

Proposito in S. Congregatione dubio, An nomine infirmorum qui a mense decumbunt, et idcirco juxta decretum diei 7 Decembris 1906 S. Eucharistiam non jejuni sumere possunt, intelligantur solummodo infirmi qui in lecto decumbunt, an potius comprehendantur quoque qui, quamvis gravi morbo correpti et ex medici judicio, naturale jejunium servare non valentes, nihilominus in lecto decumbere non possunt aut ab eo aliquibus horis diei surgere queunt.

Eadem S. Congregatio die 6 Martii 1907 respondendum censuit: Comprehendi, facto verbo cum SS. ad cautelam.

Die vero 25 Martii currentis annis, SSmus Dnus Noster Pius PP. X audita relatione infra scripti secretarii S. C. Concilii, resolutionem ejusdem S. C. ratam habere et confirmare benigne dignatus est et publicari mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Vincentius Card. Ep. Praenest., praef.

C. De Lai, secret.

(Cfr. omnino Ferreres, *Com. cit.* in versione italica, pagg. 102 et seqq.).

XX.

(**Summ.**, P. III, Lib. III, Tr. V, § 420).

Decretum S. R. et U. Inquisitionis quo determinatur forma brevis administrandae Extremae Unctionis in casu necessitatis.

Feria IV, die 25 Aprilis 1906.

Cum huic Supremae Congregationi quaesitum fuerit ut unica determinaretur formula brevis in administratione Sacramenti Extremae Unctionis in casu mortis imminentis, Emi ac Rmi Patres Generales Inquisitores, maturrime re perpensa, praehabitoque Rmorum Consultorum voto, decreverunt:

In casu verae necessitatis sufficere formam: *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen.*

Sequenti vero feria V, die 26 ejusdem mensis et anni, in audientia a SSmo D. N. Pio div. providentia PP. X, R. P. D. Adsessori impertita, SSmus D. N. Decretum Emorum et Rmorum Patrum adprobavit.

L. ✠ S.

Petrus Palombelli, S. R. et U. I. Notarius.

(Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 39, pag. 273 et seq). Porro hujus Ephemeridis editor allatum S. O. decretum consultissima illustrat adnotatione; ex qua operae pretium est haec referre: « Ex hodierno decreto, quo determinatur forma omnino necessaria ad validum conficiendum sacramentum, clare eruitur ad essentiam formae non requiri hujusmodi sensuum expressionem, atque ad materiam proximam constituendam unicam sufficere unctionem. In casu proinde verae necessitatis, nempe quum mors ita immineat ut periculum sit, ne moribundus ante omnes sensuum unctiones decedat et sic salutari hoc sacramento privetur, unica statuta forma cum unica unctione in aliquo sensu vel in pectore vel consultius in fronte, tamquam in summa omnium sensuum sede, licite et valide adhiberi potest imo et debet. Sed, cessante periculo, praesertim si aegrotus alia sacramenta secure suscipere non potuit, sub conditione repetendae sunt singulae unctiones in singulis sensibus sub suis parti-

cularibus formis, atque addendae simul sunt omnes orationes omissae. Quae norma apprime congruit praescriptionibus Ritualis Romani, et, quatenus melior fiat dispositio suscipientis sacramentum, ad majus gratiae augmentum obtinendum concurrit ».

XXI.

(**Summ.**, P. III, Lib. III, Tr. VI, § 431).

Genuina Iosephi D'Annibale sententia circa mulieris penitus excisae matrimonium.

Dolendum sane est, e § 431, vol. III, in utraque editione *Summulae*, quarta et quinta, expunctam fuisse adnotationem quae sub n. 9 in Editione III^{a} prostat, ac illi suffectam esse aliam adnotationem, quae doctrinam praesefert plane contrariam illi, quae in expuncta adnotatione continebatur. Porro adnotatio editionis 3^{ae} ita se habet: « Ex l. 5, *De frigid.* Sanch., VII, 92, 13; D. Tho. S. Alph. VI, 1096. At nubere non prohibetur mulier cujus vaginae os obstructum est, vel quae utero caret; illa enim congredi potest, haec et concipere (Eschb., §§ 1, 8, V): nec ea cui utrumque ovarium penitus exectum fuit (S. U. I. 3 Febr. 1887). Scilicet matrimonium ad mutuum quoque vitae adjutorium pertinet, et ad concupiscentiam coercendam ».

In editionibus vero quarta et quinta sub eodem n. 9 in nota haec leguntur: « Ex C. 5 *De Frigid.;* Sanch., VII, 92, 13; D. Th., S. Alph., VI, 1096. At nubere non prohibetur mulier, quae, 1. *sterilis* effecta est per utriusque ovarii excisi defectum (S. U. I. 3 Febr. 1887), quia sterilitas non idem est ac impotentia; vel utero caret, dummodo concipere possit (V. Eschb., § 1, 8, V). Utrum autem concipere possit nec ne, medicorum judicio relinquimus. Sed in utroque casu nemo audeat matrimonium contrahendum permittere vel impedire, aut jam contractum nullum decernere inconsulta S. Sede. Et quoad primum S. U. I. die 16 Ianuarii 1895 declaravit recurrendum esse in singulis casibus, cum illucusque responsum non fuerit, nisi in casibus particularibus ».

Quaeres, quî tandem factum fuerit, ut hac in re, gravissimi quidem momenti, hujusmodi substantialis discrepantia inter utram-

que adnotationem deprehendatur. Verbo dicam: facinus hujusmodi in textum Iosephi D'Annibale aliena manu contra Auctoris mentem et post hujus obitum patratum fuisse.

Quod ut pateat, probe animadvertendum est, adnotationem primam, sub n. 9, in Editione 3ª appositam, in 2ª Editione *Summulae,* quae Mediolani prodiit annis 1881-83, nullatenus prostare. Ex quo jure merito colliges, adnotationem praedictam prima vice pro editione 3ª *Summulae* a D'Annibale concinnatam et eidem insertam fuisse. Porro fac animadvertas, volumen 3m Editionis 3ae in lucem prodiisse anno 1892, scilicet nonnisi paulo ante obitum cl. Auctoris, qui (teste De Sanctis loc. cit.) « *emendò l'ultimo foglio di stampa qualche giorno prima di morire* ». Ex his pronum est inferre, doctrinam quae in notula 9 Editionis 3ae traditur, non esse nisi genuinam expressionem mentis Iosephi D'Annibale circa mulieris penitus excisae matrimonium; in qua nimirum doctrina profitenda deinceps cl. Auctor usque ad mortem, quae paulo post contigit, perseveravit. Hinc errore decipiuntur qui putant, inter adversaria Iosephi D'Annibale, post hujus obitum, aliam adnotationem, sub n. 9 sufficiendam, inventam fuisse, illam videlicet quae in 4ª et 5ª editione legitur, quaeque adnotationi Editionis 3ae penitus contradicit. Equidem, si res ita se haberet, illud dicendum foret, nempe Iosephum D'Annibale agendi rationem plane absonam sectatum fuisse; quatenus *eodem tempore* quo adnotationem in 3ª Editione typis edebat, eam jam quoad substantiam retractaverat; quod, ni totus fallor, sinceritati praestantissimi Auctoris apertissime refragatur.

At enim inquies: Iosephum D'Annibale in 3ª editione Tractatum de Matrimonio his verbis absolvisse: « Haec de matrimonio haud satis multa; nam alia plura collegeram heic adjicienda, nisi adversa valetudine praepeditus fuissem »; proindeque merito supponi posse, inter ea quae cl. Auctor tractatui adjicienda paraverat, recenseri quoque potuisse adnotationem quae deinceps geminae editioni, 4ae et 5ae, inserta fuit.

Respondeo, a Iosepho D'Annibale citatis verbis id unum affirmari, se quidem alia plura collegisse *adjicenda* tractatui. Quod perinde non est ac si diceret, se alia plura collegisse *corrigenda, delenda* vel *immutanda* in tractatu de matrimonio. Porro quod in notula cit. Editionis 4ae et 5ae traditur, aliud non est nisi substantialis *immutatio* seu *adulteratio* doctrinae quam in capite de impotentia Auctor tradiderat.

Ex his prono alveo fluit, adnotationem, de qua sermo in editione 4ª et 5ª nonnisi aliena manu exaratam et insertam fuisse; eodem scilicet haud certe laudabili consilio, quo plura alia, licet levioris momenti, textui praestantissimi Auctoris, post hujus obitum, in recentioribus Editionibus superaddita et inserta fuerunt.

Ceterum quaenam fuerit sententia Iosephi D'Annibale circa mulieris excisae matrimonium, colligi etiam potest ab adjunctis, in quibus is postremis vitae suae annis versatus est. Scilicet, qua Adsessor S. Officii, mentem hujus S. Congregationis de mulieris excisae matrimonio D'Annibale plene assequutus fuit. Nam die 3 Februarii 1887, quo nempe tempore Adsessoris munere D'Annibale fungebatur, S. Officio proposita fuit quaestio: « Num mulier N. N. per utriusque ovarii excisi defectum sterilis effecta, ad matrimonium ineundum permitti valeat et liceat, nec ne? » Cui quaestioni S. Officium respondit: « Re mature dinque perspecta, matrimonium mulieris, de qua in casu, non esse impediendum ».

Rursus die 30 Iulii 1890, quando adhuc inter vivos degebat D'Annibale, idem S. Officium sequentes litteras dedit ad Episcopum Regiensem: « Illme ac Rvme Domine. In Congregatione fer. IV, diei 23 currentis mensis discussum fuit dubium ab Amplitudine tua propositum supplici libello diei 31 Octobris elapsi anni, videlicet: — Num mulier N. N., cui operatione chirurgica ablata sunt duo ovaria et uterus, admitti possit ad matrimonium contrahendum — et, re mature perpensa, Emi Dni Cardinales una mecum Inquisitores Generales decreverunt: — Matrimonium non esse impediendum. — Quod dum Amplitudini Tuae pro istius Curiae norma significo, Eidem fausta quaeque adprecor a Dno. — Amplitudinis Tuae — Addictissimus in Dno. — R. Card. Monaco ». Porro circa haec S. O. responsa frustra quis oggereret, eadem data fuisse ad casus particulares, in quibus praeterea dubia esset totalis excisio ovariorum et uteri. Nam (ut verbis utar cl. Ojetti *Synops. Rer. mor. et Iuris,* etc. Edit. 2, vol. II ad v. *Impotentia,* pag. 73) « verum quidem est agi hic de casibus particularibus, sed evidens est, quod casus hi particulares non poterant resolvi, nisi resoluta prius fuisset quaestio theoretica de principio, cui resoluti casus innitebantur. Praesupponendum etiam est, Sacras Congregationes respondere circumstantiis expressis in dubio, quod enunciatur in ipso decreto, non autem circumstantiis, quae maneant occultae; secus infinitis aequivocationibus daretur locus, et praeterea hoc inconveniens haberetur, quod S. Congregatio unam quaestionem proponeret in dubio, et aliam substantialiter diversam dirimeret in de-

cisione. Quare Sacra Congregatio in sententia adversariorum respondere debuisset: si non est certum, quod utrumque ovarium ablatum est, non esse impediendum matrimonium; secus impediendum esse. Multo magis, quod supponere S. Congregationem alia scivisse praeter ea, quae in ipso quaesito exposita sunt, est suppositio omnino gratuita; imo videtur omnino excludi in primo quaesito ex eo, quod verba *per utriusque ovarii excisi defectum sterilis effecta,* sepositis cavillationibus, clare significant, mulierem ex operatione evasisse ineptam ad prolem generandam, et in secundo quaesito pariter excludi videtur ab .psis litteris Card. Monaco, qui rescribens ad Episcopum Regiensem, dicit, Cardinales resolvisse dubium ab eo propositum, non tulisse sententiam in aliqua causa. Et hoc confirmatur ex obvia interpretatione harum responsionum, quas statim in hunc sensum fecerunt, qui de re morali scripserunt, ut Genicot II, 503, Marc II, 2008, Lehmkuhl II, 744, qui tamen contrariam prius sententiam sustinuerat». Hactenus cl. Ojetti. Age ergo, his positis, nemo sanus inficiabitur, Iosephum D'Annibale, quando hic anno 1892 affirmabat in adnotatione 3ae editionis, non prohiberi nubere mulierem, cui utrumque ovarium penitus exectum fuit, mentem ipsissimam S. Officii ad unguem exprimere voluisse, prout haec ex gemino praedicto responso pandebatur.

Attamen (quod obiter dictum sit), ex allatis aliisque hactenus editis S. O. responsis nullatenus constat, hanc S. Congregationem *directe* sententiam tulisse pro veritate doctrinae illorum Theologorum, qui contendunt, ad validitatem matrimonii sufficere in muliere capacitatem ad congrediendum, minime vero opus esse capacitate ad generandum. Scilicet ex S. O. responsis hactenus editis illud unum extundere fas est, nimirum supradictam DD. opinionem solida probabilitate non carere. Porro, hac semel in tuto posita probabilitate, conjicere licet ita ratiocinatum fuisse S. Officium: nempe jure merito dubitandum est, et quidem *dubio juris,* utrum ex carentia uteri vel ovarii utriusque, impedimentum dirimens matrimonium constituatur: videlicet in casu lex, sive naturalis sive divina, prohibens aut irritans matrimonium, est *objective dubia,* proindeque *nulla;* quia, ad casum quod attinet, uti videre est ex ipsa DD. inter se acriter digladiantium controversia, lex illa destituitur sufficienti promulgatione; ita ut in ejusmodi casu, sive matrimonium jam initum, sive ineundum sit, *ne materialis quidem* ejusdem legis seu naturalis seu divinae transgressio intelligi queat (Cfr. D'Annibale, *Sum. Th. Mor.,* P. I, § 162). In casu proinde matrimonii ineundi, *possidet* mulieris penitus excisae vel utero carentis *libertas;* et illa

jure suo utitur si matrimonium ineat; quod propterea *impediendum*, seu, ut ait D'Annibale, *prohibendum non est*. In casu autem matrimonii jam initi, hoc validum est, vel saltem in hoc casu *matrimonium possidet;* cui propterea in dubio juris aptandum est principium: in dubio standum esse pro valore actus.

Quod vero S. Officium declaravit (16 Ianuarii 1895) in huiusmodi casibus esse in singulis recurrendum, id difficultatem nullam facessit. Etenim si in casibus id genus privato uniuscujusque judicio res definienda relinqueretur, haud raro contingere posset, ut vel impotentia coeuendi cum impotentia generandi permisceatur, vel dubium *facti* cum dubio *juris* confundatur: atque ita matrimonia vel perperam dissolvantur, quando ceteroquin, jam inita, dissolvenda non sint, vel invalide ineautur. Ut ergo hisce incommodis aditus praecludatur, necesse est judicium ecclesiasticae auctoritatis praestolari. Qua in re, nisi totus fallor, non hoc praeceptum esse puto, ut in singulis casibus taxative, hoc est, nonnisi ad S. Officium res deferatur; sed generatim per se satis est, si ejusmodi recursus ad loci Ordinarium fiat. Sed haec obiter, ut dixi, et velut per transennam attigisse sufficiat.

Ceterum, ut ad Iosephum D'Annibale revertamur, optandum plane esset, ut quaelibet alienae manus additamenta seu immutationes e *Summulae* textu omnino expungantur, ut haec primigeniae integritati editionis tertiae restituatur. Equidem non inficior, praesertim novis in dies prodeuntibus juris positivi dispositionibus, opus omnino esse, ut novae etiam adnotationes *Summulae* adjiciantur. Verumtamen novae hujusmodi adnotationes, extra corpus celeberrimi Operis appositae, peculiari asterisco a genuinis Iosephi D'Annibale notis plane distingui debent.

XXII.

(**Summ.**, P. III. Lib. III, Tr. VI, §§ 456-461).

Ius novissimum circa formam servandam in celebratione Sponsalium et Matrimonii.

1.

Ex Decreto S. C. C. « Ne temere » 2 Augusti 1907.

..... In executionem itaque Apostolici mandati S. Concilii Congregatio praesentibus litteris constituit atque decernit ea quae sequuntur.

De Sponsalibus.

I. — Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho, aut a loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus.

Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotetur; et alius testis addatur, qui cum parocho, aut loci Ordinario, vel duobus testibus, de quibus supra, scripturam subsignet.

II. — Nomine parochi hic et in sequentibus articulis venit non solum qui legitime praeest paroeciae canonice erectae; sed in regionibus, ubi paroeciae canonice erectae non sunt, etiam sacerdos cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est et parocho aequiparatur; et in missionibus, ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis Moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus.

De Matrimonio.

III. — Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus, iuxta tamen regulas in sequentibus articulis expressas, et salvis exceptionibus quae infra n. VII et VIII ponuntur.

IV. — Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio adsistunt.

§ 1° a die tantummodo adeptae possessionis beneficii vel initi officii, nisi publico decreto nominatim fuerint excommunicati vel officio suspensi;

§ 2° intra limites dumtaxat sui territorii in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide adsistunt;

§ 3° dummodo invitati ac rogati, et neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum.

V. Licite autem adsistunt:

§ 1° constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis;

§ 2° constito insuper de domicilio, vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii;

§ 3° quod si deficiat, ut parochus et loci Ordinarius licite matrimonio adsint, indigent licentia parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas, quae ab ea excuset;

§ 4° Quoad *vagos*, extra casum necessitatis parocho ne liceat eorum matrimoniis adsistere, nisi re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam adsistendi impetraverit;

§ 5° In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset.

VI. — Parochus et loci Ordinarius licentiam concedere possunt alii sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii adsistat.

Delegatus autem, ut valide et licite adsistat, servare tenetur limites mandati, et regulas pro parocho et loci Ordinario n. IV et V superius statutas.

VII. — Imminente mortis periculo, ubi parochus, vel loci Ordinarius, vel sacerdos ab alterutro delegatus, haberi nequeat, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus.

VIII. — Si contingat ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius, aut sacerdos ab eis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possint, eaque rerum conditio a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus.

IX. — § 1° Celebrato matrimonio, parochus, vel qui eius vices gerit, statim describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii, atque alia, iuxta modum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel a Ordinario delegatus matrimonio adstirit.

§ 2° Praeterea parochus in libro quoque baptizatorum adnotet, coniugem tali die in sua parochia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se, sive per curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur.

§ 3° Quoties matrimonium ad normam n. VII aut VIII contrahitur, sacerdos in priori casu, testes in altero, tenentur in solidum cum contrahentibus curare ut initum coniugium in praescriptis libris quam primum adnotetur.

X. — Parochi qui heic hactenus praescripta violaverint ab Ordinariis pro modo et gravitate culpae puniantur. Et insuper si alicuius matrimonio adstiterint contra praescriptum § 2[i] et 3[i] num. V, emolumenta *stolae* sua ne faciant, sed proprio contrahentium parocho remittant.

XI. — § 1° Statutis superius legibus tenentur omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi (licet sive hi, sive illi ab eadem postea defecerint), quoties inter se sponsalia vel matrimonium ineant.

§ 2° Vigent quoque pro iisdem de quibus supra catholicis, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimoniun contrahunt; nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a. S. Sede sit statutum.

§ 3° Acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam.

Praesens decretum legitime publicatum et promulgatum habeatur per eius transmissionem ad locorum Ordinarius: et quae in eo disposita sunt ubique vim legis habere incipiant a die solemni Paschae Resurrectione D. N. I. C. proximi anni 1908.

Interim vero omnes locorum Ordinarii curent hoc decretum quamprimum in vulgus edi, et in singulis suarum dioecesum parochialibus ecclesiis explicari, ut ab omnibus rite cognoscatur.

Praesentibus valituris de mandato speciali SSmi D. N. Pii PP. X, contrariis quibuslibet etiam peculiari mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae die 2[a] mensis Augusti anni 1907.

VINCENTIUS, Card. Episc. Praenestinus, praef.
C. De Lai, secret.

2.

Constitutio Pii PP. X qua dectaratur et conceditur, matrimonia acatholicorum inter se et matrimonia mixta in Imperio Germanico legi Tridentinae circa clandestinitatem obnoxia non esse.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Provida sapientique cura quavis aetate Sancta Ecclesia legibus latis ea disposuit quae ad Christianorum connubiorum firmitatem

et sanctitatem pertinerent. In quibus legibus illa eminentem locum habet, qua Sancta Synodus Tridentina (1) clandestinorum matrimoniorum pestem abolere et ex populo christiano extirpare contendit. Magnam ex hoc Tridentino Decreto utilitatem in universam rempublicam christianam promanasse et hodie quoque promanare apud omnes in confesso est. Nihilominus, ut sunt res humanae, contigit alicubi, et praesertim in Imperio Germanico, propter lamentabilem maximamque in religione divisionem et catholicorum cum haereticis permixtionem in dies augescentem, ut cum praedictae legis observantia incommoda etiam quaedam nec levia coniungerentur. Nimirum cum ex voluntate Concilii caput *Tametsi* non antea in singulis paroeciis vim obligandi habere coeperit quam in illis rite esset promulgatum, et cum haec ipsa promulgatio an facta sit multis in locis dubitetur, incertum quoque non raro sit an lex Concilii obliget etiam acatholicos uno aliove in loco morantes, maxima inde ac molestissima in plurimis Imperii Germanici locis nata est iuris diversitas et dissimilitudo, plurimaeque et spinosae exortae sunt quaestionae quae in iudicibus quidem persaepe perplexitatem, in populo fideli quamdam legis irreverentiam, in acatholicis perpetuas cierent quaerelas et criminationes. Non omisit quidem Sedes Apostolica pro nonnullis Germaniae dioecesibus opportunas edere dispositiones et declarationes, quae tamen iuris discrepantiam minime sustulerunt.

Atque haec moverunt complures Germaniae Episcopos ut iterum iterumque Sedem Apostolicam adirent communibus precibus huic rerum conditioni remedium petentes. Quorum preces Decessor Noster f. r. Leo XIII benigne excipiens praecepit ut ceterorum Germaniae Praesulum vota exquirerentur. Quibus acceptis et toto negotio in Suprema Congregatione Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis mature discusso, Nostrum esse officium intelleximus praesenti rerum statui efficax et universale levamen afferre. Itaque ex certa scientia et plenitudine nostrae potestatis ut consulamus sanctitati firmitatique matrimonii, disciplinae unitati et constantiae, certitudini iuris, faciliori reconciliationi poenitentium, ipsi quoque paci et tranquillitati publicae, declaramus, decernimus ac mandamus;

I. — In universo odierno Imperio Germaniae caput *Tametsi* Concilii Tridentini quamvis in pluribus locis, sive per expressam publicationem sive per legitimam observantiam, nondum fuerit certo promulgatum et inductum, tamen inde a die festo Paschae (idest

(1) Sess. XXIV, cap. I, *de Ref. Matr.*

a die decimaquinta Aprilis) huius anni millesimi nongentesimi sexti omnes catholicos, etiam hucusque immunes a forma Tridentina servanda, ita adstringat ut inter se non aliter quam coram parocho et duobus vel tribus testibus validum matrimonium celebrare possint.

II. — Matrimonia mixta quae a catholicis cum haereticis vel schismaticis contrahuntur, graviter sunt manentque prohibita, nisi accedente iusta gravique causa canonica datis integre, formiter, utrinque legitimis cautionibus per partem catholicam dispensatio super impedimento mixtae religionis rite fuerit obtenta. Quae quidem matrimonia dispensatione licet impetrata, omnino in facie Ecclesiae coram parocho ac duobus tribusve testibus celebranda sunt, adeo ut graviter delinquant qui coram ministro acatholico vel coram solo civili magistratu vel alio quolibet modo clandestino contrahunt. Imo si qui catholici in matrimoniis istis mixtis celebrandis ministri acatholici operam exquirunt vel admittunt, aliud patrant delictum et canonicis censuris subiacent.

Nihilominus matrimonia mixta in quibusvis Imperii Germanici provinciis et locis, etiam in iis quae iuxta Romanarum Congregationum decisiones vi irritanti capitis *Tametsi* certo hucusque subiecta fuerunt, non servata forma Tridentina iam contracta vel (quod Deus advertat) in posterum contrahenda, dummodo nec aliud obstet canonicum impedimentum, nec sententia nullitatis propter impedimentum clandestinitatis ante diem festum Paschae huius anni legitime lata fuerit, et mutuus coniugum consensus usque ad dictam diem perseveraverit, pro validis omnino haberi volumus, idque expresse declaramus, definimus atque decernimus.

III. — Ut autem iudicibus Ecclestiasticis tuta norma praesto sit, hoc idem iisdemque sub conditionibus et restrictionibus declaramus, statuimus ac decernimus de matrimoniis acatholicorum, sive haereticorum, sive schismaticorum, inter se in iisdem regionibus non servata forma Tridentina hucusque contractis vel in posterum contrahendis; ita ut si alter vel uterque achatolicorum coniugum ad fidem catholicam convertatur, vel in foro ecclesiastico controversia incidat de validitate matrimonii duorum acatholicorum cum quaestione validitatis matrimonii ab aliquo catholico contracti vel contrahendi connexa, eadem matrimonia ceteris paribus, pro omnino validis pariter habenda sint.

IV. Ut demum Decretum hoc Nostrum ad publicam notitiam perveniat, praecipimus Imperii Germanici Ordinariis ut illud per

ephemerides dioecesanas aliosque opportuniores modos ante diem Paschae anni currentis cum clero populoque fideli communicent.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVIII Ianuarii MDCCCCVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

Pius PP. X.

Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 39, pagg. 81 et seqq.

3.

Responsa S. Congregationis Concilii et S. Congregationis de Sacramentis.

a) *Responsa S. C. C. 1 Februarii 1908.*

Dubia I. An decreto *Ne temere* adstringantur etiam Catholici ritus orientalis. — *Et quatenus negative:*

II. Utrum ad eosdem decretum extendere expediat. — *Et quatenus saltem pro aliquo loco decretum non fuerit extensum:*

III. Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma ab eodem decreto statuta.

IV. An sub art. XI, § 2, in exceptione enunciata illis verbis *nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum* comprehendatur tantummodo Constitutio *Provida* Pii PP. X; an potius comprehendantur quoque Constitutio Benedictina et cetera eiusmodi indulta impedimentum clandestinitatis respicientia.

V. Num in imperio Germaniae catholici, qui ad sectam haereticam vel schismaticam transierunt, vel conversi ad fidem Catholicam ab ea postea defecerunt, etiam in iuvenili vel infantili aetate, ad valide cum persona catholica contrahendum adhibere debeant formam in decreto *Ne temere* statutam, ita scilicet ut contrahere debeant coram parocho et duobus saltem testibus. — *Et quatenus affirmative:*

VI. An, attentis peculiaribus circumstantiis in imperio Germaniae existentibus, opportuna dispensatione provideri oporteat.

VII. Ubinam et quomodo cappellani castrenses, vel parochi nullum absolute territorium nec cumulative cum alio parocho habentes, at iurisdictionem directe exercentes in personas aut fami-

lias, adeo ut has personas sequantur quocumque se conferant, valide matrimoniis suorum subditorum adsistere valeant.

VIII. Ubinam et quomodo parochi qui territorium exclusive proprium non habentes, cumulative territorium cum alio vel aliis parochis retinent, matrimoniis adsistere valeant.

IX. Ubi et quomodo parochus, qui in territorio aliis parochis assignato nonnullas personas vel familias sibi subdita habet, matrimoniis adsistere valeat.

X. Num cappellani seu rectores piorum cuiusvis generis locorum, a parochiali iurisdictione exemptorum, adsistere valide possint matrimoniis absque parochi vel Ordinarii delegatione.

XI. An a decreto *Ne temere* abolita sit lex vel consuetudo in nonnullis dioecesibus vigens, vi cuius a Curia episcopali peragenda sunt acta, quibus constet de statu libero contrahentium, et dein venia fiat parochis adsistendi matrimoniis.

XII. An et quousque expediat prorogare executionem decreti *Ne temere* pro nonnullis locis iuxta Ordinariorum petitiones.

Resolutiones. Et eadem S. Congregatio Concilii, in plenario conventu die 25 Ianuarii 1908 habito, definitivam solutionem differendam esse censuit. Verum in subsequentibus comitiis diei 1 Februarii eiusdem anni, iisdem dubiis iterum ad trutinam vocatis et sedulo perpensis, authentice respondit prout sequitur:

Ad I. Negative.

Ad II. Ad S. Congregationem de Propaganda Fide.

Ad III. Dilata, et exquiratur votum duorum Consultorum, qui prae oculis habeant leges hac de re vigentes quoad Orientales.

Ad IV. Comprehendi tantummodo Constitutionem *Provida;* non autem comprehendi alia quaecumque decreta, facto verbo cum SS^{mo}; et ad mentem.

Ad V. Affirmative.

Ad VI. Negative, ideoque servetur decretum *Ne temere.*

Ad VII. Quoad cappellanos castrenses aliosque parochos, de quibus in dubio, nihil esse immutatum.

Ad VIII. Affirmative in territorio cumulative habito.

Ad IX. Affirmative, quoad suos subditos tantum, ubique in dicto territorio, facto verbo cum SS^{mo}.

Ad X. Affirmative pro personis sibi creditis, in loco tamen ubi iurisdictionem exercent, dummodo constet ipsis commissam fuisse plenam potestatem parochialem.

Ad XI. Servetur solitum.

Ad XII. Ad E^{mum} Praefectum cum SS^{mo}.

b) *Responsa S. C. C. 28 Martii 1908.*

I. Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma a decreto *Ne temere* statuta?

II. An in art. XI § 2 eiusdem decreti sub nomine acatholicorum comprehendantur etiam schismatici et haeretici rituum Orientalium?

III. Num exceptio, per constit. *Provida* in Germania inducta, censenda sit uti mere localis, aut etiam personalis?

IV. An Ordinarii et parochi nedum explicite sed etiam implicite « invitati ac rogati », dummodo tamen « neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum », valide matrimoniis assistere possint?

V. An ad licitam matrimonii celebrationem habenda sit ratio dumtaxat menstruae commorationis, aut etiam quasi-domicilii?

VI. Utrum sponsalia, praeterquam coram Ordinario aut parocho, celebrari valeant etiam coram ab ulterutro delegato?

VII. Utrum sponsalia celebrari possint dumtaxat coram Ordinario vel parocho domicilii aut menstruae commorationis, anetiam coram quolibet Ordinario aut parocho?

Quibus dubiis in generali Congregatione diei 28 Martii 1908 E^mi^ Patres S. Concilii, omnibus sedulo expensis, respondendum mandarunt:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Exceptionem valere tantummodo pro natis in Germania ibidem matrimonium contraentibus, facto verbo cum SS^mo^.

Ad IV. Affirmative.

Ad V. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad VI. Negative.

Ad VII. Posse celebrari coram quolibet Ordinario aut parocho, dummodo intra limites territorii eiusdem Ordinarii vel parochi.

Die autem 30 dicti mensis Martii SS^mus^ Dominus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii S. C. Concilii, supra relatas E^morum^ Patrum resolutiones ratas habuit et approbavit, quibuslibet in contrarium minime obstantibus.

Vincentius Card. Ep. Praenest., Praef.
B. Pompili, Secret.

c) *Responsa S. C. C. 27 Iulii 1908.*

Ex pluribus dubiis, quae ad hanc S. C. postremis hisce temporibus pervenerunt, nonnis infrascripta hodie proponuntur in plenariis comitiis, quum caetera vel facili negotio solvi possint, vel potius inter cavillationes sint accensenda.

Dubia. I. Utrum ad valida ineunda sponsalia partes teneantur subsignare scripturam unico contextu cum parocho seu Ordinario aut cum duobus testibus, an potius sufficiat ut scriptura, ab una parte cum parocho vel cum duobus testibus subsignata, remittatur ad alteram partem quae vicissim cum parocho vel cum duobus testibus subscribat.

II. An ad sponsalium validitatem in scriptura sit apponenda data, seu adscriptio diei, mensis et anni.

III. An, vi decreti « Ne temere », etiam ad matrimonia mixta valide contrahenda, ab Ordinario vel a parocho exquirendus et excipiendus sit contrahentium consensus.

IV. Utrum ad valide et licite matrimoniis adsistendum, ad tramitem Art. VI decreti requiratur semper delegatio specialis, an vero sufficiat generalis.

V. An in locis dissitis, ad quae missionarius singulis mensibus non venit — in quibus tamen, si peteretur, haberi posset, et vel ad eum aut ad alium missionarium, qui sit parochus in sensu decreti, absque gravi incommodo possent accedere sponsi — matrimonia contracta sine missionarii seu parochi praesentia retinenda sint uti valida.

VI. Utrum ratione momentanei, inopinati et fidelibus prorsus incogniti transitus per aliquem locum, a quo iam a mense missionarius abest, interrumpi dicenda sit illa rerum conditio, de qua in Art. VIII decreti.

VII. An et quomodo annuendum sit petitionibus Ordinariorum Sinensium qui ob peculiares illius regionis conditiones postularunt: 1° exemptionem a praescriptionibus decreti in sponsalibus ineundis; 2° dispensationem a praesentia parochi et quandoque etiam testium, sive in matrimoniis ex dispensatione contrahendis a baptizatis cum non baptizatis, sive in matrimoniis inter catholicos, qui sub paganorum potestate sunt constituti.

VIII. Utrum subditi dioecesis Damaensis, in dioecesi tamen Bombayensi commorantes, et e converso subditi dioecesis Bombayensis degentes in dioecesi Damaensi, ut validum et licitum ineant

matrimonium, teneantur se sistere dumtaxat coram parocho personali vel possint etiam coram parocho territorii.

IX. An et quomodo providere expediat casui, quo parochi a lege civili graviter prohibeantur quominus matrimoniis fidelium adsistant nisi praemissa caeremonia civili, quae praemitti nequeat, et tamen pro animarum salute omnino urgeat matrimonii celebratio.

Resolutiones. Et E^mi^ Patres S. C. Concilii in plenariis comitiis diei 27 Iulii 1908 respondendum censuerunt.

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Affirmative, servatis ad liceitatem quoad reliqua praescriptionibus et instructionibus S. Sedis.

Ad IV. Quoad delegationem nihil esse immutatum, excepta necessitate eam faciendi sacerdoti determinato et certo ac restrictam ad territorium delegantis.

Ad V. Negative.

Ad VI. Negative.

Ad VII. Quoad primum negative. Quoad secundum, concedendam esse iisdem Ordinariis facultatem dispensandi a forma substantiali matrimonii pro casibus tantum verae necessitatis, cum potestate hanc facultatem etiam habitualiter subdelegandi missionum rectoribus, facto verbo cum SS^mo^.

Ad VIII. Dilata.

Ad IX. Non esse interloquendum.

Eadem autem die SS^mus^ D^nus^ Noster Pius PP. X, audita relatione infrascripti Secretarii, supra recensitas resolutiones ratas habere et approbare dignatus est, contrariis non obstantibus quibuscumque.

VINCENTIUS Card. Ep. Praenest., praef.
B. Pompili, secret.

d) *Responsum S. C. De Sacramentis 18 Iunii 1909.*

In plenariis comitiis a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum habitis, die 18 mensis Iunii anno 1909, sequentia proposita fuerunt dirimenda dubia, nimirum:

I. Num responsum S. Congregationis Concilii diei 28 Martii 1908 ad II: « Exceptionem valere tantummodo pro natis in Germania ibique matrimonium contrahentibus », ita sit intelligendum, ut in quovis casu ambo conjuges debeant esse nati in Germania, seu respective in regno Hungariae.

II. An post extensionem Constitutionis *Provida* ad regnum Hungariae, Germaniam inter et Hungariam, quoad validitatem clandestinorum mixtorum matrimoniorum, reciproca relatio habeatur, ita ut duo conjuges nati ambo in Germania matrimonium mixtum clandestinum valide ineant etiam in regno Hungariae, et, viceversa, nati ambo in regno Hungariae valide contrahant clandestino quoque modo in Germania.

III. Num saltem natus in Germania cum nato in regno Hungariae mixtum matrimonium valide ineat sive in Germania sive in regno Hungariae.

Et Emi Patres ad hujusmodi dubia ita respondendum censuerunt:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative.*

L ✠ S.

D. Card. Ferrata, praefectus.
Ph. Giustini, secretarius.

(Cfr. *Acta Ap. Sedis*, vol. I, pag. 516 seq.). Consulenda plane sunt quae circa responsum hoc S. Congregationis *de Sacramentis* scite admodum animadvertit Emus Gennari in *Monitore Ecclesiastico*, vol. 21, pag 203 seq.).

XXIII.

(**Summ.**, P. III, Lib. III, Tr. VI, § 495-497).

A quo petenda sit dispensatio ab impedimentis matrimonium dirimentibus.

Hac de re cfr. documenta quae attulimus sub n. I circa facultates dispensandi, quibus tum S. Poenitentiaria Apostolica, tum S. Congregatio *De Sacramentis* ex Const. Pii PP. X *Sapienti consilio* potiuntur; nec non quae diximus sub n. III de facultatibus quinquennalibus, quae Episcopis concedi solent.

XXIV.

(**Summ.**, P. III, Lib. III, Tr. VI, § 498).

De facultate dispensandi ab impedimentis matrimonialibus imminente mortis periculo. Decreta S. C. *De Sacramentis.*

1.

Parmen. et aliarum 14 Maii 1909.

Ante editum decretum *Ne temere* diei II mensis Augusti anno MDCCCCVII *De Sponsalibus et matrimonio*, satis jam fuerat eorum necessitati provisum, qui miserrime in concubinatu viventes iidemque in gravissimo mortis periculo constituti, impedimento aliquo matrimonium dirimente prohiberentur, quominus rite nuptias inirent. Nam per litteras S. Officii datas die XX mensis Februarii anno MDCCCLXXXVIII, et per sequentem declarationem die IX mensis Ianuarii anno MDCCCLXXXIX, facultas Ordinariis concedebatur, quae parochis etiam subdelegari habitualiter posset, dispensandi in iis adjunctis ab impedimentis quoque publicis matrimonium ecclesiastico jure dirimentibus, excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente.

Cum autem in art. VII praefati decreti *Ne temere* sancitum fuerit, « imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordina-« rius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, ad con-« sulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, ma-« trimonium contrahi valide et licite posse coram quolibet sacerdote « et duobus testibus » ; Ordinarius Parmensis ac plerique aliorum locorum Ordinarii a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum postularunt, ut, etiam hoc in casu, animarum saluti consuleretur, si forte dirimens aliquod impedimentum obstaret quominus matrimonium rite contraheretur.

Re mature perpensa in Congregatione generali diei VII mensis Maii anno MDCCCCIX, et relatis omnibus SSmo D. N. Pio divina providentia Papae X, in audientia habita ab infrascripto ejusdem S. Congregationis a secretis, die IX mensis Maii anno MDCCCCIX, Sanctitas Sua, benigne excipiens votum Emorum Patrum, decla-

rare dignata est ac decernere, quemlibet sacerdotem, qui ad normam art. VII decreti *Ne temere*, imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, coram duobus testibus matrimonio adsistere valide ac licite potest, in iisdem rerum adjunctis dispensare quoque posse super impedimentis omnibus etiam publicis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, exceptis sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita.

Datum Romae ex aedibus ejusdem S. Congregationis, die XIV mensis Maii anno MDCCCCIX.

D. Card. Ferrata, praefectus.
Ph. Giustini, a secretis.

(Cfr. *Acta Apost. Sedis*, vol. I, pag. 468 seq.).

Porro ad hujusmodi decretum declarandum abs re non erit heic referre quae sapienter pro more suo animadvertit doctissimus ac Emus Card. Gennari in periodico *Il Monitore Ecclesiastico*, vol. XXI, pag. 160 seq.: « È questa una giusta estensione della facoltà che « il Decreto *Ne temere* attribuisce a' semplici sacerdoti, in articolo « di morte, invocata da molti, anche da noi nel nostro Commento « al detto Decreto (Ediz. 6ª, pag. 40). Fu considerato infatti: *a*) Che « se il citato Decreto autorizza i semplici sacerdoti, in quel peri- « colo, quando manchi il parroco od un suo delegato a congiun- « gere il moribondo in matrimonio, sarebbe inutile tal facoltà « quando non potesse dispensare dagl' impedimenti dirimenti tranne « i due soli eccettuati. — *b*) Che questa facoltà già l'hanno gli « Ordinarii, suddelegabile ai parroci, in virtù dei decreti del S. Of- « fizio 20 febbraio 1888 e 6 gennaio 1899; era perciò conveniente « che l'avessero pure i semplici sacerdoti chiamati in luogo dei par- « roci. — *c*) Che in articolo di morte, l'infermo, abituato ad ille- « cite relazioni, va esposto a gravi pericoli di dannazione eterna, « qualora non legittimi col matrimonio siffatte relazioni. — *d*) Che « in tal caso, e pel detto pericolo, i DD. ammettono che il sacer- « dote possa con una epicheja dichiarare non esistente la legge « ecclesiastica degl' impedimenti matrimoniali (V. *Mon. Eccl.*, vo- « lume XX, pag. 177 e nostre *Consultaz. Mor.*, vol. I, pag. 701 seg.).

« Si noti che nel Decreto del S. Offizio 20 febbraio 1880 alla « concessione fatta per la dispensa dagl' impedimenti matrimoniali « in articolo di morte fu aggiunta una mente in riguardo alle di- « spense di coloro che si trovano assunti all'ordine del suddiaco- « nato o del diaconato, ovvero abbiano emessi i voti solenni. Ecco

« la mente: « Mens antem est ejusdem Sanctitatis Suae, ut si quando, « quod absit, necessitas ferat, ut dispensandum sit cum iis, qui sacro « subdiaconatus aut diaconatus ordine sunt insigniti, vel solemnem « professionem religiosam emiserint, atque post dispensationem et « matrimonium rite celebratum convaluerint, in extraordinariis hujus- « modi casibus, Ordinarii de impertita dispensatione Supremam « Sancti Officii Congregationem certiorem faciant, et interim omni ope « curent, ut scandalum, si quod adsit, eo meliori modo quo fieri « possit, removeatur, tum inducendo eosdem ut in loco se confe- « rant, ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, aut « si id obtineri nequeat, injungendo saltem iisdem spiritualia exer- « citia aliasque salutares penitentias atque eam vitae rationem, quae « praeteritis excessibus redimendis apta videatur, quaeque fidelibus « exemplo sit ad recte et christiane vivendum ».

« Or si chiede: Quando un semplice sacerdote, in virtù di questo « Decreto della S. C. de' Sacramenti, è chiamato a dispensare in « articolo di morte un suddiacono od un diacono, ovvero un pro- « fesso di Ordine regolare, è obbligato di osservare la mente sur- « riferita del S. Officio? La risposta è facile. Non essendosi fatta « menzione alcuna di questa mente nel detto Decreto, questa non « vige più, vigendo solo l'obbligo naturale di riparare lo scandalo « e di procurare una vera resipiscenza.

« Si chiede altresì: A questa mente saranno ora almeno obbli- « gati i parroci i quali sono a ciò delegati da' Vescovi in forza « de' citati Decreti del S. Officio? Rispondiamo che i citati Decreti « del S. Officio sono ora del tutto inutili. Il parroco, ed anche « l' Ordinario, come ogni altro semplice sacerdote potranno in tutto « conformarsi a quest'ultimo Decreto della S. C. de' Sacramenti ». Hactenus Emus Gennari.

2.

Venetiarum 16 Augusti 1909.

In plenario coetu a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum, habito die 13 mensis Augusti anno 1909, dirimendum propositum est dubium ». Utrum facultas dispensandi ab impedimentis matrimonialibus imminente mortis periculo in casu art. VII decreti *Ne temere,* facta per decretum hujus S. Congregationis diei 14 Maii 1909, valeat dumtaxat pro concubinariis: an etiamsi non agatur de concubinariis, sed alia adsit causa ad consulendum con-

scientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis?». Cui dubio Emi Patres responderunt: « *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

Die autem 15 praefati mensis et anni SSmus D. N. Pius Papa X, audita relatione R. P. D. Secretarii ejusdem S. Congregationis, supra relatam Emorum Patrum declarationem ratam habere et confirmare dignatus est.

Datum Romae ex aedibus ejusdem S. Congregationis, die 16 mensis Augusti anno 1909.

D. Card. Ferrata, praefectus.
Ph. Giustini, secretarius.

(Cfr. *Acta Apostol. Sedis*, vol. I, pag. 656).

XXV.

(**Summ.**, P. III, Lib. III, Tr. VI, § 499-500).

Declaratio S. C. *De Sacramentis* circa dispensationes matrimoniales 29 jan. 1909.

Venetiarum et aliarum

Sacrae Congregationi de disciplina Sacramentorum sequens dubium propositum fuit: an, juxta tenorem formularum Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, in concessione dispensationum ab impedimentis matrimonialibus ex causis inhonestis intelligi debeat tacite concessa Ordinario etiam facultas declarandi legitimam prolem susceptam ante executionem dispensationis et celebrationem matrimonii.

Eadem S. Congregatio, re mature perpensa, respondere censuit: Negative, sed requiri ut prolis legitimatio ab oratoribus petatur eaque in rescripto concedatur.

Datum Romae ax aedibus ejusdem S. Congregationis, die 29 Ianuarii 1909.

D. Card. Ferrata, praefectus.
Ph. Giustini, secretarius.

(Cfr. *Acta Apost. Sedis*, vol. I, pag. 214).

APPENDIX [1].

De dispensatione ab occulta irregularitate in foro conscientiae, urgente necessitate. Decretum S. Congregationis S. O. 6 sept. 1909.

« Iam ex decreto supremae hujus Congregationis, lato die 23 Iunii 1886, cuique confessario concessa fuit facultas absolvendi a censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis, in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat asque periculo gravis damni vel infamiae, super quo confessariorum conscientia oneratur, injunctis de jure injungendis, et sub poena reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem.

« Cum vero nuper eidem huic Congregationi preces oblatae sint, quibus petitur, *an liceat confessario in iisdem circumstantiis atque conditionibus dispensare ab irregularitate, quae ipsas censuras sequitur*, Emi ac Rmi DD. Cardinales, in rebus fidei ac morum generales Inquisitores, in congregatione habita feria IV, die 1 Septembris labentis anni 1909, decreverunt: *Publicetur decretum latum feria IV, die 28 Martii 1906.*

« Decretum vero feriae IV, diei 28 Martii 1906, ita se habuit: « Supplicandum Sanctissimo pro facultate dispensandi super irregularitate occulta quando occurrat in casibus comprehensis in decreto S. Officii dato die 23 Iunii 1886 ». Et insequenti feria V, die 29 Martii, Sanctissimus annuit pro gratia juxta Emorum Patrum suffragia.

« Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 6 Septembris 1909.

« Aloisius Castellano, *Notarius* ».

L. ✠ S.

(*Acta Apost. Sedis*, Vol. I, pag. 677 e seq.).

---

(1) Vide Supra num. VII, not. 1, pag. 20.

FINIS.

INDEX

Lectori . . . . . Pag. 3
Monitum 4
I. De potioribus Romanae Curiae Congregationibus, Tribunalibus et Offi ciis ex Const. Ap. *Sapienti consilio* Pii PP. X 29 Junii 1908 5
II. Facultates habitualiter concessae non desinunt morte Ordinarii, vel ob ejusdem a munere cessationem 9
III. Facultates quinquennales quae Episcopis concedi solent quoad casus S. Sedi reservatos et dispensationes matrimoniales. 11
IV. Emendatio textus Auctoris 15
V. De Legum Canonicarum promulgatione ex Const. Pii X *Promulgandi* III Kal. Oct. 1908 ivi
VI. *Pagella* S. Poenitentiariae Ap., quae Sacerdotibus Confessariis, quoad casus R. Pontifici reservatos, concedi solet. 16
VII. De facultate simplicis Confessarii absolvendi a casibus R. Pontifici reservatis, stante impedimento adeundi S. Sedem 20
VIII. De Modernismo ac de censuris et poenis in eos qui praescripta adversus Modernistarum errores neglexerint 22
1° Decretum S. O. 3 Jul. 1907, quo recentiores errores reproba ntur. ivi
2° Instructio S. O. 28 A ug. 1907, ad Ordinarios et Superiores religiosos super decret. ejusdem S- Congr. contra errores «Modernistarum». 28
3° Ex Litt. Eneycl. *Pascendi Dominici gregis* 8 Sept. 1907 ivi
4° Ex Motu Prop. Pii X Praestantia *Scripturae Sacrae* 18 Nov. 1907. 36
IX. Dubia et resolutiones circa praesentes conditiones Ecclesiae in Gallia. 37
X. De Censuris ex Decret. S. C. C. 11 Maii 1904 latis in delinquentes in Missarum manualium satisfactione 41
XI. De Compositionibus quoad bona ecclesiastica ivi
1° S. Poenitentiariae indultum pro compositionibus. ivi
2° Facultates Ordinariis Galliae concessae circa bonorum ecclesiasticorum alienationem 21 Sept. 1907 44
3° Litterae S. Poenitentiariae ad Ordinarios Galliarum de compositionibus quoad bona ecclesiastica 49
4° De Competentia circa compositiones ecclesiasticas, decisio S. C. Consistorialis 8 Iul. 1909. 51

XII. Ex Const. Ap. Leonis XIII *Officiorum ac munerum* VIII. Kal. Febr. 1897. De prohibitione et censura librorum . . . . . Pag. 52
XIII. De Satisfatione Missarum Decreta novissima S. Congr. Concilii . . 59
1° Decretum S. C. C. 25 Maii 1893. *Vigilanti* etc. 60
2° Decretum S. C. C. 11 Maii 1904. *Ut debita* etc. 62
3° Decretum S. C. C. 22 Maii 1907. *Recenti* etc. 67
4° Declarationes S. C. C. circa Decreta *Ut debita* et *Recenti* . . . 68
a) Aliphan. 19 Dec. 1904 circa interpretationem Decreti super Missas manuales ivi
b) Sancti Deodati. 27 Febr. 1905. Dubia de Missarum stipendiis . 69
c) Leopolien. 27. Febr. 1905 quoad interpretationem Decreti « De Observandis » 70
d) Congregatio Spiritus Sancti. 27 Febr. 1905. Postulata super Decreto « De Observandis ». 71
e) Bredanen. 25 Febr. 1905. Dubiorum super eleemosynis Missarum. 72
f) Societatis SS. Salvatoris. 27 Febr. 1903. Circa Decretum « De Observandis » 73
g) Tarraconen. 8 Mart. 1905. Remunerationis pro collectione Missarum ex officio 74
h) Cadurcen. 17 Iun. 1905. Satisfactionis Missarum 75
i) S. C. C. 9 Sept. 1907. De licita Missarum distributione in Oriente etiam per Delegatos Apostolicos et per Superiores religiosos ivi
XIV. An haereticus, qui reversus ad fidem rebaptizatur, debeat confiteri quae admisit ab ultima confessione ante repetitum baptismum? . . 76
XV. Decreta S. Officii de facultatibus Sacerdotum navigantium quoad audiendas confessiones 107
1° Decretum S. O. 4 Apr. 1900 ivi
2° Decretum S. O. 23 Aug. 1905. 108
3° Decretum S. O. 12 Dec. 1906 ivi
XVI. De Missis celebrandis et Communione recipienda in Nocte Nativitatis Domini 109
XVII. Declaratio S. R. C. de Sacra Synaxi in Oratoriis privatis distribuenda. ivi
XVIII. De quotidiana SS. Eucharistiae sumptione 110
1° Decretum S. C. C. 20 Dec. 1905 *Sacra Tridentina Synodus* etc.. ivi
2° Decretum S. C. Indulg. 14 Febr. 1906 de Indulgentiis per quotidianam Communionem lucrandis 114
XIX. De S. Communione infirmis non jejunis 115
1° Decretum S. C. C. 7 Dec. 1906 ivi
2° Decretum S. C. C. 6 Mart. 1907 116
XX. Decretum S. O. 25 Apr. 1906, quo determinatur forma brevis administrandae Extremae Unctionis in casu necessitatis 117
XXI. Genuina Iosephi D'Annibale sententia circa mulieris penitus excisae matrimonium 118
XXII. Ius novissimum circa formam servandam in celebratione Sponsalium et Matrimonii. 122
1° Ex Decret. S. C. C. *Ne temere* 2 Aug. 1907. ivi
2° Constitutio Pii X *Provida* 18 Ian. 1906, qua declaratur et conceditur, matrimonia acatholicorum inter se et matrimonia mixta in

Imperio Germanico legi Tridentinae circa clandestinitatem obnoxia non esse . . . . . Pag. 125
3° Responsa S. C. Concilii et S. C. De Sacramentis 128
a) Responsa S. C. C. 1 Febr. 1908 ivi
b) Responsa S. C. C. 28 Mart. 1908 130
c) Responsa S. C. C. 27 Iulii 1908 131
d) Responsum S. C. De Sacramentis 18 Iun. 1909 132
XXIII. A quo petenda sit dispensatio ab impedimentis matrimonium dirimentibus 133
XXIV. De facultate dispensandi ab impedimentis matrimonialibus, imminente mortis periculo, Decreta S. C. De Sacramentis 14 Maii 1909 et 16 August. 1909 134
XXV. Declaratio S. C. De Sacramentis 29 Ian. 1909 circa dispensationes matrimoniales 137
Appendix de dispensatione ab occulta irregularitate in foro conscientiae, urgente necessitate. Decretum S. Off. 6 Sept. 1909 139

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1758.D28 C001 V003
SUMMULA THEOLOGIAE MORALIS EDITIO QUINT
3 0311 00044 1803

WITHDRAWN

43086

BX
1758
.D28 43086
v.3 AUTHOR D'Annibale, Joseph
TITLE SUMMULA THEOLOGIAE MORALIS
DATE LOANED

~~14115~~

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

3 031 [redacted]